HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA

VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

A U C T O R E

GASPARE SACCARELLO

T A U R I N E N S I

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS DECIMUSTERTIUS

AB ANNO JESU CHRISTI 592. USQUE AD AN. 633.



ROMÆ MDCCLXXXV.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

ADPROBATIONES.

DEcimumtertium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Volumen, quo Clariſſimus Vir Gaſpar Saccarellius, Oratorii Rom. Presbyter, præclara potiſſimum Magni Gregorii geſta perquam ſtudioſe perſequitur, voluntati obſequutus Revm̃i M. S. P. A. Fr. Thomæ Mariæ Mamachii, adtente legi; nec quidquam, quod orthodoxæ Fidei, boniſque moribua adverſetur, offendi. Itaque cenſeo nihil obſtare quominus in vulgus edatur.

Romæ Pridie Nonas Junii 1785.

Joſeph Canonicus Reggi
Vaticanæ Biblioth. Præfectus.

Ita cenſeo & ego Joſeph Theoli
Sac. Theologiæ D.

IMPRI-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Fr. Ant. Marcucci Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamacchi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 592. GREGORII M. PAPÆ AN. 3.
MAURITII IMP. II. AGILULPHI LONGOB. REGIS 3.

1 Gregorii Magni res præclare gestæ, huic decimotertio Historiæ nostræ volumini dignum initium dabunt; ac lectoribus gratum, atque utile reddent; cujus Pontificis, quanta esset, non solum ecclesiarum omnium sollicitudo, sed pro ipsa urbe, hoc ipso anno quingentesimo nonagesimo secundo Longobardorum armis vexata, ut vix barbaræ gentis gladios evaserit, idem Pontifex ad Joannem Ravennatem Episcopum scribens, his verbis testatur. *Quod multis scriptis vestræ beatitudinis minime respondi, non hoc torpori meo, sed languori deputate: quia peccatis meis facientibus, & tempore quo Ariulphus ad Romanam urbem veniens, alios occidit, alios detruncavit, tanta mæstitia affectus sum, ut in colicam molestiam caderem.* Dux Spoleti Ariulphus erat, ut habet Paulus Diaconus, & chronicon Farfæ, nec mirum dici a Baronio Tusciæ Ducem, cum Umbria tunc temporis, pro Tusciæ parte haberetur. In vita vero S. Gregorij, a Maurinis edita, & nota ad epistolam 46. lib. 2. Dux Beneventanus

JESU CHR. AN. 592. Ariulphus Longobardorum Dux, & Agilulphus Rex Romam obsident.

JESU CHR. AN. 592.

Paulus Diac. lib. 4. c. 19.

tanus dicitur, at scimus Arigin, sive Arogen Beneventi tunc Ducem fuisse, idque cum ex eadem epistola, tum ex Paulo Diacono constat.

S. Gregorii sollicitudo pro pace cum Longobardis facienda.

2. Tantis calamitatibus causam dedit Romanus Exarchus, qui privatam utilitatem quærens, bellum paci præferrebat, & nulla fœderis ratione habita, plures urbes, quibus Longobardi potiebantur, ad defectionem sollicitavit; præcipue vero Perusium, quæ Romanos milites excepit. Quo nuntio accepto, Agilulphus Rex Longobardorum, Ariulpho Spoletino Duci jussit, ut bellum instauraret. Hæc præviderat S. Gregorius, qui cum non animarum tantum pastor esset vigilantissimus, sed temporali etiam saluti, & Romanæ civitatis incolumitati consuleret; certiores de Longobardorum motibus Velocem magistrum militum, aliosque Mauritii Imp. Duces fecerat, admonueratque, ut si Ariulphus Romam, vel Ravennam peteret, ipsi a tergo insequerentur; In his angustiis summopere dolebat S. Pontifex, quod Romani pacem violassent, & Milites ex urbe revocati essent ut Perusio potirentur, uti ad Mauritium Imperatorem scribens conqueritur. *Deinde corrupta pace, de Romana civitate milites ablati sunt. Et quidem alii ab hostibus occisi sunt, alii vero Narnii, & Perusii positi; & ut Perusium teneretur, Roma relicta est*: Joanni vero Ravennati scribens, ut ad pacem cum Longobardis ineundam Exarchum induceret, addit. *Si quando tamen est aliquis cum eo locus obtinendi, agat apud eum fraternitas vestra, ut pacem cum Ariulpho, si ad aliquid parum possumus faciamus: quia miles de Romana urbe ablatus est, sicut ipse novit. Theodotiani vero, qui hic remanserunt, Rogam* (stipendia) *non accipientes, vix ad murorum quidem custodiam se accommodant, destituta ab omnibus civitas, si pacem non habet quomodo subsistet*. Irrita nihilominus fuit Pontificis sollicitudo pro pace obtinenda, quin Agilulphus Longobardorum Rex, collectis copiis in rebelles progressus, victricibus, armis Romam usque perrexit, quam aliquando etiam tempore obsedit, cum finitimas provincias, Romanumque agrum vastasset. Unde Gregorius ad Imperatorem scribens, ajebat. *Post hoc plaga gravior fuit, adventus Agilulphi, ita ut oculis meis cernerem Romanos more canum, in collis funibus ligatos, qui ad Franciam deducebantur venales.*

Greg. lib. 5. epist 40. Præf. in lib. 2. super Ezechielem.

3. Hæc

3. Hæc scribebat tunc temporis Gregorius, ac ad populum homilias dicebat super Ezechielem Prophetam, jamque decimam tertiam erat dicturus, cum ista præfatur. *Quia multis curis prementibus Ezechielis librum coram charitate vestra totum per ordinem perscrutari non licuit: bonis vestris desideriis placuit parere, ut saltem extrema ejus visio, quæ ei facta est de ædificio in monte constituto, quæ & cunctis est visionibus ejus obscurior, exponi debuisset. Et quidem voluntati vestræ me parere necesse est. Sed duo sunt, quæ hac in re perturbant animum meum. Unum quod hæc eadem visio tantæ obscuritatis nebulis tegitur, ut vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur. Aliud quod jam Agilulphum Longobardorum Regem, ad obsidionem nostram summopere festinantem, Padum transisse cognovimus. Unde pensate, Fratres carissimi in caliginosis, & mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera, timoris sui perturbationibus occupata*. Admiratione hæc profecto digna sunt, quod urbis obsidionem expectans S. Pontifex, ad populum nihilominus sermones haberet, unde ad Eugenium Papam scribens Beatus Bernardus ajebat. *Romani Pontifices, qui sibi otia inter maxima negotia invenirent. Obsidio Urbi, & barbaricus ensis civium cervicibus imminebat: Nunquid tamen istud terruit beatum Papam Gregorium, quominus sapientiam scriberet in otio? Eo nempe tempore (quod ejus præfatione liquet), obscurissimam & extremam partem Ezechielis tam diligenter, quam eleganter exposuit. Atque etiam homilias illas ad populum dixit*. Hieronimus vero cum interpretationem in Ezechielem aggressus esset, ut urbem a Gothis captam audiit, manum stylumque eo nuncio conturbatus retraxit, ut in epistola ad Marcellinum his verbis testatur. *Ezechielis volumen olim aggredi volui, & sponsionem celeberrimam, studiosis lectoribus reddere; sed in ipso dictandi exordio, ita animus meus Occidentalium provinciarum, & maxime urbis Romanæ vastatione confusus est, ut juxta vulgare proverbium, proprium ignorarem vocabulum. Diu tacui, sciens tempus esse lacrimarum*. Hæc ipse, qui paulo post addit. *Quod si, inquit, juxta inclytum oratorem, silent inter arma leges: quanto magis studia scripturarum, quæ & librorum multitudine, & silentio, ac librariorum sedulitate, quodque proprium est, securitate, & otio dictantium indigent*: Gregorius vero tunc a cœptis de-

S.Gregorius urbis, & Italiæ calamitates deplorat.

Bernard. de Consid. lib. 1. ad finem.

JESU CHR. AN. 592.

destitit, cum ab hostibus undique, in urbe obsessus, civium vulnera, vincula, cœdes suismet oculis vidit.

Finem imponit concionibus.

4. Nam in fine vigesimæ secundæ homiliæ ad populum dixit. *Nemo autem me reprehendat, si post hanc locutionem cessavero: quia (sicut omnes cernitis) nostræ tribulationes excreverunt, undique gladiis circumfusi sumus, undique imminens mortis periculum timemus. Alii detruncatis ad nos manibus redeunt, alii capti, alii interempti nunciantur. Jam cogor linguam ab expositione retinere, quia tædet animam meam vitæ meæ. Jam nullus in me sacri eloquii studium requirat; quia versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Jam cordis oculus in mysteriorum discussione non vigilat: quia dormitavit anima mea præ tædio. Jam minus lectio animo dulcis est: quia oblitus sum manducare panem a voce gemitus mei. Cui autem vivere non licet, de Scripturæ sacræ sensibus loqui mystica qualiter libet? Et qui cogor quotidie amara bibere, quando possum dulcia propinare? Quid igitur restat, nisi ut inter flagella, quæ ex nostris iniquitatibus patimur cum lacrimis gratias agamus? Ipse etenim qui nos creavit, etiam Pater factus est per adoptionis spiritum quem dedit, & aliquando filios pane nutrit, aliquando flagello corrigit, quia per dolores & munera ad hæreditatem perpetuam erudit. Sit itaque gloria omnipotenti Domino &c.* Vidisti hominem in carne, extra carnem positum, sentiens quidem dolores, sed iis non succumbens, sciens, & in doloribus, & ærumnis, quibus undique premebatur, Deo gratias agere, eique gloriam canere, juxta illud regii psalmidici: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

Job. 10. *Job*. 30. *Psal.* 118. *Psal.* 101. *Psalm.* 33.

S. Gregorii admiranda humilitas, & sollicitudo.

5. Quanta autem vigilantia commissum sibi gregem verbo & exemplo regeret, & quam humiliter de se ipso sentiret, ejusdem verba indicant. Inter cetera ea exponens verba. *Filii hominis speculatorem dedi te domui Israel*, dum status ac perfectionis eminentiam describit eorum, qui præsunt aliis, hæc habet. *O quam dura mihi sunt ista, quæ loquor: quia memetipsum loquendo ferio, cujus neque lingua (ut dignum est) prædicationem tenet, neque in quantum tenere sufficit, vita sequitur linguam. Qui otiosis verbis sæpe implicor, & ab exhortatione, atque ædificatione proximorum torpens, & negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus,*

Greg. in Ezechiel. hom. 11.

mutus, & verbosus; mutus in necessariis, verbosus in otiosis. Sed ecce sermo Dei de speculatoris vita compellit ut loquar. Tacere non possum, & tamen loquendo me ferire pertimesco. Dicam, ut verbi Dei gladius etiam per me ipsum ad configendum cor proximi transeat. Dicam, dicam ut etiam contra me sermo Dei sonet per me. Ego reum me esse non abnego, torporem meum, atque negligentiam video. Erit fortasse apud pium Judicem impetratio veniæ ipsa cognitio culpæ. Et quidem in monasterio positus valebam, & ab otiosis linguam restringere & in intentione orationis pene continue mentem tenere. At postquam cordis humerum sarcinæ pastorali supposui, colligere se ad semetipsum assidue non potest animus, quia ad multa partitur. Cogor namque modo Ecclesiarum, modo Monasteriorum causas discutere: sæpe singulorum vitas, actusque pensare, modo quædam civium negotia sustinere, modo de irruentibus barbarorum gladiis gemere, & comisso gregi insidiantes lupos timere, modo rerum curam sumere, ne desint subsidia eis ipsis, quibus disciplinæ regula tenetur: modo raptores quosdam æquaminiter perpeti, modo eis sub studio servatæ charitatis obviare. Cum itaque ad tot & tanta cogitanda, scissa, & dilaniata mens ducitur; quando ad semetipsam redeat, ut totam se in prædicatione colligat, & a proferendi verbi ministerio non recedat? Quia autem necessitate loci sæpe viris sæcularibus jungor, nonnunquam mibi linguæ disciplinam relaxo: nam si in assiduo censuræ meæ rigore me teneo, scio quia ab infirmioribus fugior, eosque ad hoc quod appeto, nunquam traho. Unde fit ut eorum sæpe & otiosa patienter audiam. Sed quia ipse quoque infirmus sum, in otiosis sermonibus paulisper tractus, libenter ea loqui incipio, quæ audire cæperam invitus; & ubi tædebat cadere, libet jacere. Quis ergo vel qualis speculator sum, qui non in monte operis sto, sed adhuc in valle infirmitatis jaceo &c.? Quanta autem idem S. Pontifex polleret animi demissione, & humilitate, qualesque esse debeant S. Scripturæ interpretes, & qui ad populum sermones habent, alibi sensus suos exprimens, his verbis indicat. *Non enim hoc temeritate aggredior, sed humilitate. Scio enim quia plerumque multa in sacro eloquio, quæ solus intelligere non potui, coram fratribus meis positus intellexi. Ex quo intellectu, & hoc quoque intelligere studui, ut scirem ex quorum mibi merito intellectus da-*

Greg. in Ezechiel. hom. 14.

JESU CHR. AN. 592.

daretur: patet enim quia hoc mihi pro illis datur, quibus mihi præsentibus datur. Ex qua re, largiente Deo agitur, ut sensus crescat, & oratio decrescat; dum propter vos disco quod inter vos doceo. Quia (verum fateor) plerumque vobiscum audio quod dico. Quicquid ergo in hoc propheta minus intellexero, meæ cæcitatis est: si quid intelligere apte potuero, ex divino munere vestræ venerationis. Hæc ipse *dicam libere* (ait Baronus) pluris apud me est, ejusmodi coram populo facta professio, quam quævis ab eo miracula edita.

Bar. an. 595. num. 8.

De miserando Italiæ, & urbis statu. *Hom. 18. in Ezechiel.*

6. Quam luctuosus vero tunc temporis Italiæ, & urbis status esset, non uno in loco exponit ac deplorat S. Pontifex. Inter plura. *Quid est jam rogo, quod in hoc Mundo libeat? Ubique luctum aspicimus, ubique gemitus audimus. Destructæ Urbes, eversa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra redacta est: nullus in agris incola, pene nullus in urbibus habitator remansit; & tamen ipsæ parvæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie & sine cessatione feriuntur, & finem non habent flagella cælestis justitiæ, quia nec inter flagella correctæ sunt actionis culpæ; alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid est ergo quod in hac vita libeat, fratres mei? Si & talem adhuc mundum diligimus, non jam gaudia, sed vulnera amamus.* Hæc generatim pro concione Gregorius, qui paulo post de ipsa Urbe subjicit. *Ipsa autem quæ aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma conspicimus. Immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentia ruinarum: ita ut in ea completum esse videamus, quod contra Urbem Samariam per hunc eumdem Prophetam Ezechielem, longe superius dicitur: Pone ollam, pone inquam, & mitte in ea aquam & congere frusta ejus in ea: Et paulo post: Efferbuit coctio ejus, & decocta sunt ossa illius in medio ejus &c.* Deinde post aliqua. *Sed ecce jam de olla omnes hujus sæculi potentes ablati sunt: ossa ergo excocta sunt. Ecce Populi defecerunt: carnes ejus liquefactæ sunt. Dicatur itaque: Congere ossa, quæ igne succendam: Consumentur carnes, & coquetur universa compositio ejus, & ossa tabescent. Ubi enim Senatus? ubi jam Populus? Contabuerunt ossa, consumptæ sunt carnes: omnis enim secularium dignitatum ordo extinctus est. Excocta est universa compositio ejus: & tamen nos ipsos paucos, qui reman-*

Ezechiel. 24.

mansimus, adhuc quotidie gladii, adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt. Dicatur ergo: Pone quoque eam super prunas vacuam: Quia enim Senatus deest, Populus interiit: & tamen in paucis, qui sunt, dolores, & gemitus quotidie multiplicantur: jam vacua ardet Roma. Quid autem ista de hominibus dicimus, cum ruinis crebrescentibus ipsa quoque destrui ædificia videmus? Hæc autem, quæ de Romanæ Urbis contritione dicimus, in cunctis facta mundi Civitatibus scimus. Alia etenim loca clade desolata sunt, alia gladio consumpta, alia fame cruciata, alia terræ hiatibus absorpta. Despiciamus ergo ex toto animo hoc præsens sæculum vel extinctum &c.

Eleemosina hostibus quando danda.

7. Cumque in tanta Italiæ devastatione, Italorum plurimi a Longobardis in captivitatem ducti fuissent, pro iis redimendis S. Pontifex quantum sollicitus esset, ejusdem epistolæ indicant: ad Joannem Ravennatem inter cetera scribebat. *De hoc quod dicitis incensæ Civitati Severi schysmatici eleemosinam esse mittendam: idcirco vestra fraternitas sensit, quia quæ contra nos præmia in Palatium mittat, ignorat. Quæ etsi non transmitteret, nobis considerandum fuit, quia misericordia prius fidelibus, ac postea Ecclesiæ hostibus est facienda. Juxta quippe est Civitas Phanum, in qua multi captivi sunt: ad quam ergo jam transacto anno transmittere volui, sed inter hostes medios non præsumpsi. Videtur ergo mihi, ut Claudium Abbatem cum aliquanta pecunia illic transmittere debeatis; & liberos, quos illic pro prætio suo in servitio teneri invenerit, vel si qui adhuc sunt captivi redimat. De summa vero ejusdem pecuniæ transmittenda, vobis certum sit, quia quicquid vos decernitis, mihi placet. Sin autem cum excellentissimo viro Romano Patricio agitis, ut pacem facere cum Arnulpho debeamus: ego ad vos personam aliam transmittere paratus sum, cum qua mercedis causæ melius fiant.* Hæc de redimendis captivis, & pace cum Longobardis tentanda Gregorius. Hunc severum Schysmaticum Episcopum, cujus civitas incensa fuerat, pro quo Joannes a Gregorio eleemosinas petiit, Aquilejensiem Episcopum fuisse Card. Baronius, & Mabillonius scribunt, at Muratorius, Anconitanum Episcopum fuisse probat, de quo mentio fit a S. Gregorio. Neque etenim de Aquilejensi civitate intelligi potest, quod habet in citata epistola. Juxta

De Captivis redimendis Gregorii cura.

Bar. an. 592. num. 2.
Mabill. in annal. Benedictinis l. 8. cap. 37.
Murat. anno 592.

Jesu Chr. an. 592.

Juxta quippe est civitas Phanum, quod Anconæ convenit ubi Severus Episcopus erat, ad quem extat epistola S. Gregorii decimasexta libri noni *ad Serenum Anconitanum Episcopum*, sed legendum ad Severum Anconitanum, ut in epistola octogesima nona ejusdem libri legitur, ex quibus apparet tunc temporis ad communionem cum Romana ecclesia, relicto schysmate Severum transiisse.

Donatistas in Africa S. Gregorius reprimit.

8. Etsi Longobardorum gladiis premeretur S. Pontifex, urbis tamen pomeriis, aut Italiæ limitibus non se continuit S. Gregorii zelus, quin cum relatione accepisset Donatistas in Africa catholicorum nonnullos rebaptizasse, ac insuper accepta a catholico Episcopo, quem pecunia corruperant, licentia, Episcopum suæ sectæ ordinasse, Hylarium monachum Rom. ecclesiæ Chartularium Chartagine degentem, in Numidiam proficisci voluit, ut coacto concilio deponeret Episcopum, qui Episcopalem dignitatem Donatistis vendiderat, ac ut Donatistarum temeritatem reprimeret: Quamobrem ad Columbum in Numidia Episcopum has dedit litteras. *Notum est carissime in Christo Frater, quod antiquus hostis, qui primum hominem de paradisi deliciis in hanc ærumnosam vitam callida persuasione deposuit, & in eo jam tunc humano generi pœnam mortalitatis inflixit, eadem nunc calliditate ovium Dominicarum Pastores, quo facilius gregem capiat, transfusis conetur venenis inficere, & jure jam potestati propriæ vindicare. Sed nos qui licet immeriti, sedem Apostolicam vice Petri Apostolorum Principis suscepimus gubernandam, ipso Pontificatus officio cogimur generali hosti, quibus valemus nisibus obviare. Porrecta igitur petitione insinnaverunt nobis præsentium latores Constantius, & Mustellus (ut asserunt) Ecclesiæ Pudentianæ Diacones in Numidia provincia constitutæ, Maximianum ejusdem Ecclesiæ Antistitem in loco quo degit, corruptum præmio, Donatistarum Episcopum nova licentia fieri permisisse: cum etsi hoc anterior usus permitteret, manere atque persistere fides catholica prohiberet. Ob hoc ergo fraternitatem tuam scriptis præsentibus necessario duximus adhortandam, & veniente ad te Hilario Chartulario nostro, adunato Episcoporum universali Concillo, habito præoculis terrore venturi Judicis, causa eadem subtili ac solerti debeat indagatione perquiri. Et si capitulum hoc a præsentium latoribus prædicto Episcopo documentis idoneis fuerit appro-*

probatum, a dignitate officioque quo fungitur, modis omnibus degradetur: ut & ille ad pœnitentiæ lucra per agnitionem delicti redeat, & ceteri tentare talia non præsumant. Æquum enim est, ut qui Jesum Christum Dominum nostrum hæretico, accepta pecunia, venundedit, ut refertur, ab ejus videlicet sacrosancti corporis ac sanguinis tractandis mysteriis submoveatur. Si qua autem inter eos, extra crimen hoc, damnorum quorumdam, vel privatorum negotiorum (sicuti petitio Diaconorum ipsorum continet) versatur intentio: hanc tua fraternitas cum prædicto Chartulario nostro privata cognitione perquirat, & inter utramque partem justitia procedente definiat. Porro autem præsentium latorum insinuatione didicimus Donatistarum hæresim pro peccatis nostris quotidie dilatari, & valde plures, data per venalitatem licentia, post Catholicum baptisma a Donatistis denuo baptizari. Quod quam grave sit, frater, oportet nos tota mentis intentione perpendere. Unde post plurima. *Vigilemus ergo, ne quid pereat, aut si captum forte quid fuerit, vocibus divinorum eloquiorum ad gregem Dominicum reducamus: ut ille qui pastor pastorum est, vigilasse nos circa gregem suum, suo misericors dignetur judicio comprobare. Hoc quoque vos necesse est solerter attendere, ut si qua contra latores præsentium ejusdem Episcopi recta fuerit petitio, subtili debeat indagatione perquiri. Etsi fortasse ipsi quoque pro sua culpa jure feriendi sunt, nequaquam censemus esse parcendum.* Hactenus Gregorius, porro infelix Africana ecclesia, non his tantum Donatistarum hæreticorum spinis oppleta erat, sed insuper Manichæorum vepribus abundabat, ut in epistola ad Joannem Episcopum Squillacinum testatur S. Pontifex. *Afros passim, vel incognitos peregrinos ad ecclesiasticos ordines tendentes nulla ratione suscipias: quia Afri quidam Manichei, aliqui rebaptizati, quod a Donatistis frequentabatur.*

Greg. lib. 2. epist. 37.

9. Hoc quoque anno, eodemque mense idem S. Pontifex, accepta honorifica legatione ab Dominico Cartaginensi Episcopo, qua de ipsius electione in Pontificem gratulabatur, ab eoque petebat, ut suæ ecclesiæ privilegia salva esse vellet. S. Gregorius reddens epistolam, sua cuique jura se servaturum promisit. *De ecclesiasticis vero privilegiis, quod vestra Fraternitas, scribit, hoc, postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura*

De legatione Dominici Episc. Cartaginen. ad S. Gregorium.

Greg. lib. 2. epist. 47.

jura servamus: nec cuilibet, favente gratia, ultra quam meretur, impertior; nec ulli hoc quod sui juris est ambitu stimulante, derogo: sed fratres meos per omnia honorare cupio: sicque studeo honore singulos subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit opponi.

Schysmaticos ad ecclesiam revocare tentat S. Gregorius.

10. Ad revocandos quoque ex schismate trium capitulorum causa conflato Istriæ Episcopos, quamplurimæ extant Gregorii epistolæ hoc anno scriptæ, quarum prima schismaticis directa, ut iis responderet, qui fidei causa, graves sustinere persecutiones gloriabantur, hæc Pontifex adnotat. *Scripta vestra summa cum gratulatione suscepi, sed erit in me uberior valde lætitia, si mihi de vestra contigerit reversione gaudere. Prima itaque epistolæ vestræ frons gravem vos pati persecutionem innotuit. Quæ quidem persecutio, dum non rationabiliter sustinetur, nequaquam proficit ad salutem. Nam nulli fas est retributionem præmiorum expectare pro culpa. Debetis enim scire (sicut beatus Cyprianus dixit) quia martyrem non facit pœna, sed causa.* Ac in Synodo quinta, ubi de Tribus capitulis actum est, nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum fuisse addit, sed tantum de personis; Tandem, *ut de Tribus capitulis animis vestris ablata dubietate, possit satisfactio abundanter infundi, librum quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis utile judicavi transmittere. Quem si, deposito voluntariæ defensionis studio, puro vigilantique corde sæpius volueritis relegere: eum vos per omnia secuturos, & ad unitatem nostram reversuros nihilominus esse confido. Porro autem, si post hujus libri lectionem, in ea qua estis, volueritis deliberatione persistere: sine dubbio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis. Unde iterum habita locutione, charitatem vestram admoneo, ut quoniam, Deo suffragante, fidei nostræ integritas in causa Trium capitulorum inviolata permansit, mentis tumore deposito, tanto citius ad matrem vestram, quæ filios suos expectat & invitat, Ecclesiam redeatis, quanto vos ab ea quotidie expectari cognoscitis.* Hæc Gregorius mittens librum de causa trium capitulorum a Pelagio suo antecessore elaboratum.

An Gregorii epistola ad Hibernos

11. Notandum est, hanc epistolam, quæ extat libro secundo num. 51. indict. 10., in aliquibus manuscriptis, & in veteri editione inscribi *Universis Episcopis per Hiberniam*. Hinc

Hinc ad Hibernos datam fuisse, post Baronium, Heschenius, & Papebrochius, & Pagius, & Usserius tradiderunt; At cum nulla veterum extent monumenta, quibus probetur, eo tempore pro tribus capitulis in Hibernia disputatum fuisse; hinc ad Iberos, seu Hispanos alii datam fuisse tradunt. Cum in utramque partem multa afferri soleant. Nos ad alia properantes, hoc unum cum Norisio adnotabimus in melioris notæ Codicibus & antiquioribus, cujusmodi sunt Vaticani, eam inscriptionem desiderari; His adde ex hujus temporis historia, nullibi constare, Hiberniæ, aut Iberiæ seu Hispaniæ Episcopos, in causa trium Capitulorum quæstiones habuisse, aut schisma fecisse. Unus quidem Joannes diaconus, cum Venetis, Iberos schisma fecisse scribit; cum Istrios dicere debuisset; de quibus plura apud supracitatos auctores pro utraque parte videri possunt; Istriæ autem Episcopos ad hæc usque tempora in schismate perseverasse, non solum Gregorii Epistola ad eos data indicat; sed altera etiam hoc eodem anno ad Joannem Ravennatem Episcopum scripta, qua eidem gratias agit, eo quod eos ad ecclesiæ unitatem revocare conaretur, qua inter cetera habet. *De causa vero Episcoporum Istriæ, omnia, quæ mihi vestra Fraternitas scripsit, ita esse, jam ante deprehendi in iis jussionibus, quæ ad me a piissimis Principibus venerunt, quatenus me interim, ab eorum compulsione suspenderem. Ego quidem pro iis, quæ scripsistis, zelo atque ardori vestro congaudeo, debitoremque me vobis multipliciter factum profiteor. Scitote tamen, quia de eadem re Serenissimis Dominis, cum summo zelo Dei & libertate rescribere non cessabo*. Ex hac, aliisque S. Gregorii epistolis ad Joannem Ravennæ Episcopum, manifesti erroris arguuntur quamplurimi historici, dum scribunt Severum Episcopum Gradensem Manicheorum hæresi, impellente Joanne Ravennatensi Episcopo nomen dedisse; Qui fieri etenim potuit, ut Joannes Ravennæ Episcopus Manicheis faveret, Joannes, inquam, cui S. Gregorius librum de Cura pastorali inscripsit, cui litteras plurimas dedit; quem etiam dum viveret, ac post obitum laudibus extulit, cujus famam Baronius, & Norisius vindicarunt, ac manifesto Paulum Diaconum errasse demonstrant, dum de Smaragdo Exarcho agens, scripsit: *Quibus comminans exilia, atque, violentias inferens communicare compulit Joanni Ravennati Episcopo trium capitulorum damnatori, qui* tem-

B 2

Jesu Chr. an. 592.

vel Iberos inscripta fuerit.

Baron. annal. ann. 592. & 596.

Bollandi in notis ad caput I. lib. 3. vitæ S. Greg. die 12. Mar-

Pagius in notis ad Bar. ann. 592.

Usserius in epistolis Hibernicis, & apud Wilkins tom. I. concil. Britt. pag. 9.

Christianus Lupus in notis ad Synodum V. cap. 6

Labbæus tomo 5. concili pag. 1093.

Greg. lib. 2. 2. epist. 46.

Sigonius lib. 1. de Regno Italiæ ad annum 586.

Panvinius lib. 5. Antiquitat. Veronensium c. 9.

Rubeus lib. 4. histor. Ravenn.

Palladius lib. 1. histor. Forojuliensis.

JESU CHR. AN. 592.

tempore Vigilii, vel Pelagii e Romanæ ecclesiæ desciverat societate. Atque ita Catholicum Episcopum, ac Romanæ communionis tenacissimum pro schysmatico habuit, defensores vero trium capitulorum, qui revera schysmatici erant, tanquam catholicos laudavit, ex quo alii historici in errorem pertracti sunt.

Ughell. t. 5. Italiæ sacræ. Greg. lib. 5. epist. 23. Baron. anno 592. n. 7. Noris dissert. de synodo V. §. 5. Paulus Diac. lib. 3. c. 27.

Gregorius propugnator Conc. Chalc.

12. Quia vero schysmatici ea utebantur calumnia ad seducendos fideles, quod in Quinta Synodo adversus Chalcedonensem Synodum nonnulla definita fuerant; eaque ratione Savinum subdiaconum in errorem traxerant, ut eum ad saniora consilia revocaret, hanc ei S. Gregorius scripsit epistolam. *Exeuntes maligni homines turbaverunt animos vestros, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, astruentes quod aliquid de Sancta Chalcedonensi Synodo, piæ memoriæ Justiniani temporibus sit imminutum: quam omni fide, omnique devotione veneramur. Et sic quatuor Synodos sanctæ universalis Ecclesiæ sicut quatuor libros Sancti Evangelii recipimus. De personis vero, de quibus post terminum synodi aliquid actum fuerat, ejusdem piæ memoriæ Justiniani temporibus est ventilatum, ita tamen ut nec fides in aliquo violaretur, nec de iisdem personis aliquid aliud ageretur, quam apud eamdem Sanctam Chalcedonensem Synodum fuerat constitutum. Anathematizamus ergo, si quis ex definitione fidei, quæ in eadem Synodo prolata est, aliquid minuere præsumit, vel quasi corrigendo ejus sensum mutare, sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus. Te ergo fili carissime decet ad unitatem Sanctæ Ecclesiæ remeare, ut finem tuum valeas cum pace concludere; ne malignus spiritus, qui contra te per alia opera prævalere non potest, ex hac causa inveniat unde tibi in die exitus tui in aditu regni cœlestis obsistat.* Hucusque ad eum Gregorius, ex quibus intelliges magnam hanc fuisse in ecclesia tentationem, in quam facilius impellebantur fideles, quo se fidei catholicæ tenaciores putabant,

Natalem Salonitanum Episc. litteris de officio suo admonet lib. 2. epist. 18.

13. In Episcoporum autem criminibus vindicandis, & ecclesiastica disciplina tuenda, quam sollicitus fuerit S. Gregorius, innumeris exemplis constat. Natalem Salonitanum Episcopum, datis ad eum litteris hoc anno, non una de re graviter reprehendit, quod scilicet pastorali officio neglecto, lautioribus conviviis delectaretur, & quod iniquius erat; quod vasa sacra, prætiosamque ecclesiæ supelectilem distraxisset

xisset ut propinquos suos ditaret, quod Honoratum Archidiaconum sub honoris specie invitum Presbyterum ordinaverit; Cumque Honoratus de vi sibi illata apud Pelagium Papam conquestus esset, utrumque ad causam Romæ dicendam Pelagius Papa vocaverat. At Natalis causæ suæ diffidens, Pelagii jussa spreverat, quem ideo S. Gregorius, ut tandem Apostolicæ sedis præcepto pareret, sub excommunicationis pœna excitavit; ac ut Honoratum, eo remoto, quem in ejus loco ordinaverat, in pristinam dignitatem restitueret, præcepit; *Multis*, inquit, *ab urbe tua venientibus. Frater carissime didici pastorali cura derelicta, solis te conviviis occupatum. Quæ audita non crederem, nisi hæc actionum tuarum experimentis approbarem. Nam quia nequaquam lectioni studeas, nequaquam exhortationi invigiles, sed ipsum quoque usum Ecclesiastici ordinis ignores: hoc est in testimonium quod eis, sub quibus es positus, reverentiam servare nescis. Cum enim sanctæ memoriæ decessoris mei fueris scriptis prohibitus, ne contra Honoratum Archidiaconum tuum dolorem tam longæ ingratitudinis in corde retineres: cumque a me sæpe correctus fueris, & hæc tibi summopere fuerint interdicta; & mandata Dei negligens, & scripta nostra contemnens, præfatum Honoratum Archidiaconum tuum quasi ad fortiorem honorem provehens, conatus es callida arte degradare. Unde actum est, ut eo de Archidiaconatus loco summoto, alium accersisses, qui tuis moribus obtemperare potuisset, cum præfatus vir pro nulla tibi re (ut arbitror) displicuit, nisi quod vasa sacra, & velamina tuis te parentibus dare prohibebat; Quam causam subtili voluimus & nunc ego, & tunc sanctæ memoriæ decessor meus, indagatione discutere: Sed tu, tuorum tibi actuum conscius, personam ad judicium instructam transmittere distulisti. Proinde fraternitas tua, vel post frequentatam toties admonitionem a culpæ suæ errore resipiscat, & præfatum Honoratum in suum, mox ut mea scripta susceperit, locum suscipiat. Quod si forte facere distuleris, usum tibi palii, qui ab hac Sede concessus est, noveris esse sublatum. Si vero etiam ammisso pallio, in eadem pertinacia adhuc persistis, Dominici corporis ac sanguinis te scias participatione esse privatum. Post quæ jam necesse est, ut causas tuas subtilius indagantes, an in Episcopatu ipso persistere debeas, summa cura, atque inquisitione debeamus tractare,*

Eum

Eum vero, qui contra justitiæ regulam ad locum alterius se provehi consensit, ab ejusdem Archidiaconatus honore deponimus. Qui si ulterius in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione communionis sacræ noverit esse privatum. Tu igitur, frater carissime, nequaquam nos amplius provoces, ne duros valde in asperitate sentias, quos erga te positos in charitate contemnis. Restituto igitur loco suo Honorato Archidiacono, instructam personam sub festinatione transmitte: qui mihi hoc debere ex ratione fieri suis possit allegationibus demonstrare. Eumdem namque Archidiaconum ad nos venire decrevimus, ut quidquid justum, quidquid Omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro personali amore defendimus, sed auctore Deo, normam justitiæ, postposita cujuslibet personæ acceptione, custodimus. Atque de his a se statutis Episcopos Dalmatiæ certiores fecit, data ad ipsos epistola. Antonino etiam Subdiacono ecclesiastici patrimonii in eadem provincia rectori scripsit, ut latam in Natalem, & in intrusum ab eo Archidiaconum, sententiam, præmissis adhortatioribus denuntiaret.

Greg. lib. 2. epist. 19. & 20.

Natalis Episc. cum S. Gregorio in gratiam redit.

14. His acceptis, excommunicationis sententiam sibi comminatam fuisse ægerrime tulit Natalis, ac S. Gregorio rescribens, in sui excusationem multa adnotavit, præcipue quod etsi sacræ lectioni diu vacare non posset, utpote negotiis & tribulationibus pressus, non ideo tamen prædicationis officium omnino præterisse ajebat; nec convivia Episcopis omnino prohibita, quæ apud veteres christianos in usu fuisse addit. Quare Gregorius, ut virum ex epistolis suis turbatum, ac meliora de se spondentem, in spiritu humilitatis, ut docet Apostolus, ne a se scripta gravate ferret his verbis admonuit. *Ecce Fraternitas tua ægre tulit, se de conviviis esse reprehensam, cum ego, qui etsi hanc, non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim, & hunc solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam, ante apparitionem districti judicis meæ maculas mentis tergo,* postmulta. *Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine gravissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset. Tamen postquam Fraternitas vestra ad suum ordinem rediit; nec ego meæ, nec decessoris mei injuriæ memor sum.* Quæ autem Episcoporum convivia esse debeant, his verbis, docet. *Convivia autem, quæ ex intentione impendendæ charitatis*

tatis fiunt, *recte Sanctitas vestra in suis epistolis laudat*. *Sed tamen sciendum est*, *quia tunc ex charitate veraciter prodeunt*, *cum in eis nulla absentium vita mordetur*, *nullus ex irrisione reprehenditur*, *& nec inanes in eis*, *saecularium negotiorum fabulae*, *sed verba sacrae lectionis audiuntur*: *cum non plus quam necesse est servitur corpori*, *sed sola ejus infirmitas reficitur*, *ut ad usum exercendae virtutis habeatur*. *Haec igitur si vos in vestris conviviis agitis*: *Abstinentium fateor magistri estis*. Hæc Gregorius ad Natalem, nec frustra, nam cum ad meliora conversum scivit, gavisus est, ut in epistola ad Joannem Ravennatem testatur, qua ait. *De Fratre autem*, *& Coepiscopo nostro Natali*, *valde contristabar quod de illo quaedam superba cognoveram*; *sed quia mores suos ipse correxit*, *meum tristitiam simul meipsum vincendo consolatus est*. Sed de Natali Salonitano Episcopo satis. Quæ autem Episcoporum convivia esse debeant, concilium Tridentium sess. 25. de reformatione cap. 1. docet, & Mediolanense concilium primum sub S. Carolo Boromeo de mensa Episcopi.

JESU CHR. AN. 592.

Greg. lib. 2. epist. 46.

15. Grave aliud negotium ad Gregorii tribunal ex Græcia delatum est, cum etenim Adrianus Thebanus Episcopus duos Diaconos exauctorasset, Joannem, & Cosmam, primum quidam violatæ castitatis reum, alterum fraudis in administratione rerum ecclesiasticarum. Dejecti Diaconi Adrianum apud Mauritium Imp., quasi ecclesiæ patrimonium distraxisset, aliorumque criminum accusarunt, quod scilicet Stephanum Diaconum ob vitam turpissime actam, loco non movisset, & infantes baptizari prohibuisset, qui postea, sine baptismate defuncti fuerant. Adriani causam Imperator Larissæ Episcopo delegaverat, qui Adrianum condemnavit, provocantemque ad Augustum in arctissimam custodiam detrusit. At is ob vim sibi adhibitam ad Imperatorem appellavit, qui eamdem causam Honorato Diacono S. Sedis Aprocrisario, & Sebastiano Antigrapho seu Notario commisit, qui auditis partibus, Adrianum ab impactis criminibus innoxium fuisse declararunt. At Adriani adversarii ab Imperatore impetrarunt; ut eadem causa a Ioanne primæ Justinianeæ Episcopo iterum examinaretur, qui *Divino humanoque jure comtemto*, *abruptam in condemnatione Hadriani sententiam protulit*.

De causa Thebani Episcopi.

16. At Gregorius Adrianum injuste depositum, in pristinam

S Greg. Adrianum Episcopum injuste depositū suæ sedi restituit.

JESU CHR. AN. 592.

stinam restituit dignitatem, eumque ac ejus ecclesiam ab jurisdictione Larisei Episcopi (quod jam a Pelagio 2. constitutum fuerat) exemptam esse declaravit; Joanni autem Larissæ excommunicationis pœnam ejus præsumptioni, ac prevaricationi debitam remisit, ea lege ut inposterum ab omni exercenda jurisdictione in ecclesiam Thebanam, se se abstineret. Cum Joanne vero Episcopo Justinianeæ, ac Apostolicæ Sedis vicario severius agendum censuit, cujus sententiam in Adrianum latam, non solum irritam dixit, sed eum a sacra communione remotum, per triginta dies, pœnitentiam agere compulit, ex quibus sane apparet Romanum Pontificem judicem in causis Episcoporum totius christiani orbis fuisse. Basnagius quidem Calvinista. *In eos Episcopos auctoritatem exercuisse nil miri* (ait). *Cum Illirici Præfectura, ad quam pertinebant, Patriarchæ Romani ditioni includeretur*. Mirabitur fortasse, tunc cum viderit Gregorium in alios Episcopos Patriarchatui Romano non subditos, eamdem exercere jurisdictionem, sed quid dico in Episcopos, aliis Patriarchis subditos, cum eamdem jurisdictionem in Patriarchas ipsos exercuerint Romani Pontificis, ut innumeris constat exemplis.

Basnag. ann. 592. num. 9. in fine.

S. Gregorii ad Januarium Calar. Episc. admonitio.

17. Alteram hoc tempore ad Gregorium Pontificem querelam detulit Isidorus quidam vir illustris, se injuste scilicet ab Januario Calaritano in Sardinia Episcopo excommunicatum fuisse conquerens. Quam ob causam hæc Januario scripsit. *Inter querelas autem multiplices, Isidorus vir clarissimus a Fraternitate tua, frustra se excommunicatum anathematizatumque conquestus est. Quod ob quam rem factum fuerit, dum a clerico tuo, qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisi pro eo, quod te injuriaverat, factum innotuit. Quæ res nos vehementer affligit. Quod si ita est, nil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te conversationem habere significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis invexisti. Unde de cetero omnino esto circumspectus atque sollicitus, & talia cuiquam pro defensione propriæ injuriæ tuæ inferre denuo ne præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum.*

lib. 2. epist. 49.

De Paulo Episc. ecclesiæ Neapoli. curatore.

18. Hæc ad Januarium Gregorius, qui sicut Episcopos illatas sibi vindicantes injurias reprehendit, ita patienter perferen-

ferentes, præsto erat. Cum enim Paulus, cui Neapolitanæ ecclesiæ administratio commissa fuerat, non verba tantum, sed verbera etiam in quadam seditione, ab famulo Clementiæ Illustris fœminæ pertulisset, ad vindictam tanti sceleris exurgens Gregorius scripsit ad secularem judicem, ut delinquentes debita pœna afficeret, in quam rem plurimæ extant Gregorii epistolæ ad Petrum subdiaconum Campaniæ, nec non ad ipsum Paulum Episcopum, qui talia passus fuerat, quem his verbis consolatur. *Ut ergo ad majorem Fraternitatis tuæ gloriam applicetur, hæc res constantiam tuam nec frangere, nec a via debet veritatis avertere. Nam major in Sacerdotibus merces est, in veritatis tramite, etiam post injurias permanere*. Porro Paulum paulo post ex hac vita migrasse docent ejusdem S. Pontificis epistolæ mense decembri scriptæ de Neapolitano Episcopo eligendo, eo quod, qui electus fuerat Florentius Subdiaconus Sedis Apostolicæ, onus subire recusaverat.

Greg. lib. 2. epist. 1. 2.

Greg. lib. 3 epist. 15.

19. Pontificatus sui initio S. Gregorius Petro subdiacono Procuratori patrimonii S. Petri in Sicilia vices suas delegaverat, ac Episcopis ejusdem Insulæ, ut singulis annis in synodum convenirent, jusserat. Unde in epistola ad eos, cum Pontifex ordinatus esset scripta, ajebat. *Quamobrem Petro subdiacono sedis nostræ, intra Provinciam Siciliam vices nostras, Deo auxiliante commisimus. Nec enim de ejus actibus dubitare possumus, cui Deo auxiliante totum nostræ ecclesiæ noscimur patrimonium commisisse. Illud quoque fieri debere perspeximus, ut semel per annum, ad Syracusanam, sive Catanensium civitatem, universaliter honore, quo dignum est, sicut eidem jussimus, Fraternitas vestra conveniat, quatenus, quæ ad utilitatem ipsius Provinciæ ecclesiarum pertinent, sive ad necessitatem pauperum, oppressorumque sublevandam, sive ad admonitionem omnium, atque correctionem eorum, quorum excessus contigerit demonstrari, congrua cum eodem Petro subdiacono sedis nostræ debeatis moderatione disponere*. Permolestum fortasse fuit Episcopis Siculis subesse Subdiacono, etsi sedis Apostolicæ Vicario, qua propter S. Gregorius hoc anno, S.Maximiano Syracusano Episcopo vices suas commisit in tota Sicilia, quam dignitatem non loco tribuit, sed personæ. Majores tamen causas, difficilioresque, ad se referri voluit.

S.Maximiano vices suas in Sicilia delegat.

Greg. lib. 1. epist. 7.

Jesu Chr. an. 592.

Qui ad Episcopatum promovendi ex sententia S. Greg.

20. In epistola altera, paulopost ad eumdem data, ut curiosè inquireret, num alicubi latitarent episcopatu digni, ut eos ad pastoralem curam provehere posset, Maximianum admonuit. *Felix vir consularis præsentium lator, edocuit nos, esse quemdam in illis partibus Presbyterum, qui ad Episcopatus ordinem provehi vitæ merito dignus appareat; Hunc ergo Fraternitas tua coram se deduci faciat, eumque sicut certus sum, propter animæ periculum diligenter examinet. Quem si ad hunc gradum provehi idoneum esse perspexerit, ad nos studeat destinare, ut eum disponente Deo, loco, cui prævíderimus, possimus ordinare Pastorem*. Illos præcipue Episcopatu dignos judicabat S. Pontifex, qui tantum onus (Angelicis etiam humeris formidandum, ut ajunt Patres Concilii Tridentini,) latitando declinabant, nam qui sponte ad Episcopatum se offerebat, aut pro se rogabat, jam judicatus erat, ex sententia S. Bernardi, ac Episcopatu indignum se prodebat. Inter causas ad Gregorium hoc tempore ex variis provinciis delatas, cum Florentius Epidauri Episcopus injuria se sede sua dejectum fuisse diceret, iterato judicio ejus causam retractari Gregorius voluit, Gregorium vero Agrigenti Episcopum Romam ad dicendam causam vocavit, Leonem autem Catanensem, eadem de causa, cum Romæ adesset, ut ab objectis criminibus se alienum esse probaret, supra corpus B. Petri Apostoli jurare permisit, aut compulit; uti alias a sanctis viris factitatum fuisse scimus.

S. Bern. de Consid. lib. 4. cap. 4. ad Eugenium Pp.

Greg. lib. 3. epist. 12.
Greg. lib. 2. epist. 33.
August. ep. 137.

21. Nec in Episcoporum tantum crimina vindicabat S. Gregorius, sed si quem vel latum unguem a recto tramite declinare sciebat, corrigere, ac admonere non recusabat. Hinc cum audisset ex epistolis Bonifacii Episcopi Reginensis, eum de bonis operibus humanas captare laudes, ut humilitatem retineret, his verbis admonuit. *Quibusdam venientibus agnovi Fraternitatem tuam, misericordiæ operibus vehementer insistere, atque Omnipotenti Deo gratias retuli: quia juxta egregii prædicatoris vocem, nunc vivimus, si vos statis in Domino. Sed illud, fateor, non leviter mentem meam momordit, quod eadem opera multis vos ipsi nunciastis: ex quo recollegi, quod mens vestra non studeat Dei oculis, sed humano judicio placere. Unde necesse est, frater carissime, ut cum bona opera exterius agis, hæc interius magna cautela custodias, ne appetitus placendi homini-*

minibus subrepat, & omnis labor boni operis incassum fiat, &c.

22. Cumque ex toto orbe christiano Apostolorum limina visitaturi adessent peregrini, cum Gregorium adibant, de Episcoporum moribus & actibus, eos S. Pontifex interrogabat. Unde ad Secundinum de Mariniano Ravennatensium Episcopo, anno 595. post Joannem ordinato. *Venerunt*, inquit, *quidam ad me in quibus erant senes mendicantes: qui a me discussi sunt, a quibus quid acceperint, & per singula retulerunt quanta eis, & a quibus in itinere data sint. Quos dum sollicite de prædicto Fratre requirerem, quid eis dedisset: responderunt se eum rogasse, sed ab eo se omnino nihil accepisse, ita ut neque panem in via acceperint, quem dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis dicens: non habeo quod vobis dare possim. Et miror, si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet; quod pauperibus debeat dare, non habet. Dic ergo ei, ut cum loco mutet & mentem. Non sibi credat solam lectionem, & orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, & de manu minime fructificare: sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.* Hæc Gregorius, quibus solertem ejus curam in investigandis Episcoporum moribus, iisque corrigendis comprobatur, in eamdem rem invigilare voluit Romanæ ecclesiæ ministros in diversas Provincias mitti solitos ad curanda negotia. Quare ad Castorium Diaconum scribebat. *Non solum de eo* (Pisauriensi scilicet Episcopo), *sed de aliorum quoque Sacerdotum te vita convenit esse sollicitum. Et si de quolibet sinistrum quippiam sentire potueris, nobis renuntiare festina, ut actuum pravitas salubriter cum Dei solatio debeat emendari.* Diaconi enim cum sint oculi Episcoporum, per hos Gregorius, quidquid ageretur ubique, sellicite inspiciebat. Vacantium vero ecclesiarum, quousque deligerentur Episcopi, quantam sollicitudinem gereret, testes sunt quamplurimæ ejusdem epistolæ singulis annis scriptæ.

S. Gregorius investigator morum Episcoporum.

Greg. lib. 6. epist. 30.

Greg. lib. 5. epist. 28.

Greg. lib. 1. 16. 26. 37. 45. alibique.

23. Nec Monasticam præteriit disciplinam, & ut sanctissimis moribus viverent, non semel monachos excitavit; nam audi quid scripserit ad Eusebium Abbatem, cum questus esset, aliquid injuste se passum ab Episcopo. *Et quidem*, inquit, *ab illo, hoc, quod factum est, minime fieri debuit:*

Quid a monachis S. Gregorius exigeret.

JESU CHR. AN. 592.

debuit: a te tamen omnino debuit cum humilitate suscipi; & rursum cum gratiam reddebat, ad eum cum gratiarum actione debuit occurri. Quod quia ita a te factum non est: adhuc cognosco quia nobis omnino lacrymarum opus est. Non enim grande est, iis nos esse humiles, a quibus honoramur: quia & hoc seculares quilibet faciunt. Sed illis maxime humiles esse debemus, a quibus aliqua patimur. Nam psalmista ait: vide humilitatem de inimicis meis. Nos cujus vitæ sumus, qui humiles esse etiam Patribus nolumus? Sed quo Gregorii progreditur immensa charitas? Hunc ipsum quem arguit, dono misso demulcet: nam in fine Epistolæ: *Centum*, inquit, *solidos per Petrum subdiaconum dilectioni tuæ doni fecimus, quos peto ut absque injuria sui suscipiat.* Ceterum qui de quolibet privato monacho propensiorem adeo curam gessit, majorem sane adhibuit, ut monachorum Præfecti, quam sanctissime viverent. Qualiter enim Abbas gerere se debeat in suo munere, idem scribens ad Joannem Abbatem, hæc habet: *Non frequenter foras egrediaris. In causis istis procuratorem institue, & tu ad lectionem vaca. De hospitalitate esto sollicitus. Quantum potes pauperibus largire, ita tamen, ut serves quod Floriano restitui debeat.*

Greg. lib. 2. epist. 30.

Psalm. 9.

Greg. lib. 3. epist. 3.

De Peregrinatiõe ad loca sancta.

24. Hæc de monachis; Addamus etiam aliqua de tanti Pontificis cura in laicorum vita corrigenda, qui non solum peccantes arguebat, sed etiam torpentes, ut in via perfectionis currerent, excitabat. Unde ad Rusticianam nobilem fœminam, eo quod peregrinationis votum distulisset, hæc scribebat. *Valde autem miratus sum, cur deliberatæ viæ eundi ad loca Sancta intentionem, & votum boni operis deflexisti, dum si quando bonum aliquid dono Conditoris in corde concipitur, celeri necesse est devotione compleri: ne dum callidus insidiator animum irretire nititur, subinde impedimenta suggerat, quibus ad effectum minime desideria sua mens occupationibus debilitata perducat. Unde necesse est Excellentiam vestram omnibus impedimentis piis causis obviantibus anteire, &c.* Ad eamdem fœminam duæ adhuc inferius extant Epistolæ. Ceterum sicut bene agentibus stimulos addidit, ita contumacibus resistebat; ut constat ex his, quæ ad Petrum Subdiaconum Campaniæ scribit. *Sicut in judiciis laicorum privilegia turbare non cupimus, ita eis præjudicantibus moderata te*

Greg. lib. 8. epist. 22. & lib. 11. epist. 44.

Greg. lib. 3. epist. 5.

te volumus auctoritate resistere. Violentos namque laicos coercere, non contra leges est agere, sed ferre subsidium, &c. ac subdit de violentia illata viduæ a laico homine, qui ejusdem bona per vim auferre cupiebat, cui ut totis viribus resisteret admonuit.

Jesu Chr. an. 592.

25. Cum vero Vestis S. Joannis Evangelistæ hoc tempore inventa fuerit, ut ad se eam mitteret Joannem Abatem S. Gregorius rogavit, eamdemque sub Altare S. Joannis in basilica Constantiniana locasse narrat Joannes Diaconus, qui addit. *Quæ quidem vestes usque hactenus tantis miraculis coruscare probantur, ut siccitatis tempore foras excussæ, pluviam conferant, inundationis vero serenitatem reducunt.* Si etenim sola umbra corporis Petri, vel Pauli sudaria infirmis delata, morbos curabant, nil mirum S. Joannis Evangelistæ vestem eadem prodigia patrasse.

Inventio vestis S. Joannis.

Greg. lib. 3. epist. 3. Joānes Diac. in vita S. Gregor.

26. Restat adhuc ut de homiliis super Evangelia, quas Gregorius hisce annis ad populum habuit nonnulla dicamus, earum trigesimam octavam hoc anno dictam fuisse, inde constat, quod ante triennium urbem peste afflictam fuisse in ea narrat. Has porro homilias in sacra Evangelia numero quadraginta, eodem ordine quo recitatæ sunt, editæ fuerunt, ut ex earum scimus Præfatione, qua habet. *Inter sacra Missarum solemnia, ex his quæ diebus certis in hac Ecclesia legi ex more solent Sancti Evangelii, quadraginta lectiones exposui. Et quarumdam quidem dictata expositio, assistenti plebi est per Notarium recitata, quarumdam vero explanationem coram populo ipse locutus sum, atque ita ut loquebar, ita excepta est.* Et paulo post: *Easdem quoque Homilias eo quo dicta sunt ordine in duobus Codicibus ponere curavi: ut & priores viginti quæ dictatæ sunt, & posteriores totidem, quæ sub oculis dictæ, in singulis essent distinatæ corporibus. Quod vero quædam antepositæ sunt, quæ in Evangelio post leguntur; quædam vero postpositæ, quæ ante per Evangelistam scripta sunt, inveniuntur: nequaquam movere tuam fraternitatem debet, quia sicut a me diversis temporibus dictatæ sunt, ita quoque sunt ab exceptoribus in codicibus affixæ.* Hæc ad Secundinum Episcopum Taurom enitanum, cum ad eum homilias suas misisset.

De Homiliis S. Greg. in Evangelia.

Greg. post præf. ad homilias tom. 1.

27. Multa quidem mira, ac magna iis in homiliis ad populum narravit Gregorius, ut auditores in Dei amorem,

&

JESU CHR. AN. 592.

& ad ceteras virtutes excitaret, cujusmodi sunt ea, quæ in homilia 39. narrat de Monacho quodam, cui nomen Martyrius erat; qui cum inventum in via leprosum humeris suis sustulisset, Jesum Christum sub leprosi persona portare visus est; *Unde cum ad monasterii fores propinquaret, spiritalis pater hujus monasterii magnis vocibus clamare cœpit: Currite, januas monasterii citius aperite, quia frater Martyrius venit, Dominum portans. Statim vero, ut Martyrius ad monasterii aditum pervenit: is qui leprosus esse putabatur de collo ejus exiliens, & in ea specie apparens, qua recognosci ab hominibus solet Redemptor humani generis Deus & Homo Christus Jesus, ad cœlum, Martyrio aspiciente, rediit; eique ascendens, dixit, Martyri, tu me non erubuisti super terram; ego te non erubescam super cœlos: Qui sanctus vir, mox ut monasterium ingressus, ei pater monasterii dixit: Frater Martyri, ubi est quem portabas? Cui ille respondens: dixit: Ego si scivissem quis esset, pedes illius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat; quia cum eum portasset, pondus ejus minime sensisset. Nec mirum. Quomodo enim pondus sentire poterat, qui portantem portabat? Qua in re pensandum est nobis, quantum fraterna compassio valeat, quantum nos Omnipotenti Deo misericordiæ viscera conjungunt, &c.*

Martyrius Christum ferre in leprosi specie visus est.

De S. Redempta, & Romula.

28. Ut cetera prætereamus, quæ in iis homiliis ad populi instructionem passim S. Gregorius refert, hoc unum de Redempta, & Romula sanctis virginibus addimus exemplum utpote fide dignissimum. *Rem*, inquit, *Fratres refero, quam bene is, qui præsto est, frater & compræsbyter meus Speciosus novit. Eodem tempore, quo monasterium petii, anus quædam Redempta nomine in sanctimoniali habitu constituta, in Urbe hac, juxta B. Mariæ Virginis Ecclesiam manebat. Hæc illius Herundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens, super Prænesticos montes vitam eremiticam duxisse ferebatur. Huic duæ in eodem habitu discipulæ adhærebant, una nomine Romula, & altera, quæ nunc adhuc superest, quam quidem facie scio, sed nomine nescio. Tres itaque hæ uno habitaculo commanentes. morum quidem divitiis plenam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Hæc autem, quam præfatus sum Romula aliam, ut prædixi condiscipulam magnis vitæ meritis anteibat: erat quippe miræ patientiæ, summæ obedientiæ, custos oris sui ad silentium, studiosa*

diosa valde ad continuæ orationis usum. Sed quia plerumque hi, quos jam perfectos, homines æstimant, adhuc in oculis summi opificis aliquid imperfectionis habent: sicut sæpe imperiti homines nec dum perfecte sculpta sigilla conspicimus, & jam quasi perfecta laudamus, quæ adhuc artifex considerat, & limat; laudari jam audit, & tamen ea tundere meliorando non desinit; hæc quam prædiximus Romula, eam quam Græco vocabulo Græci paralysin vocant, molestia corporali percussa est, multisque annis in lectulo decubans, pene omnium jacebat membrorum officio destituta, nec tamen hæc eadem ejus mentem ad impatientiam flagella perduxerant: nam ipsa ei detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum; quia tanto solicitius ad usum orationis succreverat, quanto & aliud quodlibet agere nequaquam valebat.

Redemptæ morienti assistunt Angeli.

29. Nocte ergo quadam eadem Redempta, quam præfatus sum, quæ utrasque discipulas suas filiarum loco nutriebat, vocavit, dicens: Mater veni. Quæ mox cum alia ejus condiscipula surrexit; sicut utrisque referentibus, & multis eadem res claruit, & ego quoque eodem tempore agnovi. Cumque noctis medio, lectulo jacentes assisterent: subito cælitus lux emissa omne illius cellulæ spatium implevit, & splendor tantæ claritatis emicuit, ut corda assistentium inæstimabili pavore perstringeret, atque (ut post ipsæ referebant) omne in eis corpus obrigesceret, & in subito stupore remanerent. Cœpit namque quasi cujusdam magnæ multitudinis ingredientis sonitus audiri, ostium cellulæ concuti, ac si ingredientium turba premeretur. Atque (ut dicebant) intrantium multitudinem sentiebant, sed nimietate timoris, & luminis videre nihil poterant: quia earum oculos, & pavor depresserat, & ipsa tanti luminis claritas reverberabat. Quam lucem protinus miri odoris fragrantia subsecuta; ita ut earum animum, quia lux emissa terruerat, odoris suavitas refoveret. Sed cum vim claritatis illius ferre non possent, cœpit eadem Romula assistentem sibi, & trementem Redemptam suorum morum magistram blanda voce consolari, dicens: Noli timere, Mater, non moriar modo. Cumque hoc illa crebro diceret, paulatim lux, quæ fuerit immissa, subtracta est, sed is qui subsecutus est odor remansit. Sicque dies secundus, & tertius transiit, ut aspersa fragrantia odoris remaneret. Nocte ergo quarta

eadem

Jesu Chr. An. 592.

eadem magistram suam iterum vocavit. Qua veniente, viaticum petiis, & accepit, nec dum vero eadem Redempta, & alia ejus discipula a lectulo jacentis abscesserant, & ecce subito in platea ante ejusdem cellulæ ostium duo chori psallentium astiterant, & (sicut ipsæ se dicebant secus ex vocibus discrevisse) psalmodiæ cantus dicebant viri, & fœminæ respondebant. Cumque ante fores cellulæ exhiberentur celestes exequiæ, sancta illa anima carne soluta est. Qua ad Cœlum ducta; quanto Chori psallentium altius ascendebant, tanto cœpit psalmodia lenius audiri, quousque & ejusdem psalmodiæ sonitus, & odoris suavitas elongata finiretur. Hactenus Gregorius ad populum, eo sermone, quem de Lazaro, & divite immisericorde habuit. Perseverant vero in tabulis ecclesiasticis nomina Romulæ, atque Redemptæ Virginum, & Herundinis. Corpora vero earumdem in eadem basilica S. Mariæ ad Præsepe in Confessione collocata coluntur: Sed de gestis S. Gregorii hoc anno satis.

Mart. Rom. die 23. Julii

Synodus Cæsaraugustana ejusque canones. *Tom. 5. concil. 1606.*

30. CæsarAugustana Synodus, Principis Reccardi anno septimo celebrata est, cui Episcopi tredecim, vel quatuordecim interfuere. Artemius Terraconensis Provinciæ Metropolitanus Synodo præfuit, sub die Kalendarum Novembrium Æra sexcentesima trigesima. In ea Synodo tres canones editi sunt. Primus, *qui ex Ariano errore conversi ad pietatem presbyteri, puram fidem atque castissimam tenuerint vitam, acceptam denuo benedictionem presbyterii, sancte ac pure ministrare debeant*. Cum Episcopi in integrum restituebantur, coram Altari Orarium, annulum, & Baculum recipiebant, ex concilio Toletano IV. Presbyteri per solam benedictionem ad officii sui, exercitium restituebantur. Canone 2. cautum est, ut *Arianorum reliquiæ prolatæ a Sacerdotibus, in quorum ecclesiis reperiuntur, Pontificibus præsentatæ igne probentur*. Qui eas occultaverit ab ecclesia ejiciatur. Ex quibus vides, quantam diligentiam majores adhibuerint, ne quid adulterinum in sacris reciperetur. Tertius canon jubet, ut si Ariani Præsules ecclesias sub nomine catholicæ fidei consecrarint, necdum benedictione percepta, illæ rursus ab Episcopo catholico consecrentur, hactenus de Cæseraugustana Synodo.

Concil. Tolet. 4. Can. 18.

Mauritius Imper. Traciam pergit CPolim redit.

31. Mauritius vero Imperator pace cum Persis inita, ut anno superiori diximus, in Avares, eorumque ducem Chaganum

num arma convertit, ac Regia urbe egressus, dum Thraciæ urbem Anchilim contendit, & usque septimum pervenisset; eo die sol pene totus est obscuratus. Accidit illa Æclipsis juxta Calvisium in opere chronologico die decimanona Martii feria quarta, non vero septima, ut ibidem errore typographi legitur, horis post mediam noctem decem Constantinopoli, idque anno quingentesimo nonagesimo secundo. Ejusdem Æclipsis calculum pleniorem descripsit Petavius, adeo ut certo constet hoc anno, deliquium illud solare Constantinopoli visum fuisse, indeque intelligimus Chosroen anno quinquentesimo nonagesimo primo in Regnum restitutum fuisse, & anno currenti, tranquillis in Oriente Imperii rebus, Mauritium Augustum copias exinde in Occidente transtulisse. Post paucos dies de adventu legatorum Regis Francorum certior factus Mauritius CPlim rediit. *Die Tertio*, inquit Theophylatus, (post reditum) *Legati Celtiberorum, qui hodie Franci, Botto, & Bettus in urbe adsunt. Hujus gentis Princeps Theodoricus tributum pro societate cum Romanis coeunda, & pretium pro bello adversus Chaganum gerendo paciscebatur. Qui legatos muneratus humaniter, & barbaros a Romanis exigere pecuniam inique patiens, hortatur Francos, ut citra stipendium, seu vectigal, quod postulabant, armorum societate secum devinci vellent. Chaganus item pacta tributa augeri a Cesare contendebat, cui cum aurum non daretur continuo bellum moliri &c.* Theophilatus loco Childeperti, Theodoricum per errorem scripsit, cujus Regni initia ad annum quinquentesimum nonagesimum sextum alliganda sunt.

Petavius de doct. Temp. pag. 853.

Theophyl. lib. 6. cap. 3.

Theophil. lib. 6. cap. 4. 6. 10. 11. Niceph. lib. 18.

32. Hujus belli administrationem Prisco commisit Mauritius, cui paulopost fratrem ejus Petrum substituit; qui cum male rem gesisset, eo amoto iterum Priscus exercitui præficitur, cui S. Gregorius Papa scribens admonuit, ut in variis fortunæ casibus humilitatem sectaretur, neque prosperis extolleretur. *Si vitæ istius cursum veraciter attendamus, nihil in eo firmum, nihil invenimus stabile; sed quemadmodum via modo per plana, modo per aspera graditur, sic nobis utique in hac vita manentibus nunc prosperitas, nunc occurrit adversitas. Denique alternis sibi succedunt temporibus, & mutua se vice confundunt, Dum igitur omnia in hoc mundo mutabilitatis ordo confundit, nec elevari prosperis, nec frangi debemus adversis. Tota ergo mente ad illum nos* con-

Gregorii epist. ad Priscum exercitus ducem. *Theophyl. lib. 7. cap. 5. Greg. lib. 3. epist. 52.*

JESU CHR. AN. 592.

convenit anhelare, ubi quicquid est, firmum permanet, ubi non mutatur adversitate prosperitas. In hac ergo vita miro Dei Omnipotentis moderamine idcirco agitur, ut vel prosperitatem adversitas, vel adversitatem prosperitas subsequatur: quatenus & humiliati discamus quicquid delinquimus flere, & iterum exaltati adversitatis memoriam, quasi humilitatis anchoram in mente teneamus, &c. Hæc & alia ad Priscum cum in Mauritii gratiam rediisset S. Gregorius. Unde *Vos perfectam Dominorum gratiam auctore omnipotente Deo reparasse cognovimus*. Quæ sane ad annum proximum, vel etiam ad annum 594. pertinent; ubi de bello per Petrum, & Priscum adversus Avares gesto, sermo redibit.

Miraculum S. Gliceriæ Martyris.

33. Cum ad bellum adversus Chaganum, & Avares gerendum properaret Mauritius, Perinthum navigans, exorta tempestate vix salvus evasit. Quare Heracleam Thraciæ delatus. *Gliceriæ Martyris templum ingressus, & quam maxime illud veneratus, pecuniam insuper ad partes ejus illato per Abares incendio vastatus, ac prolapsas iterum excitandas exornandasque erogavit*. Ex Glyceriæ sepulchro unguentum miræ suavitatis ac virtutis profluxisse narrant historici Græci, Tcophilatus, & Nicephorus, ac portentum sub Mauritio Imperatore accidisse narrant; cum Sancta Martyr, vas quoddam argenteum, quod malefactoribus, & maleficiis usui fuerat, adeo detestata est, ut unguentum dare recusaverit; eaque occasione, cum malefici detecti essent, debitas scelerum pœnas dederunt; nam subdit. *Ea res ubi ad Imperatoris aures per primariæ sedis Episcopum (Joannes is jejunator erat) relata est, Princeps ab eodem Episcopo, ad reos capitali supplicio persequendos excitatus est; nam is resipiscentia atque pœnitentia crimen corrigere voluit. Judicium igitur maximum cogitur, & maleficorum multitudo ingens producitur. Qui in gravem carcerem conjecti, ad supplicia, debitas persoluturi pœnas producti sunt. Inter quos Paulinus in palum summa parte hiantem actus turpiter vitam finiit, cum prius cædem filii sui spectator fuisset: siquidem & hunc abunde impostura & maleficii portentis imbuerat. Atque hoc ita est gestum*: ait Nicephorus.

Theopil. lib. 1. 11. & lib. 6. cap. 1. Niceph. lib. 18. cap. 28. & 32.

Mauritius Imp. quærit de veritate Miraculi S. Euphemiæ.

34. Eadem quoque gratia pollebat Sanctissima Martyr Euphemia, nam eo die, quo natalis ipsius celebritas recurrebat, e sacro ejus corpore liquorem cum sanguine admixto emit-

emittebat. Contigit autem aliquando, ut Mauritius Imp. tale miraculum crederet, hominum fallacia, ad populi credulitatem fovendam evenire, unde de veritate miraculi experimentum sumere præsumpsit. *Hoc igitur auditum* (sicut dixi) *animi quadam vecordia in dubium revocans Mauritius, cum tempus appeteret, argenteum ornatum ex sepulchro detrahit, & imperiali signo monumentum martyris obsignat: sic enim hoc incredulitatis volebat audacia. Postquam autem tempus ipsum quod debebat advenit, curiosè mysterium indagat, accuratiusque experimento solito miraculum explorat. Ecce tibi vero rursus, sicut ante, sanguis unguento conditus instar rivuli e monumento promanat, & spongiæ sanguine suaveolenti pinguescunt: & martyr ipsa, tum ut prolixius sanguinis fons proflueret, fecit. Atque illa ad hunc modum Imperatoris incredulitatem erudiens, castigavit. Ipse autem digitis sanguini admotis, eoque humore delibutis, se ipsum sanctificando conspersit; & re ipsa, ut id crederet persuasus, deinceps cum admiratione laudes suas clara voce martyri tribuit*. Hucusque Nicephorus; eadem habentur apud Theophylatum in Mauritiana historia.

Theoph. lib. 8. cap. 14.

35. Hoc præterea tempore claruisse in Perside insignem fœminam christianam, eamdemque corona martyrii auctam, tradit Evagrius, aliique historici. *Eodem tempore vixit apud nos Golanduch Martyr, quæ multa tormenta perpessa, & a Magis Persis graviter excruciata, martyrii coronam, post magna miracula, quæ ediderat, assequuta est. Cujus vita ab antiquiore Stephano Hierapolis Episcopo litteris mandata est*: ait Evagrius. Ejusdemque gesta breviter enarrat Theophilatus, cujus memoria, die decimatertia Julii recolitur apud Græcos, ut videre est in Menologio, & manuscripto Synaxario Græco ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod Parisiis servatur in bibliotheca Collegii Lodovici Magni.

De Martyre Cholinducta.

Niceph. lib. 18. cap. 24.

Theophil. lib. 5. c. 12.

JESU CHRISTI AN. 593. GREGORII PAPÆ 4. MAURITII IMP. 12. AGILLUPHI LONGOBARD. REGIS 4.

1. Anno Quingentesimo nonagesimo tertio legem Mauritius Imp. vulgaverat, ac S. Gregorio miserat, qua milites monasteria ingredi prohibuerat nisi expleta militia, aut propter corporis infirmitatem missionem obtinuissent. Cumque eo edi-

De lege Mauritii Imper. qua milites in monasteria in-

Jesu Chr. an. 593. gredi prohibebat. Greg. lib. 3. epist. 65. Greg. eadem epist.

edicto *Multis Cælorum via clauderetur*, ut ajebat Gregorius, fieri non potuit, quin ægre id ferret S. Pontifex, qui alioquin alterum ejusdem legis caput probavit, quo Curiales, secularibus adhuc negotiis implicatos, ab ecclesiasticis dignitatibus excludebat. *Evidentissime sciens*, inquit, *quia qui secularem habitum deserens, ad ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult seculum non relinquere*. Quare S. Gregorius ea lege accepta, qua Pontificem decebat libertate, ut eam revocaret, Imperatorem his verbis admonuit. *Omnipotenti Deo reus est, qui Serenissimis Dominis in omne quod agit, & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione, neque ut Episcopus, neque ut servus jure Reipublicæ, sed jure privato loquor, quia Serenissime Domine ex illo jam tempore Dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium non eras. Longino viro clarissimo Stratore veniente, dominorum legem suscepi, ad quam, fatigatus tunc ægritudine corporis respondere nil valui. In qua dominorum pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valde laudavi, evidentissime sciens, quia qui secularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult seculum, non relinquere. Quod vero in eadem lege dicitur, ut ei in monasterio converti non liceat: omnino miratus sum, dum & rationes ejus possint per monasterium fieri, & agi potest, ut ab eo loco in quo suscipitur, ejus quoque debita solvantur. Nam & si quisquam devota mente converti voluisset, prius res male ablata redderet, & de sua anima tanto verius, quanto expeditior cogitaret. In qua lege subjunctum est, ut nulli, qui in manu signatus est, converti liceat*. Erat istiusmodi militibus apponi solitum signum, quo a ceteris dignoscerentur, ut etiam ex iis, quæ subdit, apparet. Sed pergit: *Quam constitutionem ego (fateor dominis meis) vehementer expavi: quia per eam cælorum via clauditur; & quod nunc usque licuit, ne liceat, prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum seculari habitu ducere: Plerique & sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. Ego vero hæc dominis meis loquens quid sum nisi pulvis, & vermis? Sed tamen quia contra authorem omnium Deum hanc intendere constitutionem sentio, dominis tacere non possum. Ad hoc enim pote-*

potestas dominorum meorum pietati cælitus data est super omnes homines, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut cælorum via largius pateat, ut terrestre regnum cælesti regno famuletur. Ecce aperta voce dicitur, ut ei, qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Jesu Christo militare non liceat. Ad hæc ecce per me servum ultimum suum, & vestrum respondebit Christo dicens: Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite exubitorum Cæsarem, & de Cæsare Imperatorem, nec solum hoc, sed etiam Patrem Imperatorum feci. Ego sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu a meo servitio milites tuos subtrahis? Responde, rogo, piissime Domine, servo tuo. Quid venienti, & hæc dicenti responsurus es in judicio Domino tuo? Sed fortasse creditur, quia nullus eorum puro animo convertatur. Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in monasterio milites conversi miracula fecerunt, signa & virtutes operati sunt. Sed per hanc legem jam, ne quisquam talium converti valeat, prohibetur. Requirat, rogo, dominus meus piissimus, quis prior Imperatorum talem legem dederit; & subtilius æstimet, si debuit dari. Et quidem considerandum valde est, quia eo jam tempore prohibentur quique relinquere seculum, quo appropinquat finis ipse seculorum. Ecce enim mora non erit, & ardente cœlo, ardente terra, coruscantibus elementis, cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, cum Principatibus, & Potestatibus tremendus Judex apparebit. Si omnia peccata dimiserit, & solam hanc legem contra se dixerit esse prolatam: quæ rogo, erit excusatio? Unde per eumdem judicem deprecor, illæ tantæ lacrymæ, tantæ orationes, tanta jejunia, tantæque eleemosinæ domini mei, ex qualibet occasione apud Omnipotentis Dei oculos fuscentur, sed aut temperando pietas vestra, aut immutando vigorem ejus legis inflectat: quia tunc magis dominorum exercitus contra hostes crescit, quanto Dei exercitus ad orationem creverit. Ego quidem jussioni subjectus, eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa Omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nunciavi. Utrobique ergo quæ debui, exolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro eo quod sensi, minime tacui.

2. Ha-

Jesu Chr. an. 593.

S. Gregorii ep. ad Theodorum Medicum.

Greg. lib. 3. epist. 66.

2. Hactenus Gregorius Papa ad Mauritium Imperatorem, eamque epistolam misit ad Theodorum Imperatoris Archiatrum, seu Medicorum principem, rogans, ut Imperatori traderet, apud quem gratia plurimum valebat, atque ut apud Imperatorem ageret, ut vulgata lex revocaretur, his eum verbis excitavit. *Quanta bona omnipotentis Dei, & Serenissimi Domini mei Imperatoris habeam, lingua mea non sufficit explere. Pro quibus bonis quid est meum retribuere, nisi eorum vestigia pure amare? Peccatis autem meis facientibus (ex quorum suggestione vel consilio, nescio, an vestro) transacto anno talem in republica sua legem protulit, ut quisquis eum pure amat, flere vehementer debeat. Ad quam legem tunc respondere non potui, quia ægrotus fui: modo autem eidem domino aliqua suggessi. Præcepit enim, ut nullus, qui actionem publicam egit, nullus qui officio, & manu signatus, vel inter milites fuit habitus, ei in monasterio converti liceat, nisi forte si militia ejus fuerit expleta. Quam legem primum (sicut ii dicunt, qui leges veteres noverunt) Julianus protulit, de quo scimus omnes, quantum Deo adversus fuerit. Quod si ideo Serenissimus Dominus noster fecit, quia forte multi milites convertebantur, & exercitus decrescebat: numquid per virtutem militum subjugavit ei omnipotens Deus Imperium Persarum? Nunquid non solæ lacrymæ illius auditæ sunt, & eo ordine quem ipse nescivit, ejus Imperio Persarum regnum subdidit? Valde autem mihi durum videtur, ut ab ejus servitio milites suos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiam sacerdotibus concessit. Numquid si intentio est servandarum rerum: non poterant ea ipsa monasteria, quæ milites susceepissent, alienas res reddere, atque ad conversionem homines tantummodo habere? Hæc quia mihi valde dolent, eidem domino suggessi; sed vestra gloria opportuno tempore secrete suggestionem meam ei offerat: Nolo eam a Responsali meo publice dari, quia vos, qui ei familiarius servitis, loqui ei liberius, & apertius potestis, quæ pro ejus sunt anima: quoniam in multis est occupatus, & vix animus ejus invenitur a curis majoribus vacuus. Tu quidem, gloriose fili, pro Christo loquere. Si auditus fueris, lucrum operatus es animæ prædicti domini tui, & tuæ: si vero auditus non fueris, lucrum solummodo tuæ fecisti.*

Qua ratio.

3. Hactenus ad Theodorum Gregorius. Quid in hac causa

sa egerit Theodorus ignoratur. At dubitari vix potest, Imperatorem Gregorii litteris, & Theodori consiliis motum, de sua lege aliquid remisisse; Nam aliquot post annos, Eusebio Tessalonicensi, Urbitio Diracitano, Constantio Mediolanensi, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthiorum, Joanni Primæ Justiniane, Joanni Cretensi Scoritano, Joanni Larissæ, Mariniano Ravennæ, Januario Caralis Sardiniæ, & Episcopis Siciliæ scribens S. Gregorius, Curiales æque, ac milites certis sub conditionibus, recipiendos esse jubet his verbis. *Legem, quam piissimus Imperator dedit, ne fortasse hi, qui militiæ, vel rationibus sunt publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in monasteriis convertantur, vestræ studui fraternitati transmittere: hoc maxime exhortans, quod hi qui seculi actionibus implicati sunt, in clero Ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt: quia dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter quam vixerant vivunt, nequaquam student seculum fugere sed mutare. Quod si etiam tales quoque monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius actionibus publicis absoluti fuerint. Si qui vero ex militaribus viris in monasteriis converti festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita. Et juxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum, Deo auctore, suscipere. Qui si ita sunt probati atque suscepti, & pro anima sua pœnitentiam de perpetratis culpis agere student; pro eorum vita, & lucro cœlesti non est eorum conversio renuenda. Qua de re etiam Serenissimus, & Christianissimus Imperator (mihi credite) omnimodo placatur, & libenter eorum conversionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit.* Hæc Gregorius, ex quibus patet, in duobus fuisse emendatum Imperatoris edictum, primum in eo, quod prohiberet, actionibus publicis implicatos, nullo modo recipiendos in monasterio. Nam eos Gregorius recipiendos esse jubet, cum iisdem obligationibus fuerint absoluti, alterum cum Imperator statuisset, milites nonnisi expleto militiæ tempore monasterium ingredi posse, Gregorius e contra eosdem milites, post congruam probationem recipi, & retineri præcepit.

JESU CHR. AN. 593.

ne Curiales & milites in monasteriis recipiendi essent.

Greg. lib. 8. epist. 5.

4. Mauritii Imp. legem ab Gregorio, antequam eam vulgaret,

Cujus au-

garet, emendatam, ac correctam fuisse adnotavit Baronius, atque id ex auctoritate, qua Præfecti Prætorio pollebant, cujus vices quodammodo tunc Romanus Pontifex gerebat, egisse addit De Marcha. Justinianus quippe Joanni Præfecto Prætorii scribens jusserat, ut si quæ per obreptionem in Reipublicæ detrimentum Imperator jussisset, ea nequaquam executioni mandaret antequam. *Ad nos relationem cadere pertulerit, quo magis si quid, ut potest fieri, ad detrimentum Reipublicæ factum ut id corrigamus.* At dubitari vix potest, legem ipsam statim ac a Mauritio acceperat, vulgasse. Unde scribere potuit: *Eamdem legem per diversas terrarum partes, transmitti feci, & quia lex ipsa Omnipotenti Deo minime concordat; Ecce nuntiavi.* At zelo &, sollicitudine sua, & datis litteris, & Theodori opera effecit, ut eam Mauritius emendari ab ipso Gregorio permitteret; Unde non multos post annos, qua conditione Curiales, & milites in monasteriis recipiendi essent, data ad Episcopos epistola supracitata edocuit.

[Margin: ...ctoritate Mauritii lex correcta fuerit. *De Marcha de Concordia Sacerdotii & Imp. lib. 2. cap. 11.* *Novella 152*]

[Margin: Sabinianum diaconum Apocrisarium mittit CPlim]

5. Cum Sabinianum Romanæ Sedis Apocrysarium hoc tempore CPolim misisset S. Gregorius, proficiscenti litteras ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum dedit, quibus cum Joanne conqueritur, eo quod admonitionem non ea, qua decebat humilitate suscepisset. Joannem arguerat S. Gregorius, eo quod monachum quemdam presbyterum, fustibus in ecclesia tundi jusserat, aut saltem permiserat. Non extant illæ quidem priores ad Joannem increpatoriæ epistolæ, ex etiam exciderunt, quæ subinsenso, atque irato animo ad Gregorium Joannes scripserat, iram adeo spirantes, ut dubitaverit ipse Gregorius, num revera ab ipso Joanne scriptæ fuissent; Unde ad eum iterum scribens ajebat. *Quamvis causæ consideratio me movet ad scribendum, tamen & charitas impellit: quia & semel, & bis sanctissimo fratri meo Domno Joanni scripsi, sed non ejus epistolas recepi: alter enim mihi secularis quidam sub ejus nomine loquebatur. Quæ si epistolæ ejus fuerint, ego vigilans non fui, qui longe de eo aliter credidi, quam inveni. De causa enim Reverendissimi Viri Joannis Præsbyteri scripseram, atque de quæstionibus Monachorum Isauriæ, quorum unus & in Sacerdotio positus, in Ecclesia vestra fustibus cæsus est; & rescripsit mihi (sicut ex nomine epistolæ agnosco) Sanctissima fraternitas tua, quia nescierit de qua causa*

[Margin: *Greg. lib. 3. epist. 33.*]

causa scriberem. Ad quod scriptum vehementer obstupui, mecum tacitus volvens, si verum dicit, quid esse deterius, potest, quam ut agantur talia contra servos Dei, & ipse nesciat qui præsto est? Quæ enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit? Si autem scivit Sanctitas vestra, & de qua causa scripserim, & quid vel contra Joannem præsbyterum, vel contra Anastasium Isauriæ monachum atque præsbyterum gestum sit, & mihi scripsit contra hoc: ego nesciam quidquid respondeam; quando per scripturam suam veritas dicit: Os quod mentitur, occidit animam. Requiro, frater sanctissime: illa tanta abstinentia ad hoc pervenit, ut fratri suo ea quæ novit gesta, negando velit abscondere? Numquid non melius fuerat illud os carnes ad vescendum ingredi, quam de eo falsum sermonem ad illum proximum exire? Præcipue cum veritas dicat. Non quod intrat in os coinquinat hominem, &c. Demum vero de his quæ ad causam spectant hæc ad finem subjicit. *Sed etiam nunc jam dico, aut easdem personas in suis ordinibus suscipe, eisque quietem præbe: aut si hoc fortasse nolueris, omne mihi altercatione proposita, de eorum causa statuta majorum, & canonum terminos custodi. Si vero neutrum feceris, nos quidem rixam inferre nolumus, sed tamen venientem a vobis non devitamus. Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt canones dicant, bene vestra fraternitas novit. Pastores etenim facti sumus, non percussores. Et egregius Prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Nova vero, atque inaudita est prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Sed de his multa in epistolis loqui non debeo: quia dilectissimum filium meum Sabinianum diaconum pro responsis ecclesiasticis faciendis ad dominorum vestigia transmisi, qui vobiscum cuncta subtilius loquitur, &c.*

Aliæ Gregorii epistolæ ad viros illustres datæ.

6. Ex his intelligis injuriam passos a suis etiam Patriarchis ad Romanum Pontificem appellasse, eorumque auxilium implorasse. Vetitum quippe ecclesiasticis regulis erat aliquem fustibus cædi, virgis vero reum subjicere permitebatur; vide Espenseum digressione in Timotheum lib.2. cap.3. hanc virgarum percussionem correptionis causa, saltem pro gravioribus, & mortalibus culpis licitam aliquando fuisse constat ex Bracharensi concilio 3. canone 5., Agathensi canone 14. Publicæ virgarum percussioni addictum ab Episcopo

JESU CHR. AN. 593.

clericum Canonicum feculo 12. refert auctor vitæ S. Thomæ Cantuarienfis, innumera alia fequentium feculorum exempla prætereamus. Ad Sabinianum redimus, quem Prifco viro illuftri, commendavit; ac ad Theotimum etiam Imperatoris medicum. Ad Narfetem vero Patricium fcribens injuria fibi Joannem Conftantinopolitanum Epifcopum adverfari adnotat his verbis. *De caufa vero presbyterorum quæ cum Fratre meo & Coepifcopo, viro Reverendiffimo Joanne Patriarcha agitur, ipfum, puto, adverfarium patimur, quem afferis velle canones cuftodire; Charitati autem tuæ breviter fateor, quia omni pondere, eamdem caufam auxiliante omnipotente Deo, exigere paratus fum. In qua fi videro Sedis Apoftolicæ canones non fervari, dabit omnipotens Deus, quid contra comtemptores ejus faciam.*

Numidiæ concilium irritat S. Greg.

7. Eadem Apoftolica libertate, qua Conftantinopolitanum Patriarcham ob violatos canones coarguit, Numidiæ quoque concilium irritavit, atque caffavit, eo quod nonnulla contra ecclefiafticas regulas in eo ftatuta fuerant, ac ut in ea provincia fynodus haberetur, datis ad Adeodatum Provinciæ Numidiæ Primatem, litteris jufferat Gregorius, atque ad Columbum ejufdem provinciæ Epifcopum, ea de caufa fcribens, claves B. Petri, in quibus de catenis ipfius erat tranfmiferat. Cumque in ea fynodo nefcio quæ contra canonum auctoritatem ftatuiffent; Statim ac gefta ibidem ad Gregorium delata funt, pro canonum obfervantia follicitus, irritanda cenfuit hæc ad Gennadium Exarchum fcribens. *Satis credimus religiofæ excellentiæ veftræ mentem adverfus ea maxime quæ in Ecclefiis geruntur incongrua, divini auctoris æmulatione fuccendi. Tanto igitur Ecclefiafticarum correptionem caufarum vobis libenter ingerimus, quanto de pia veftra mentis intentione confidimus. Cognofcat fiquidem excellentia veftra, quibufdam de Africanis portibus venientibus ad nos fuiffe perlatum, plura in concilio Numidiæ contra Patrum tramitem, atque canonum ftatuta committi. Quarum rerum frequentes querelas, quia diutius tolerare nullatenus potuimus, Columbo fratri, & Coepifcopo noftro, de cujus gravitate ipfa ejus quæ percrebuit dubitare jam non permittit opinio, commifimus perquirendas. Quamobrem paterno falutantes affectu, hortamur excellentiam veftram, in cunctis, quæ ad Ecclefiafticam correptionem pertinent, veftri robur ei fubrogetis auxi-*

auxilii: ne si quod male geritur, quæsitum vel vindicatum non fuerit, longorum usurpatione temporum, cum majori licentia in futuris crescat excessibus. Scito autem, excellentissime fili, si victorias quæritis, si de commissæ vobis Provinciæ securitate tractatis, nihil vobis magis aliud ad hoc proficere, quam zelari Sacerdotum vitas, & intestina Ecclesiarum, quantum possibile est, bella compescere. Hæc ad Gennadium: ex quibus perspicue intelligis Romani Pontificis esse, facta decreta ab aliis Episcopis in eorum conciliis probare, si ecclesiæ canonibus consonent, rejicere vero, atque cassare, cum iisdem adversantur.

Gregorii ep. ad Theodolindam Reginam Longob.

8. Cum vero Istriæ, & Venetiarum Episcopi, qui ut supra diximus, ob trium capitulorum condemnationem, schisma fecerant, in eoque obstinate perseverantes, Theodolindam Reginam in suas partes trahere conarentur, ac periculum esset, ne tota Longobardorum natio Reginæ exemplo, in schismaticorum communionem transiret, ne id accideret, sollite curans S. Gregorius, Joannem Abbatem, & Hipolitum Notarium, ad Theodolindam Reginam cum litteris suis misit, quibus eam, quid sub Justiniano in causa trium capitulorum actum esset, edocuit, atque ut a schismaticorum fraude caveret, his verbis admonuit. *Quorumdam ad nos relatione pervenit, ab aliquibus Episcopis gloriam vestram usque ad hoc scandalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perductam, ut sese a Catholicæ unanimitatis communione suspenderet. Quod quantum vos pure diligimus, tantum de vobis fortius dolemus, quia vos imperitis, stultisque hominibus creditis, qui non solum ea, quæ loquuntur nesciunt, sed vix ea percipere, quæ audierint, possunt. Dicunt enim piæ memoriæ Justiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem Synodum fuisse constituta; qui dum neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi finxerunt. Nos enim teste conscientia, fatemur de fide ejusdem sancti Chalcedonensis Concilii nihil motum, nihil esse violatum, Sed quicquid prædicti Justiniani temporibus actum est, ita actum est ut fidei Chalcedonensis Concilii in nullo vexaretur. Si quis autem contra ejusdem Synodi fidem aliquid loqui præsumit, vel sapere, nos ejus sensum sub anathematis interpositione detestamur. Cum ergo integritatem nostram ex conscientiæ nostræ attestatione cognoscitis, superest ut*

JESU CHR. AN. 593. *ut nunquam vos a Catholicæ Ecclesiæ communione separetis: ne tot vestræ lacrymæ, tantaque bona opera pereant, si a fide vera inveniuntur aliena. Decet ergo gloriam vestram ad reverendissimum fratrem, & Coepiscopum meum Constantium, cujus & fides, & vita bene olim mihi approbata est, sub omni celeritate transmittere, eique directis vestris epistolis indicare ordinationem ejus, quam benigne suscepistis, & quia ab ejus Ecclesiæ communione in nullo separamini. Quamvis in hac re non vobis superflue dicere arbitror: quia etsi quid in vestro animo dubietatis fuit, veniente filio meo Joanne Abbate, atque Hippolyto Notario, ex corde vestro arbitror fuisse sublatum.* Hæc ad Teodolindam Reginam Gregorius.

De Constanti ordinatione in Mediol. Episcop.

9. De Constantii ordinatione, cujus ibidem mentio fit nunc agimus, qui Mediolanensis Episcopus hoc anno post Laurentium juniorem est ordinatus, ut ex Gregorii epistolis constat, quarum una extat ad Clerum Mediolanensem de ordinando Constantio ejusdem Ecclesiæ Diacono. Hunc quidem Gregorius cum CP. Pelagii Apocrysarius esset, familiarem habuerat; atque irreprehensibilem noverat; pro ejus tamen electione nullum officium inpendere voluit: propositum animo servans in Episcoporum electionibus se abstinere; ut in eadem epistola testatur. *Cum in urbe Regia responsa Sedis Apostolicæ facerem, longo mihi tempore adhæsit, sed nihil unquam in illo quod reprehendi passim potuisset inveni. Verumtamen quia antiqua meæ deliberationis intentio est, ad suscipienda pastoralis curæ opera, pro nullis unquam misceri persona, orationibus prosequor electionem vestram.* Hæc ipse, hortans eos, ut quem optimum cernerent, eum eligerent, simulque ostendit quam esset infelix ejus Ecclesiæ ob tot bella conditio; ait enim: *Sed quia juxta meritum plebium solent superno judicio personæ provideri pastorum, vos spiritualia quærite, cælestia amate, temporalia ut fugitiva despicite, & certissimum tenete, quia placentem Deo pastorem habebitis, si vos in vestris actibus Deo placetis. Ecce jam mundi hujus omnia perdita conspicimus, quæ in sacris paginis audiebamus peritura. Eversæ Urbes, castra eruta, Ecclesiæ destructæ nullus terram vestram cultor inabitat: in nobis paucissimis, qui ad modicum derelicti sumus cum superne persecutionis cladibus, humanus gladius incessanter sævit.* Quod ait derelictam cultoribus terram Mediolanensium pro-

Greg. lib. 3.

probe convenit iis, quæ superius dicta sunt, nimirum Francos infesto exercitu eam provinciam invasisse, atque homines in Gallias captivos abduxisse.

Constantii Mediol. epis. electio a S. Gregorio confirmatur.

10. Ubi vero electum novit Constantium, de ejus consecratione, quæ absque consensu Apostolicæ sedis fieri non poterat, hæc ad Joannem Subdiaconum scripsit. *Quanto Apostolica sedes, Deo auctore, cunctis Prælata constet ecclesiis: tanto inter multiplices curas, & illa nos valde sollicitat, ubi ad consecrandum Antistitem nostrum expectatur arbitrium ec.* Voluit quoque ut Mediolanentium civium, qui Genuam ob barbaricum metum confugerant, consensus exquireretur, electum vero Episcopum Romano Exarcho commendavit; Ad ipsum vero electum Episcopum Constantium scribens, ut in Pastorali cura sollicite ageret, hortatus est, atque ut Episcopos suæ provinciæ, qui ab ejus se communione trium capitulorum causa recesserant, ad unitatem sollicite revocare conaretur, admonuit. *Dilectissimus Filius meus Bonifacius Diaconus quiddam mihi ex scripto Fraternitatis tuæ secreto nunciavit, quod exquisita occasione potius quam inventa, tres se Episcopi a pia fraternitatis vestræ communione separaverint, dicentes, vos in damnationem Trium capitulorum consensisse, atque cautione fecisse. Et quidem si quid de Tribus capitulis in quocumque vel verbo, vel scripto nominatum est, bene fraternitas tua reminiscitur quatenus* decessor fraternitatis tuæ *Laurentius districtissimam cautionem sedi Apostolicæ emiserit, in qua viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt, inter quos ego quoque tunc urbanam Præturam gerens pariter subscripsi. Quia postquam talis scissura pro nulla re facta est, justum fuit, ut sedes Apostolica curam gereret, quatenus unitatem universalis Ecclesiæ in sacerdotum mentibus per omnia custodiret. Quod autem dicitur, filiam nostram Theodolindam Reginam sese a communione tua, hoc audito nuncio, suspendisse: constat per omnia, quia etsi pravorum hominum verbis ad paululum seducta est, venientibus tamen Hippolito Notario, & Joanne Abbate, erit modis omnibus vestræ fraternitatis communionem quæsitura. Cui etiam meas epistolas direxi, quas fraternitas vestra sine dilatione transmittat. De Episcopis vero qui se suspendere visi sunt, aliam epistolam feci, quam cum eis ostendi feceris, eos non ambigo de superstitione suæ superbiæ apud fraternitatem tuam pa-*

JESU CHR. AN. 593.

pœnitentiam acturos. Epistola quidem ad Episcopos schismaticos scripta, non extat; At hæc altera ad eumdem Constantium ab eodem Gregorio scripta superest; qua idem retractat argumentum. Pervenit ad nos, quod quidam Episcopi vestræ Diœcesis, exquirentes occasionem potius quam invenientes, sese scindere a Fraternitatis vestræ unitate tentaverint dicentes te apud Romanam urbem in trium Capitulorum damnationem cautionem fecisse. Quod videlicet idcirco dicunt, quia quantum fraternitati, tuæ etiam sine cautione credere soleam, nesciunt. Si enim hoc esset necessarium fieri, verbis nullus vobis credi potuisset. Ego tamen nominata inter nos, neque verbo, neque scripto tria capitula recolo. Sed eis, si citius revertuntur de suo errore parcendum est: quia juxta Paoli Apostoli vocem: *Non intelligunt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Nos enim auctore veritate, teste conscientia, fatemur, nos fidem sanctæ Chalcedonensis Synodi per omnia illibatam costodire, nihilque ejus definitioni addere, nihil subtrahere audere. Sed si quis contra eam, ejusdem Synodi fidem, sive plus minusve ad sapiendum appetit usurpare, eum omni dilatione postposita anathematizamus, atque a sinu matris Ecclesiæ alienum esse decernimus. Quem igitur ista mea confessio non sanet, non jam Chalcedonensem Synodum diligit, sed matris Ecclesiæ sinum odit. Si ergo ea ipsa quæ audere visi sunt, zelo loqui animæ præsumpserunt: superest hac satisfactione suscepta, ad Fraternitatis tuæ unitatem redeant, seque a corpore Christi, quod est Sancta universalis Ecclesia, non dividant. Hactenus Gregorius, cujus zelo & sollicitudine, tandem Theodolinda Regina ad ecclesiæ unitatem, relicto schismate rediit, ut infra suo loco dicturi sumus.

Qua ratione schismaticis satisfacere possent Constantius.

11. Quia vero schismatici a Constantio Mediolanensi Episcopo nuper creato, exigebant, ut tria capitula in Quinta synodo damnata, tueretur, eosque, qui ea damnabant, condemnaret, Constantius de his Gregorium cousulendum censuit, cui in hæc verba respondet. *Scriptis Sanctitatis vestræ percursis, in gravi vos merore esse cognovimus, maxime propter Episcopum, & Cives Brixiæ, qui vobis mandant, ut eis epistolam transmittatis, in qua jurare debeatis, vos Tria capitula minime damnasse. Quod si decessor fraternitatis vestræ Laurentius non fecit, a vobis quæri non debet: si autem fecit*,

cit, aut cum universali Ecclesia non fuit, aut cautionis suæ juramenta transcendit. Sed quia eumdem virum sua credimus sacramenta servasse, atque in unitate Ecclesiæ permansisse; dubium non est quod nulli Episcoporum suorum juraverit, se Tria capitula minime damnasse. Sed ne hi, qui vobis ista scripserunt, scandalizari videantur, transmittite eis epistolam, in qua sub anathematis interpositione fateamini, neque vos aliquid de fide Chalcedonensis Synodi imminuere, neque eos qui imminuunt recipere: & quoscumque damnavit, damnare, & quoscumque absolvit, absolvere. Unde credo eis posse celerrime satisfieri. Hac pariter professione & ipse Gregorius ab iisdem schismaticis impetitus (ut vidimus) satisfecit. Quod vero Joannem Ravennatem Episcopum acerrimum quintæ synodi defensorem idem Constantius nominare soleret in Missis, inde etiam iisdem Shisinaticis scandali occasio data est non recipiendi suum ipsorum Episcopum Constantium, nisi ab eius nominatione desisteret. De quibus hæc rescripsit ad eum Gregorius: *Quod autem scripsistis, quia scandalizantur plurimi eorum, quia fratrem, & Coepiscopum nostrum Joannem Ravennatis Ecclesiæ inter Missarum solemnia nominetis: requirenda vobis consuetudo antiqua est. Et si consuetudo fuit, modo a stultis hominibus reprehendenda non est. Si vero consuetudo non fuit, fieri non debet, unde quibusdam scandalum moveri possit. Tamen sollicite perquirere stude, si idem Joannes frater, & Coepiscopus noster, vos ad Altare nominet, quod minime dicunt fieri. Et si ille vestri nominis memoriam non facit: quæ necessitas cogat, ignoro, ut vos illius faciatis.* Hæc quidem ex more. Verum quod non nominando Joannem tunc jam cœptum nominari, potuisset scandalum suboriri, quod ejus communionem, qui defensor Quintæ Synodi esset, rejecisset; idcirco ad ea quæ dixit, ista mox addidit: *Quod quidem si sine aliquorum scandalo fieri potest, vos tale aliquid facere valde laudabile est: quia quam charitatem erga fratres vestros habetis, ostenditis.* Porro ad hos curandos eo usque progreditur Gregorius, ut ad tempus de Quinta Synodo commendet silentium, cujus causa schisma esset obortum: quod quidem absque scrupulo læsæ catholicæ Fidei fieri posse demonstrat, cum in ea (quod alias sæpe professus fuerat) non de fide, sed de personis sit actum. Subdit his ergo Gregorius.

11. Quod

Jesu Chr. An. 593.
De epist. ad Theodolindam ad tempus suppressa

12. Quod autem scripsistis, quia epistolam meam Reginæ Theodolindæ transmittere minime voluistis, pro eo quod in ea Quinta Synodus nominabatur: Si eam exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est, ut minime transmitteretis. Unde nunc ita facimus, sicut vobis placuit ut quatuor Synodos solummodo laudaremus. De illa tamen Synodo, quæ in Constantinopoli facta postmodum est, quæ a multis Quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor Synodos constituerit, vel senserit; quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur: Nos autem sicut voluistis, ita fecimus, ut ejusdem Synodi nullam memoriam faceremus. Hactenus ad Constantium Gregorius; Epistola autem Gregorii, quæ Reginæ Teodolindæ tradita non fuit, eo quod in ea synodi quintæ mentionem Gregorius fecerat, ipsa est epistola sexta, quam paulo ante recitavimus, in ejus autem locum, alteram postea scripsit, in qua nulla Quintæ synodi mentio occurrit, ac si hæc excipias, eadem continet, quæ in altera scripserat; Unde eam hoc loco inserere superfluum judicamus.

S. Gregorius scribit quatuor dialogorum libros.

13. Dum laboribus, & angustiis undique premeretur, Sanctus Pontifex, ad modicum tempus amicam repetiit solitudinem, non otiosam inertemque in ea vitam acturus, sed ad scribendos Dialogorum libros. Locus, ubi recessit fuit monasterium S. Andreæ ad Clivum Tauri, ut notatum a doctissimo viro, ubi in bibliotheca hæc antiqua inscriptio legitur.

Sanctorum veneranda cohors sedet ordine
Divinæ legis mystica dicta docens.
Hos inter residens Agapetus jure Sacerdos
Codicibus pulchrum condidit arte locum
Gratia par cunctis, Sanctus labor omnibus unus,
Dissona verba quidem, sed tamen una fides.

Ad eam suscipiendam provinciam, a pluribus se excitatum fuisse narrat S. Pontifex in epistola ad Maximianum Siracusanum Episcopum his verbis. *Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audivimus, sub brevitate scri-*

scribere. Ad quam rem solatio vestræ charitatis vehementer indigeo, ut ea quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognovisse vos contigit mihi breviter indicetis: De domno enim Nonnoso Abbate, qui juxta domnum Anastasium de Pentumis fuit, aliqua retulisse te memini, quæ oblivioni mandavi. Et hoc igitur, & si qua sunt talia, tuis peto epistolis imprimi, & mihi sub celeritate trasmitti, si tamen ad me ipse non properas. Ab his accensus Gregorius, secretum, amicumque mœrori locum petiit. Solitudinis socium habuit Petrum diaconum, virum sibi a multis annis familiarem. Ad tantum opus perficiendum collegerat S. Gregorius res gestas a viris sanctitate præclaris præsertim eorum, qui in Italia, ac sua ætate floruerant. Quamobrem Maximianum rogaverat, ut quæ in eam rem eidem nota erant, sibi referret, eademque ab aliis expetiisse compertum est, ac ex præfatione ad libros Dialogorum idem ipse testatur his verbis. *Ea, quæ mihi sunt virorum venerabilium narratione comperta, incunctanter narro sacræ auctoritatis exemplo, cum mihi luce clarius constet, quia Marcus, & Lucas Evangelium quod scripserunt, non visu, sed auditu didicerunt. Sed ut dubitationis occasionem legentibus subtraham, per singula quæ describo, quibus hæc auctoribus mihi comperta sint, manifesto. Hoc vero scire te cupio, quia in quibusdam sensum solummodo, in quibusdam vero, & verba cum sensu teneo; Seniorum valde venerabilium didici relatione quod narro &c.*

Dialogi libri Gregorio vindicantur.

14. Dialogorum libros tanquam nugis fabulisque refertos Gregorio Magno nonnulli abjudicarunt; aut tanto Pontifici indignos judicarunt. Utrosque tamen egregie falli apertissimis argumentis demonstrarunt Mabillonius, Gassumvileus aliique, ut plura addere superfluum sit, & sane eosdem libros Gregorio inscribendos esse, tum catholici, cum heterodoxi fatentur; Ex his tamen plurimi nimiæ credulitatis, ne dicam stolidæ simplicitatis Gregorium arguunt, quasi nugas, ac aniles fabulas, iis in libris sanctus vir collegerit, posterisque tradiderit. Unde Basnagius: *Si verum placet*, inquit, *non se dignum Gregorius fecit, qui tot fabulas in unum fasciculum collegit sine delectu, sine judicio, solis sane credulis tantum placituras*, idem de his judicium ferunt Caveus, & Odinus, ut liberiorem Melchioris Cani, aut Dupinii de iisdem libris censuram prætereamus. Quibus etsi conceda-

 mus

JESU CHR. AN. 593.

mus, faciliores aliquando aures iis præbuisse, qui mira sanctorum dicta, aut gesta eidem narrarunt, eaque in suis Dialogorum libris ad confirmanda ecclesiæ dogmata, aut ad christianorum mores corrigendos, posteritati tradidit; si in eo inquam aliquid peccavit Gregorius, error pietatis fuit; neque eam sibi fidem præstari voluit, quam sacris historicis & canonicis sacræ scripturæ libris catholici exhibent, sed eam fidem, quam sibi passim historici vindicant, itaut juxta Apostoli monitum, in iis ea servetur regula; *Omnia probate, quod bonum est, tenete*. Quæ sane non in unius Gregorii libris servanda sunt; sed in ceteris quoque ecclesiæ Patribus, & scriptoribus, dum historias scribunt, aut dicta, vel facta aliorum referunt. Ceterum quantum ii libri tum apud Latinos, tum apud Græcos, cum eos Zacharias Papa post centum annos in Græcum transtulit, in prætio fuerint; longum esset exponere. Qui plura de his scire cupit Maurinum Gregorii editorem adeat, ubi integram de libris Gregorii Apologiam inveniet.

Joannis apud Gregorium excusatio.

15. Cum relatione accepisset S. Gregorius quod Joannes Ravennatensis Episcopus, præter majorum consuetudinem, pallio passim uteretur, quo tantum in solemnioribus festis, ubi licebat, gravissimis eum Gregorius admonuit, & ne receptum iam morem præteriret, jussit. Joannes vero etsi primum subirato animo correctionem accepisset; re tamen serius considerata, paulopost Gregorio rescribens, se in omnibus Romanæ ecclesiæ, Romanisque Pontificibus obsequentissimum fore, his verbis testatus est, *Recolo me in sinu, atque gremio sacrosanctæ ecclesiæ vestræ Romanæ enutritum, & Deo auxiliante provectum. Et quibus ausibus ego sanctissimæ illi sedi, quæ universali Ecclesiæ jura sua transmittit, præsumpserim obviare, propter cujus conservandam auctoritatem* (sicut Deo manifestum est) *multorum contra me inimicorum invidiam graviter excitavi?* Et in fine: *Quia ergo universa privilegia, quæ sanctæ Ravennati Ecclesiæ a prædecessoribus vestris indulta sunt, pro majori satisfactione subjeci, in feriniis venerabilibus, secundum consecrationem decessorum meorum tempora, fidem nihilominus repetitis: Nunc vero in Dei, & vestra est potestate, quicquid veritate cognita fieri jusseritis. Quoniam ego jussionibus Apostolatus domini mei parere desiderans* (quamvis antiqua consuetudo obtinuit) *usque ad san-*

sanctam jussionem parere curavi. Hæc Joannes, Privilegia Ravennatis ecclesiæ a Romanis Pontificibus, non vero ab Imperatoribus, ut a nonnullis traditur, concessa & tributa fuisse sincero animo profitens.

Felix Sipontinus Episc. a S. Gregorio redarguitur.

16. Quanta autem diligentia in Episcoporum mores inquireret, eorumque peccata vindicaret, aut negligentiam argueret, innumeris fere constat exemplis. Hoc anno Felicem Sipontinum Episcopum graviter reprehendit, eo quod ejusdem nepos stuprum in episcopali domo perpetraverat, in eo vel maxime reprehensione dignus, quod domui suæ præesse nesciret. His autem eum verbis compellat. *Expectabamus Fraternitatem tuam, sua aliquos ad Deum prædicatione convertere, & male agentes ad rectitudinem revocare. Qua de re nimis contristamur, quia e diverso in Nepotis tui Felicis pravitate, tua evidenter, qui talem nutristi, culpa monstrata est. Pervenit, itaque ad nos, quod suprascriptus Felix Evangeli tui Diaconi filiam, quod nefas est dici, stupro deceperit. Quod si verum est, quamvis gravi esset pœna plectendus, nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, hujuscemodi disponentes præcipimus: ut aut quam stupravit uxorem habeat, aut certe si renuendum putaverit, districtius ac corporaliter castigatus excommunicatusque, in monasterium, ubi pœnitentiam peragat, retrudatur: de quo ei nulla sit egrediendi, sine nostra præceptione licentia. Ita ergo Fraternitas tua, ut hæc compleantur, studeat, quatenus nihil de his aliquo modo possit omitti. Nam si quid, quod non credimus, lentatum fuerit, & illi grave postea periculum imminebit, & te non levis incipiet culpa respicere*. Insuper cum accepisset eumdem Episcopum Sipontinæ ecclesiæ bona distraxisse, duos ad eum Notarios misit, qui sive Matriculam (ut dicebatur) conficerent de rebus mobilibus ejusdem ecclesiæ, ac tandem eo quod ecclesiæ suæ clericum ab hostibus captum, de bonis ecclesiæ non redemerit, ut eodem prætio, quo ipse se redimerat, scilicet solidorum centum duodecim, eum quoque a servitute redimeret, jussit. *Nam valde durum est*, inquit, *si de ecclesia in qua militat, remedium nullum inveniat*. Agathoni autem Liparitano Episcopo, in ordinem redacto, ut alimenta ex Liparitanæ Ecclesiæ redditibus tribuerentur, jussit, hæc ad Maximianum scribens. *Propterea Fraternitas tua ad Liparitanam ecclesiam, in qua supradictus Agatho Sacerdotis gessit*

JESU CHR. AN. 593.

gessit officium, festinet dirigere, eique ad præsens exinde quinquaginta solidos, qui in ejus possint proficere victum, transmittat. Nam nimis est impium si alimoniorum necessitati post vindictam subjaceat. Bonifacium etiam Regitanum Episcopum redarguit, eo quod cleri sui moribus, ac famæ satis non consuleret, ac ut Subdiaconi inposterum continentiam servarent, jussit.

De ordinatione Episcopi Salonæ.

17. Ecclesiæ etiam Salonitanæ, ac ceterarum Dalmatiæ curam gessit Sanctus Pontifex; nam cum earum regionum Episcopi, secularibus, ut plurimum negotiis intenti, animarum curam abjecissent, ac eo tempore Natalis Salonitanus Episcopus, & Dalmatiæ Metropolitanus decessisset, Maximum quemdam seculari tantum fastu, & auctoritate præditum Episcopum Salonæ ordinare destinaverant, Honorato ejusdem ecclesiæ Archidiacono spreto, viro virtutum omnium laude ornatissimo, quem clerus populusque Salonitanus elegerat. Ob quam rem S. Gregorins ad universos Dalmatiæ Episcopos scripsit, ut nullum in Salonitanum Episcopum, nisi consulta prius Apostolica sede ordinare præsumerent. Secus excommunicatos, & a participatione Corporis, & Sanguinis Domini abstentos denuntiavit, nominatim vero Maximo manus imponere prohibuit, his verbis. *Oportuerat quidem Fraternitatem vestram, divini respectu judicis clausis carnalibus oculis, nihil quod ad Deum pertinet a recta mentis intentione omittere, ne cujuslibet hominis faciem rectitudini justitiæ præponere. Sed postquam mores vestri ita sunt secularibus traducti negotiis, ut obliviscentes omnes sacerdotalis in vobis honoris tramitem, spretumque superni metus intuitum, non quid Deo, sed quid vobis placeat, studeatis explere: necesse habuimus hæc ad vos districtiora specialiter scripta transmittere, quibus ex beati Petri Principis Apostolorum auctoritate præcipimus, ut nulli penitus extra consensum, permissionemque nostram, quantum ad Episcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana Civitate manus præsumatis imponere, nec quemquam in Civitate ipsa aliter quam diximus, ordinare. Quod si contra hæc quippiam vel sponte vestra, vel a quolibet coacti præsumpseritis, vel tentaveritis agere: decernimus vos a Dominici Corporis, & Sanguinis participatione privatos, &c.* Quid in hac causa gestum sit, dum iidem spreto Pontificis mandato Maximum in Episcopum ordinarunt, dicemus anno sequenti. Hoc au-

autem anno, ut Neapolitanæ quoque ecclesiæ Fortunatus eligeretur, sollicitudine sua effecit, quem, ut pastoralem curam gereret, litteris suis admonuit, eique, ut Monasterium Gratiosæ Abbatissæ dedicaret, jussit. Misit etiam Gregorius in Achajam Diaconum, ut causam Hadriani Episcopi cognosceret, etsi inter reum, & accusatores transactum esset. *Ne fortasse*, inquit, *eorum sit comparata concordia, quæ si, quod absit, non ex caritate, sed ex præmio facta constiterit, majori hoc emendatione plectendum est*. Hæc de gestis S. Gregorii hoc anno in causis Episcoporum.

S. Gregorius curam agit de monachis

18. In monastica etiam disciplina tuenda omnem adhibuit Sanctus Gregorius sollicitudinem, ac Abbates non semel admonuit, ut Fratrum suorum saluti, custodiæque invigilarent; Unde ad Joannem Abbatem scribebat. *De Fratrum animabus omnino esto sollicitus. Sufficiat jam quod opinio monasterii per vestram negligentiam inquinata est. Non frequenter foras egrediaris: tu ad lectionem, atque orationem vaca. De Hospitalitate esto sollicitus: quantum potes, pauperibus largire... In ipsis autem Fratribus monasterii tui quos video, non invenio eos ad lectionem vacare. Unde considerare est quantum peccatum est, ut ex aliena oblatione Deus vobis alimoniam transmiserit, & vos mandata Dei discere negligatis*. Præcepit etiam Januario Calaritano Episcopo, ut virum a se probatum destinaret, qui virginum negotia perageret, ne ipsæ cogerentur vagari, aut monasteriis egredi, ut fieri audierat, *per villas*, scilicet *prædiaque discurrere, atque virilibus incompetenter se miscere negotiis*. Maximiano etiam Siracusano Episcopo scribens, jussit, Presbyterum vel clericum Monasteriis non esse præficiendum, nisi ecclesiæ cui inserviebat antea renunciasset, & ne Abbatissa nisi sexagenaria eligeretur, ut ibidem videre est.

Greg. lib. 3. epist. 3.

Greg. lib. 4. epist. 9.

S. Gregorius oppressis subvenit.

19. Ut Afflictos vero variisque calamitatibus oppressos sublevaret, nullo unquam charitatis officio defuit ut innumeris constat exemplis. Hinc Floræ Abatissæ domum ab ecclesia occupatam restitui voluit, Orphanis etiam paterna bona reddi jussit, etsi ecclesiæ obligata essent. Ariminenses cives, ne Episcopo molestiam inferrent gravissimis verbis admonuit. Romano Patritio Armenium orphanum commendavit, ut eidem stipendia quotidiana, unde vivere posset tribueret. Mancipia christiana a Nasate Judæo empta, libertati reddi jus-

JESU CHR. AN. 593.

jussit. Narsetem vero Judæorum sceleratissimum, puniri, quod captandi lucri causa Eliæ Prophetæ nomine altare erexisset Christianos ut prophetam adorarent, *sacrilega seductione*, ut ait Gregorius, invitans. Puellam etiam servituti obnoxiam, monasticam vitam amplecti cupientem, Ecclesiæ pecunia redimi voluit, ut voti compos fieret. Voluit etiam Judæorum ancillas, vel servos, ad ecclesiam fidei causa confugientes, ipsis reddi. Cum autem didicisset in Sicilia quosdam Idolatras, & Angelorum cultores extare, eius loci Episcopum Eutychium admonuit, ut in eorum conversione strenue laboraret.

Temporalium rerum cura non anxie habenda.

20. Bona vero ecclesiæ sic conservari voluit, ut pauperum usui præcipue essent, ut in epistola ad Paschalem Demetianum, & Castorium data testatur. Cum vero ab injustis possessoribus vindicanda erant, non anxio id animo, ut fieret ajebat, sicque interdum justa interveniente causa rapinas bonorum ecclesiæ dissimulabat, ut in epistola ad Italicam Patriciam scribebat. *Illud vero quod in epistolis prædictis revocare, in memoriam nostram excellentia vestra studiose contendit, sciat scriptum vobis, nihil cum scandalo, nihil cum forensi strepitu vobiscum nos velle de causis pauperum definire. Hoc nos & scripsisse meminimus; & scimus nosmetipsos juvante Domino, a causarum litigiis ecclesiastica moderatione compescere, atque secundum Apostolicum illum sensum rapinam bonorum nostrorum cum gaudio sustinere. Sed illud scire vos credimus, taciturnitatem atque patientiam nostram futuris post me Pontificibus in rebus pauperum præjudicium non facturam.*

Greg. lib. 3. epist. 60.

Pauperum curam habet

Greg. lib. 4. epist. 11.

Pauperum tamen causam semper egit, ac ut de bonis ecclesiæ portio ipsis debita redderetur. Maximianum Syracusanum Episcopum admonuit. *Cognovimus namque de redditibus ecclesiarum noviter acquisitis, canonicam dispositionem quartarum minime pervenire, sed Episcopos locorum tantummodo distribuere quartam antiquorum redituum: Nunc vero quæsita suis usibus retinere. Quamobrem pravam subintroductamque consuetudinem fraternitas tua vivaciter emendare festinet.* Curavit insuper ut ecclesiarum vasa in Siciliam a quibusdam Sacerdotibus delata diligenter inquirerentur, ut suis ecclesiis, unde ablata fuerant, restituerentur.

Reliquias pro munere Dynamio mittit S. Gregorius.

21. Vigilantes vero pro bonis ecclesiæ, muneribus cumulavit ac Dynamio Patricio curatori Patrimonii S. Petri in Gal-

Gallis munera misit, cui hæc inter alia scripsit. *Transmisimus autem Beati Petri Apostoli benedictionem, Crucem parvam, cui de Catenis ejus beneficia sunt inserta, quæ illius quidem ad tempus ligaverunt, sed vestra colla in perpetuum a peccatis solvant. Per quatuor vero in circuitu partes, de beati Laurentii Craticula, in qua perustus est beneficia continentur: ut hoc, ubi corpus illius pro veritate crematum est, vestram mentem ad amorem Domini accendat.* Hactenus ad Dignamium. Dubitari vix potest hunc Dignamium eumdem esse de quo Gregorius Turonensis, & Fortunatus cum laude meminerunt. Quanta autem diligentia minima æque ac maxima, publica & privata negotia sanctus Gregorius curaret, ex multis, quæ in exemplum adduci possunt, quædam ex epistola ad Petrum Subdiaconum, & patrimonii Rom. ecclesiæ in Sicilia curatorem, adnotare sat erit, qua inter cetera de jumentis ad se missis narrat. *Præterea unum nobis Caballum miserum, & quinque bonos asinos transmisisti. Cabalum illum sedere non possum, quia miser est: illos autem bonos sedere non possum, quia Asini sunt. Sed petimus ut si nos continere, idest contentos facere disponetis aliquid nobis condignum referatis.* Hæc ipse, qui dum in eleemosinarum largitione effusissimus esset, in iis quæ ad sui corporis usum spectarent pauper adeo erat, ut ne equum haberet, unde ex Sicilia ad se mitti jusserat. Indigna tamen hæc Pontifice non sunt ut ait V. Card. Baronius. *Hæc autem spectanda proponimus* sequitur idem Cardinalis *adversus eos, qui Pontificum decus totum collocant in Regio apparatu, quo si vel minimum careat, imminui penitus putant Pontificiam majestatem. Sed cum & hoc non negligendum putemus; Apostolicum tamen splendorem cælestibus magis intelligant micare radiis, & divinæ præsentiæ, quæ ei assistens invigilat, coruscare fulgoribus; illustrari insuper addito nitore virtutum: cum sciamus pauperrimos sæpe Pontifices extorres, Regibus imperasse, & Imperatores potentissimos infrenasse, atque ad pœnitentiam humi quoque prostrasse.*

Gregorii paupertas, & humilitas.

Bar. ann. 593 num. 60.

22. Hæc aliaque hactenus exposita gessisse Sanctum Pontificem continuis licet tribulationibus & doloribus pressum, idem ipse narrat in epistola ad Narsetem Patricium his verbis. *Peto autem ut ignoscas, quod epistolis tuis sub brevitate respondeo: quia tantis tribulationibus premor, ut mihi neque*

Gregorii ep. ad Narsetem lib. 4. 32.

que legere, neque per epistolas multa loqui liceat. Hoc solum tibi breviter dico, quia oblitus sum manducare panem meum a voce gemitus mei. Cum Narsete Patricio dum Constantinopoli esset, magnam consuetudinem habuerat Gregorius, unde in fine epistolæ addit. *Omnes qui vobiscum sunt, mea peto vice salutari. Domne Dominicæ salutes meas dicite: cui minime respondi, quia cum sit latina, Græca mihi scripsit*. Cui proinde se respondere ob linguæ Græcæ ignorantiam non poterat, cum eam penitus Gregorius ignoraret, ut alibi aperte testatur. *Et quamvis in multis occupatus, quamvis græcæ linguæ nescius, in contentione tamen vestræ iudex resedi*. At sicuti Romæ vix erat, qui Græcas calleret litteras, ita CPli latina lingua penè ignota erat, itaut vix inveniretur, qui latine scripta, in Græcum convertere posset, ut in epistola altera ad Narsetem S. Gregorius. *Quod vero scribitis, ut excellentissimæ filiæ meæ Domnæ Gurdiæ, & sanctissimæ filiæ ejus Domnæ Theoctistæ, & Magnificis earum hominibus Domno Marino, & Domno Christoforo scribere debeam, eosque aliquid de anima sua admonere, bene scit dulcissima vestra magnitudo, quia hodie in Constantinopolitana civitate, qui de latino in Græcum dictata bone transferant non sunt, & sensus minime attendunt, nec verba intelligi faciunt, & sensus fragunt*. Hæc ipse: inter ceteras quippe calamitates, quas Gotorum primum, deinde Longobardorum in Italiam irruptio invexerat; bonarum artium, extinctio numeratur; itaut Romæ & in tota Italia lingua Græca quæ communis olim eruditis viris fuerat, penitus periret; sed & ceteræ disciplinæ, philosophiæ præsertim, & sacrarum litterarum studium exciderat; ac vel ipsa latina lingua a barbaris corrupta temporis tractu a latinis etiam ignoraretur, de quibus plura apud Muratorium antiquit: medii ævi tom. 3. dissert. 43. & 44. Maffeus Veroni Must. aliisque videri possunt.

S.Greg. Græcam linguam nescit. Romæ Græca lingua, & CPoli latina ignoratur.

De obitu Gregorii Episcopi Antiocheni.

23. Hoc anno Mauritii Imperatoris duodecimo Gregorius Episcopus Antiochenus, cum multa pietatis, & catholicæ fidei indicia dedisset, dum suæ Diœcesis loca perlustrans ad catholicam fidem quamplurimos ex Eutychiana seu Severiana hæresi ad catholicam fidem revocasset vivere desiit, ut narrat Evagrius. *Non longo tempore post Gregorius Podagra correptus: qua maxime torquebatur, cum medicamentum ex Hermodactilo (sic enim vocatur) consuetum, quod medicus*

qui-

quidam ei dedisset, & bibisset, exiit e vita. Quem Basnagius anno superiori, Baronius vero anno proximo obiisse scribunt. At Pagius labenti id accidisse ex Evagrio, & ex anno Mauritii 12. ibidem notato probat, ac ex Anastasii Gregorii successoris oratione hoc anno habita cujus hic est titulus. *Anastasii Patriarchæ Antiocheni Oratio, cum post viginti tres annos ad Thronum Patriarchalem reverteretur, habita die vigesimoquinto Martii, feria quarta Sanctæ Hebdomadis, indictione undecima, Imperante Piissimo Mauritio*, qui characteres hunc annum denotant quo Paschæ dies vigesimanona Martii celebratum est; legerat eam orationem Nicephorus Calistus, eamque sermonem pacificum, appellat, aitque Anastasium in ea Mauritium Imperatorem laudibus celebrasse. Anastasius autem Gregorii ita successor dicitur, ut & præcessor fuerit, nam post annos 27., ex quo ejectus fuerat; viveate adhuc Gregorio Papa in suam sedem redierat. Unde Evagrius lib. 6. cap. ultimo de Gregorio adnotat. *Mortuus est in eo tempore, quo senioris quidem Romæ Gregorius successor Pelagii, junioris autem Romæ Joannes Episcopatum gerebat: Alexandrinæ ecclesiæ Eulogius, Antiocheæ præsidebat Anastasius, post tres ac viginti demum annos in sedem suam restitutus. Hierosolymitanæ autem ecclesiæ Joannes Pontificatum administrabat. Quo non multo post mortuo, nemo etiamnum ecclesiæ gubernationem suscepit: Atque hic hystoriæ nostræ finis esto, anno scilicet duodecimo Principatus Mauritii Tiberii.* Sanctus vero ab Andrea Cretensi Gregorius hic dicitur, cujus memoriam Græcorum menea recolunt.

JESU CHR. AN. 593.

24. Cum Anastasius in suam rediisset ecclesiam, litteras ad S. Gregorium Papam sibi amicissimum dedit, cui gratulatorias continuo S. Pontifex has litteras misit. *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia magnus ille fluvius, qui quondam Arentia Antiochiæ sacra reliquerat, tandem ad proprium alveum reversus, & subjectas juxta positus valles rigat, ut & unum trigesimum, & aliud sexagesimum, aliud vero centesimum fructum ferat.* Dum vero eum ob tribulationes, quibus hactenus vexatus fuerat, consolatur, quantas ipse pateretur, his verbis commemorat. *Quantas vero in hac terra tribulationes de Longobardorum gladiis, de iniquitatibus judicum, de insolentia atque importunitate causarum, de cura subjectorum, de molestia*

S. Greg. gratulatur Anastasio Episcopo. *Greg. lib. 5. epist. 39.*

Jesu Chr. an. 593.

etiam corporis quam patior, explere nec calamo, nec lingua sufficio. Ac tandem in fine epistolæ, *amen Gratia*, mox subdit. *Quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, ut de S. Ignatio vestra beatitudo cognoscat; quia non solum vester est, sed etiam noster*, hæc verba *Amen gratia* in genuinis S. Ignatii epistolis non occurrunt, sed tantum in spuriis, quarum antiquitas inde patet.

De privilegio Monasterio S. Medardi dato a S. Gregorio.

25. Gregorii Papæ nomine extat privilegium Monasterio S. Medardi in Gallia a S. Gregorio Papa, quod labente hoc anno, ut fertur datum dicitur. *Datum VII. Kal. Junii, anno ab Incarnatione Domini* 594. *indict. XI.*, ac in appendice ad epistolas S. Gregorii num. 4. legitur, ac Giraldo Abbati Monasterii Sancti Medardi Svessionis inscriptum est. Eoque S. Pontifex hæc præfatur. *Consensu omnium Romanorum Pontificum, & voluntate totius Senatus Romani, suadente nobis viro Apostolico, Anserico Svessorum urbe Pontifice, & omnium Galliæ Episcoporum, favente judicio decernimus, ut nullus Archiepiscoporum, vel Archidiaconorum fratres præfatæ basilicæ de ordinatione sui Abbatis, vel ecclesiasticorum graduum assumptione inquietet. Secundum prærogativam ipsius loci vobis modo recitatam, beatissimi Prædecessoris nostri Domini Joannis Papæ tempore decretam, & Apostolica auctoritate firmatam ordinationem sui Abbatis ipsi fratres peragant, & ecclesiasticorum graduum dignitatem suscipiant, consecrationes quoque fontium, & scrutinii mysteria in ipso monasterio celebrent; Chrismatis quoque ac olei, Altaris, Calicis; Corporalis a quocumque voluerint Pontifice benedictionem expetant, ne tantus honor a quoquam Rectore illius occasionis causa, vel neccessitatis intermittat; nec vilescat tantæ sublimitatis locus S. Mariæ, & B. Petri, nec non & protomartyris, & Domini Medardi meritis sacratus*. Petentibus Francorum Regibus concessum a S. Gregorio hoc privilegium Baronius existimat. Episcoporum vero subscriptiones postmodum additas fuisse addit; at ex Episcoporum subscriptionibus, quæ falsæ prorsus deprehenduntur, falsi quoque privilegium arguitur, ut pluribus probant eruditi viri, Petronius, Sirmondus, Elias, Dupinius, ac Joannes Launojus dissertatione singulari, itaut plura addere superfluum sit.

Elias Dupin. biblio th. eccl. seculo 6. pag. 131.

Naamanus Princeps Se-

26. Certiora sunt, qua de Naamane Saracenorum Duce,

ce, deque ejusdem ad christianam fidem conversione narrat Evagrius his verbis: *Per id tempus Naamanes quoque Saracenorum hostium Phylarcus, sceleratus atque abominandus Gentilis; adeo ut homines sua ipsius manu Diis suis immolaret, ad sacrum baptismum accersit, & vere auream Venerem, quippe quae nihil aliud esset, quam auri massa, igne liquefactum pauperibus distribuit, & cunctos, qui cum ipso erant, ad Dei cultum traduxit*, ait Evagrius, qui cum post haec Gregorii Antiocheni Episcopi obitum retulisset, historiae suae finem imposuit. *Hoc loco historiae finem imponere animus est, anno scilicet duodecimo Regni Mauritii Tiberii Imperatoris Romani*, deinde addit: *Res quae deinceps sequuntur, his quibus libitum fuerit narrandas, monumentisque litterarum prodendas relinquere, animus est. Quod si quidquam a nobis vel omissum negligentia, vel minus accurate expositum videatur: nemo nobis crimini det, illud secum cogitans, nos historiam dispersam dissipatamque in unam collegisse, quo utilitati hominum, quorum gratia tantos, & tam graves labores suscepimus, inserviremus. Aliud praeterea opus a nobis elaboratum est, quod relationes, epistolas, decreta, orationes, disputationes, & alias res nonnullas complectitur. Relationes autem, quae in eo continentur, sunt maximam ad partem ex Persona Gregorii Antiochiae Episcopi factae. Pro quibus duos honoris gradus consecuti sumus, Quaesturam a Tiberio Constantino, & munus Tabularum servandarum, in quibus Praefectorum nomina inscribebantur a Mauritio Tiberio, quo regnante eas relationes composuimus, idque eo ipso tempore, quo Theodosium, qui tum ei, tum Reipublicae principium felicitatis cujusque generis dabat, in lucem edidit.*

JESU CHR. AN. 593. racenorum Christi fidem amplectitur.

Evag. lib. 6. cap. ult.

27. Evagrius autem Sirus genere ortus, urbe Epiphania, quae civitas erat Siriae Secundae, ut ipse in titulo operis sui prodit, qui & in libro tertio cap. 34. disserte testatur, se Domo Epiphaniensem fuisse, Professione vero Scholasticum. At relictis Grammaticorum scholis, Rethoricae operam dedit. Cumque magnos in hac arte progressus fecisset, *Advocatorum* numero adscriptus est. Unde etiam cognomentum retulit *scholastici*: quae vox *Causidicum* significat, ut docet Macarius in homilia *XV*. Antiochiae longo tempore versatus est, & uxorem ibi duxit, filiosque ex ea sustulit, ut ipsemet testatur in libro 4. cap. 29. Quae cum pestilenti

Evagrii gesta, & scripta.

JESU CHR. AN. 593.

morbo extincta fuisset, ad secundas nuptias transiit, & aliam in eadem Urbe sibi sociavit, ut refert in lib. 6. cap. 8.. Scripsit volumen epistolarum, orationum, & relationum Principatu Tiberii Constantini, qui ideo eum *Quæstoris*, dignitate donavit. Nec multo post, cum orationem composuisset de laudibus Mauricii Augusti ob natalem Theodosii nobilissimi pueri, codicillos *Præfecturæ* ab eodem Mauricio accepit, ut ipse in Epilogo historiæ suæ testatur. Verum scripta illa ad nos non pervenere. Edidit postea sex libros *Historiæ ecclesiasticæ*, exorsus ab iis temporibus, in quibus Theodoretus, ac Socrates desierant, in qua summa diligentia, quæcumque ad argumentum suum faciebant, ex optimis Scriptoribus collegit, puta ex Prisco, Joanne, Zacharia, Eustathio, & Procopio Rcthoribus. Sed quod præcipue id Evagrio laudandum est, solus rectæ fidei doctrinam integram, atque illibatam servavit, ut post Photium observavit Baronius. Ejus historiam Valesius de novo e Græco in latinum vertit, & egregiis notis illustravit. Versio enim Christophorsoni, qua usus est Baronius, variis in locis non satis accurata erat. De Evagrio hoc est Photii judicium: *Stylus huic non ingratus, tametsi interdum redundare videatur. Certe in doctrinæ veritate cæteris historicis accuratior est. Habet autem, & de imaginibus quædam utilia*. Quæ tamen de imaginibus, reliquiis, vel miraculis narrat, Basnagio, ceterisque Æterodoxis non placent, ex his tamen catholica fides, ecclesiæque disciplina mirifice confirmatur.

Photii judicium de Evagrio.

Basnag. ann. 594. num. 2.

Gumtramni Regis obitus

28. Hoc anno defunctus est Gumtramnus Burgundiæ Rex, qui anno 561. mortuo Clothario 1. ejus Patre Regnum adeptus fuerat. Fredegarius enim cap. 13., ait, *anno 32. Regni Gumtramni ita a mane, usque ad mediam diem sol minoratus est, ut tertia pars ex ipso vix appareret*, tum capite *sequenti anno 33. Regni Gumtramni. Eo anno V. Kal. April. ipse Rex moritur. Sepultus est in ecclesia S. Marcelli, in monasterio quod ipse construxerat*, idem habet Aimonius. Gumtramni mortem anno sequenti Basnagius refert. Baronius vero anno 598. verum Eclipsis Solaris, cujus Fredegarius meminit, quæ anno 592. contigit, ad hunc annnm 593. mortem ejus evenisse demonstrat; de solis Eclipsi vide Petavium. Hic clementia, pietate, ac eleemosinis celebris admodum fuit, cujus laudes celebrat Gregorius Turonensis, inter

Aimonius lib. 3. c. 80.

Petavius de doct. temp. lib. 8. pag. 853.

inter pietatis ejus indicia, extat constitutio, qua synodum Matisconensem confirmavit, habitam 585.: *Licet absque nostra admonitione, ad vos specialiter prædicandi causa pertineat, attamen reliquorum peccatis, omnino credimus esse participes, si filiorum vestrorum culpas non assidua objurgatione corrigitis, sed silentio præteritis. Nam nec nos, quibus facultatem regnandi Superni Regis commisit auctoritas, iram ejus evadere possumus, si de subjecto populo sollicitudinem non habeamus*. Ejusdem etiam extat allocutio ad Episcopos postquam ipsius exercitus a Gothis victus fuerat. Ad præclara ejusdem Regis gesta etiam pertinet, quod ecclesiam S. Marcelli (ubi sepultus fuit) magno sumptu edificavit, ac Monasterium in terrirorio Segunensi (ut idem auctor testatur) construxit, & redditibus ditavit. Synodumque quadraginta Episcoporum collegerat, ut ab iisdem S. Martyrum Agaunensium, ordo psallendi institutus a S. Avito, & reliquis Pontificibus probaretur, ac a monachis sui monasterii servaretur. Horum martyrum studiosissimum fuisse narrat Gregorius Turonensis, quo loco addit, quod cum Rex Presbyterum misisset, ut eorum reliquiam ad se deferret, dum rediret Presbyter, exorta tempestate in lacu Lamenaco, itaut navicula pene mergeretur, tunc Presbyter extractas e capsula martyrum reliquias, laci fluctibus opposuit; sanctos deprecans, ne ibidem periret, unde evanuit continuo tempestas, ac temporis momento, ad littus cum sociis suis Presbyter pervenit. Hæcque se ab eodem Presbytero accepisse addit Turonensis: inter Sanctos adscribi Gumtramnus Rex meruit, ejusque memoria ab Usuardo, Adone, aliisque Martyrologiorum auctoribus die 28. Martii recolitur, ut apud Bollandum ad dictam diem videre est.

Jesu Chr. an. 593.
Greg. Turon. lib. 4. c. 25.

Greg. Turon. lib. 8. c. 30.

Aimonius de gestis Francorum lib. 3. cap. 81.

JESU CHRISTI an. 594. Gregorii Papæ 5. Mauritii Imp. 13. Agilluph. Longobard. Regis 5.

1. Nonagesimus quartus supra quingentesimum annus adest, Gregorii Papæ quintus, & Mauritii Imp. decimus tertius, quo S. Pontifex maximam iterum, tum in schismaticis ad ecclesiam revocandis, cum in hæreticis coercendis sollicitudinem gessit. Quantam in retinenda Theodolinda Regina, ne ad schismaticos deficeret, uti a nonnullis Insubriæ.

S. Gregorii sollicitudo in schismaticis ad ecclesiam revocandis.

JESU CHR. AN. 594.

briæ, aut Venetiarum, vel Istriæ Episcopis impellebatur, anno proximo diximus. Eamdem causam hoc quoque anno retractasse extra dubium est; ne tamen eadem repetamus ad alia transimus, ac primo, quid adversus Donatistas in Africa adhuc tumultuantes gesserit, videamus ex epistola ad Pantaleonem Præfectum hoc anno scripta, qua inter cetera. *In illis partibus*, inquit, *quantum didicimus, ita Donatistarum crevit audacia, ut non solum de suis Ecclesiis, auctoritate pestifera, ejiciant Catholicæ fidei sacerdotes; sed & quos vera confessione aqua salutaris abluerat, rebaptizare non metuunt*. Ea de causa Africanos orthodoxos Episcopos arguit. Deinde epistola sequenti: *Comperimus siquidem Donatistarum stimulos, sic in illis partibus gregem turbasse Dominicum, ac si nullius pastoris moderatione regeretur; nunciatumque nobis est, (quod dicere sine gravi dolore non possumus,) quod plurimi eorum venenatis jam sint dentibus laniati &c.* Præfectum itaque hortatur, ut tanto resistat malo, ne perditarum animarnm reus fieret, *si tantum nefas, in quantum possibilitas exigit, emendare negligitis*.

Gregorii admonitio ad Dominicum Episc.

2. In his tamen malis curandis totus erat Dominicus Carthaginensis Episcopus, tantoque zelo adversus eos fervebat, ut fuerit a S. Pontifice compescendus. Siquidem habito concilio, Episcopos, qui summa qua poterant diligentia hæreticos ab ecclesiis non ejecissent, Episcopatu dejiciendos, bonisque spoliandos esse statuerat; cumque hæc pœna gravior nonnullis videretur, ac discordiarum causa esset, ut mitius ageret, S. Gregorius eum admonuit. Unde post multa in ejus laudem: *Desideramus*, inquit, *omnes hæreticos a catholicis Sacerdotibus vigore semper rationeque compesci: tamen subtiliter intuentes omnino nos tetigit, nuper ea, quæ apud vos gesta sunt. Sententia namque a vobis prolata est in conclusione gestorum: in qua dum pro investigandis illis hæreticis admonetis: subintulistis, eos qui negligunt, substantiarum, dignitatumque privatione plectendos. Optimum est igitur, frater carissime, ut in his, quæ foris corrigenda sunt, prius charitas interna servetur, ut simus mente subjecti. Quod maxime vestræ gravitatis proprium judicamus, etiam personis dignitate minoribus. Tunc enim totis coadunatis viribus, hæreticorum commodius obviatis erroribus, cum secundum morem Sacerdotii vestri, studueritis Ecclesiasticam interius custodire concordiam.*

3. Hæc

3. Hæc ad Episcopum Carthaginensem Gregorius. Cujus sollicitudo pro conversione Manichæorum, & Judæorum enituit, ac de Manichæis, qui in Sicilia erant, hæc ad Cyprianum Diaconum patrimonii Siciliæ rectorem scripsit. *De Manichæis, qui in possessionibus nostris sunt, frequenter dilectionem tuam admonui, ut eos persequi summopere debeas, atque ad fidem catholicam revocare.* Judæos vero spe præmii ad fidem alliciendos esse, his verbis eumdem Cyprianum admonet. *Pervenit ergo ad me esse Hebræos in possessionibus nostris, qui converti ad Deum nullatenus volunt. Sed videtur mihi, ut per omnes possessiones, in quibus ipsi Hebræi esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens, quod quicumque ad verum Dominum Deum nostrum Jesum Christum ex eis conversus fuerit, onus pensionis ejus ex aliqua parte minuetur. Quod ita quoque fieri volo, ut si quis ex eis conversus fuerit: si solidi pensionem debet, tremissis ei relaxari debeat. Si tres vel quatuor, unus solidus relaxetur: si quid amplius, jam juxta eumdem modum debet relaxatio fieri, vel certe juxta, quod dilectio tua prævidet: ut & ei qui convertitur, onus relevetur, & Ecclesiastica utilitas non gravi dispendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro levandis pensionum oneribus eos ad Christi gratiam perducimus: quia etsi ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen, qui de eis nati fuerint, jam a fidelibus baptizantur, aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur: & ideo non est grave, quidquid de pensione pro Christo dimittimus.* De iisdem Judæis hæc alia ad Anthemium hoc anno scripsit: *His quos de judaica perditione Redemptor noster ad se dignatur convertere, rationabili nos oportet moderatione concurrere, ne victus (quod absit inopiam) patiantur. Ideoque tibi hujus præcepti auctoritate mandamus, quatenus filiabus Justæ ex Hebræis, idest, Julianæ, Redemptæ, & Fortunatæ, a tertia decima succedenti Indictione, annis singulis solidos ... dare non differas, quos tuis noveris modis omnibus rationibus imputandos,*

JESU CHR. AN. 594.

S. Greg. labores pro conversione Manicheorum, & Judæorum.

Greg. lib. 5. epist. 8.

Præmiis Judæi ad fidem non vi trahendi.

4. Quantum vero operis impenderit, ut Ethnicos in Sardinia commorantes (dictos Barbaricinos) ad fidem Christi traheret, scriptæ ab eo epistolæ testantur. Cum etenim Vandali Africam invasissent, barbaros quosdam Aurasium Montem incolentes, ne infestos paterentur in Sardiniam insulam

S.Greg. cura pro infidelium conversione, quinam fuerint barbaricini.

Jesu Chr. an. 594. *Procop. de bello Vandalico lib. 2.*

sulam relegarunt, ut narrat Procopius, his verbis: *Eos non admodum multos cum uxoribus in Sardiniam mittentes, hic sunt dominati. Præcedente autem tempore montes occupavere, qui prope Calarim sunt: ac primo quidem clanculum latrocinia in vicinos exercentes, postea vero non minus quam ad tria milla crevere, & manifesto excursiones facientes, minime latere curaverunt, ac omnem circa oram depopulati sunt; quamobrem Barbaricini a vicinis appellati sunt.* Hæc de his Procopius; iidemque videntur, de quibus Justinianus de off. Præfecti prætorio Africæ lege secunda ita scribit. Perseverantibus vero iis in idolorum cultu, cum nulla de his cura ab Episcopis haberetur, S. Gregorius Sardiniæ Episcopos, ut in eorum conversione sollicitius agerent, excitavit, ac Felicem, & Cyriacum in Sardiniam misit, ut in eorum conversione adlaborarent, quos Zabardæ Sardiniæ Duci commendavit, eique hanc dedit epistolam. *Scriptis Fratris & Coepiscopi mei Felicis, & Cyriaci servi Dei gloriæ vestræ bona cognovimus, magnasque Omnipotenti Dei gratias agimus, quod talem Ducem Sardinia suscepit, qui sic sciat, quæ terrena sunt Reipublicæ exolvere, ut bene etiam noverit Omnipotenti Deo obsequia patriæ cœlestis exhibere. Scripserunt etenim mihi, quod eo pacto cum Barbaricinis facere pacem disponitis, ut eosdem Barbaricinos ad Christi servitium adducatis. Hac de re valde lætatus sum, & dona vestra (si Omnipotenti Deo placuerit) citius serenissimis Principibus innotesco. Vos ergo, quod cœpistis, explete: Omnipotenti Deo devotionem vestræ mentis, ostendite. Eos quos illuc ad convertendos Barbaricinos transmisimus, quantum valetis, adjuvate, scientes quod talia opera multum vos, & ante terrenos Principes, & coram cœlesti Rege prevaleant adjuvare.* Ad Hospitonem vero Barbaricinorum Ducem, christianum jam redditum, has alteras dedit: *Cum de gente vestra nemo christianus sit, in hoc scio, quia omni gente tua es melior, quia tu in ea Christianus inveniris. Dum enim Barbaricini omnes, ut insensata animalia vivant, Deum verum nesciant, ligna autem & lapides adorent; in eo ipso quod Deum verum colis, quantum omnes antecedas, ostendis. Sed fidem quam percepisti, etiam bonis actibus, & verbis exequi debes, & Christo cui credis, offerre, quod prævales, ut ad eum quoscumque potueris adducas, eosque baptizari facias, & æternam vitam*

vitam diligere admoneas. Quod si fortasse ipse agere non potes, quia ad aliud occuparis, salutans peto, ut hominibus nostris, quos illic transmisimus, fratri scilicet, & Coepiscopo meo Felici, filioque meo Cyriaco servo Dei, solatiari in omnibus debeas, ut dum eorum labores adjuvas, devotionem tuam Omnipotenti Domino ostendas, & ipse tibi in bonis actibus adjutor sit, cujus tu in bono opere famulis solatiaris. Benedictionem vero Sancti Petri Apostoli per eos vobis transmisimus, quam peto ut debeatis digne suscipere. Hactenus ad Barbaricinorum Ducem Gregorius.

Gregorii epist. ad Januarium Episc.

5. Profecti in Sardiniam Felix Episcopus, & Cyriacus Abbas, Calaritanam ecclesiam, quæ prima ejus insulæ erat, negligentia pastoris incultam, vepribusque refertam invenerunt, & Barbaricinos agrorum ecclesiæ colonos, aliosque Idololatriæ adhuc mancipatos se invenisse Gregorio nunciarunt, qui statim ad Januarium Calaritanum Episcopum scribens, ut commissam sibi ecclesiam, majori cum diligentia administraret, hortatus est: *Fratris, & Coepiscopi nostri Felicis, & Cyriaci Abbatis relatione cognovimus, quod in insula Sardinia Sacerdotes a laicis Judicibus opprimantur, & fraternitatem tuam ministri tui despiciant; dumque solum simplicitati a vobis studetur, quantum videmus, disciplina negligitur. Unde hortor, ut omni excusatione postposita, Ecclesiam quam suscepisti, auctore Deo, regas, disciplinam clericos tenere cogas, nullius verba metuere studeas.* Et paulo post de Barbaricinis ista: *Accidit autem aliud valde lugendum, quia ipsos rusticos, quos habet Ecclesia tua, nunc usque in infidelitate remanere, negligentia fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo, ut extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? Unde necesse est vos per omnia in eorum conversionem vigilare. Nam si cujuslibet Episcopi in Sardinia insula Paganum rusticum invenire potuero, in eumdem Episcopum fortiter vindicabo. Jam vero si rusticus tantæ fuerit perfidiæ, & obstinationis inventus, ut ad Dominum Deum venire minime consentiat; tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.* Hactenus Gregorius ad Januarium, aliam quoque epistolam ad Nobiles in Sardinia dedit Gregorius, acriter eos redarguens, quod colonos agrorum suorum ab Idolorum cultu non revo-

Jesu Chr. an. 594.

cassent, ac ut Felici, & Cyriaco ad hoc opus missis opem ferrent, hortatus est. Eadem quoque occasione ordinari præcepit Episcopum in Phausiana ecclesia, ubi diu ante esse desierat, ut Gentiles ibi commorantes ab eo converterentur ad fidem. Quem vero exitum hæc habuerint, ex litteris ejusdem Gregorii anno seqnenti datis satis intelligitur, eos nimirum ad fidem fuisse conversos, sed post baptismum, cum adhuc idem tributum solverent, quod ante cogebantur, ut liceret ipsis idola colere, talia indigno animo ferens S. Gregorius, Constantinam Augustam, ne id fieret vehementer admonuit. Porro eadem epistola Januarium, de aliis admonuit ut Clericos post susceptos ordines in peccata carnis lapsos deponeret, nuspiam ad altaris ministerium imposterum admittendos. Demum in fine hæc notatu digna addit. *Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros Chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt; prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum ecclesiæ nostræ fecimus*. Hæc habentur in epistola 9. lib. 4. ubi hæc habet: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus Chrismate non præsumant: sed presbyteri baptizatos ungent in pectore, ut Episcopi postea ungere debeant in fronte*. At cum graviter hæc accepta fuisse audisset Gregorius, indulsit ut Presbyteri, absente Episcopo hoc facerent, nam subdit in epistola 26. citata: *Si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus*.

S. Gregorius Presbyteris Sardis potestatem tribuit administrandi sacramentum Confirmationis.

6. Quid porro Presbyteris Sardiniæ tribuerit S. Gregorius, his verbis: *Ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus*, in controversiam vocatur. Cum etenim Scholasticorum plurimi S. Bonaventura, Durandus, Hadrianus, aliique etiam ex recentioribus, Estius, Sambovius, in ea opinione sint, ut solis Episcopis jus esse conferendi sacram unctionem, seu Confirmationis Sacramentum dicant, itaut nequidem ex Romani Pontificis delegatione Presbyteri illud administrare possint; quam Presbyteris Sardis unctionem concessit S. Pontifex, eam fuisse, qua in baptismate Neophiti inungebantur, dixerunt. Horum tamen sententia vix probabilitate innititur; sequeretur enim, id tantum Sardiniæ Presbyteris concessisse Gregorium, ut Neophitos in baptismate

mate chrismate inungerent, quod numquam Presbyteris negatum fuerat, ac ipse Gregorius in supracitata epistola nona libri quarti, id Presbyteris proprium esse declaraverat, his verbis: *Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postea ungere debeant in fronte*. Eamdemque unctionem presbyteris nullibi, nulloque tempore negatam fuisse innumeris argumentis constat. Hinc ad Decentium Eugubinum Episcopum scribebat Innocentius Papa, hujus nominis primus. Presbyteris absente Episcopo, seu presente: *Cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopis fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis*. Cum itaque nullibi negaretur presbyteros in baptismate conferendo, Neophitos oleo injungere posse, necessario sequitur, de altera unctione locutum fuisse Gregorium, quam primo Presbyteris Sardiniæ negaverat, postea vero ad vitanda scandala, ex indulgentia concessit, quæ sane ea erat, qua baptizati in confirmationis sacramento inungebantur, quam Episcopis tantum Romana, cùm tota fere Occidentali ecclesia vindicabat, ut in supracitata epistola ad Decentium testatur Innocentius Papa primus. At cum in Sardiniæ ecclesiis ea inolevisset consuetudo, quæ in Orientalibus ecclesiis, & Africana etiam passim vigebat, ut in fronte etiam baptismatos Presbyteri inungerent, & Spiritum Sanctum darent, seu Confirmationis sacramentum, cum id contra morem Romanæ ecclesiæ Presbyteri Sardiniæ præsumerent, ne ultra fieret jusserat, deinde cum accepisset nonnullos eam ob causam obmurmurare, ac scandalum pati, ut suum retinerent morem, ac ut eorum presbyteri in fronte baptizatos inungerent, tandem permisit. Eumdemque morem tractu temporis in Africana quoque ecclesia presbyteros usurpasse, his verbis indicat Joannes Diaconus: *Sed nec illud tangat animum, quod sibi aliquando quædam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut Presbyteri Sanctum Chrisma conficiant: quod merito moveret, si istam Pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde constat a Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta verum necessitate, ut a presbyteris effici possit superior ordo constituit*. Eam etiam ob causam Concilium Tridentinum, ne Orientalis ecclesiæ consuetudinem omnino rejiceret, aut facultatem dispensandi Romano Pontifici nega-

 ret;

ret; Ordinarium confirmationis Ministrum Episcopum esse dixit. De quibus ne Theologicos tractatus scribere cogamur, plura apud Dogmaticæ Theologicæ scriptores, & præcipue apud Juvenin in suo de Sacramentis tractatu, videri possunt.

S.Gregorius ordinatores Maximi Episcopi Salonitani a divinis suspendit.

7. Anno proximo Dalmatiæ Episcopis scripserat Gregorius, ne Salonitanum Episcopum inconsulta Sede Apostolica ordinarent, & ne Maximum Salonæ Episcopum eligerent, minitans eis si contra fecissent excommunicationem; at Dalmatiæ Episcopi, spreta Pontificis admonitione, aut antequam ejusdem litteras acciperent; id etenim ignoratur, nullo juris ordine observato, Maximum ipsum Salonæ Episcopum ordinarunt, cujus ordinationi, cum resistere conatus esset Antonius Subdiaconus, & Rom. ecclesiæ rector patrimonii in Dalmatia, vix fuga ab eorum manibus, ac cœdibus se se eripuit. Totius tragœdiæ Architectus Marcellus Dalmatiæ Proconsul fuit. Quare cum hæc accepisset S. Gregorius, ut scandalum ab ecclesia Salonitana removeret, contemptamque Apostolicam Sedem vindicaret. Maximum ordinatoresque ejus admonuit, ut a sacris se abstinerent, donec exploraret, num revera Imperatoris jussione ordinatus esset: *Quod si*, inquit, *contra hæc agere præsumpseritis, anathema vobis sit a Deo, & a B. Petro Apostolorum Principe*. Quem exitum hæc habuerint, anno sequenti videbimus.

Joannem Ravenn. Episc. admonet.

8. Joannem etiam Ravennatensium Episcopum, eo quod in multis peccaret gravi censura redarguit. *Primum*, inquit, *me hoc contristat, quia mihi fraternitas tua duplici corde scribit, & alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in lingua sua sæculariter ostendit. Deinde grave mihi est, quia irrisiones illas, quas habere notarii adhuc pueri solent, usque hodie frater meus Joannes in lingua sua retinet: mordaciter loquitur, & quasi de tali astutia lætatur: amicis præsentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Tertio grave mihi, & omnino execrabile est, quia servis suis, qua hora furit, turpia crimina imponit, ut effeminati, & adhuc graviter hoc apertius vocentur. Post hæc accessit, quod disciplina ad vitam Clericorum custodiendam nulla est, sed tantummodo se clericis suis dominum exhibet. Ultimum vero est, quod tamen pondere elationis primum est, scilicet de usu palii extra Ecclesiam*. Et paulo post: *Et quidem Omnipotenti Deo gra-*

gratias ago: quia eo tempore, quo ad me hoc pervenit, quod ad aures decessorum meorum numquam pervenerat, Longobardi inter me, & Ravennatem Civitatem positi fuerant. Nam ostendere forsitan hominibus habui, quantum scio esse discretus. Hactenus Gregorii monita ad Joannem; Venantium vero Episcopum admonuit, ut Saturninum Presbyterum, qui in grave crimen prolapsus fuerat, usque ad obitum communione privaret; ceteri vero Presbyteri, fornicationis, aut adulterii rei a Sacerdotio exclusi, post peractam pœnitentiam, inter laicos communicarent. Eademque libertate, ut peccantes corrigeret, Constantium Mediolanensem Episcopum admonuit. Felicem etiam Sardiæ Episcopum redarguit, districtam correptionem minitans, si Episcopo Primæ Justinianæ Primati suo contraire perseverasset.

S. Gregorius monachos in ecclesia S. Pancratii collocat.

9. Cum Presbyteri & Clerici, qui ecclesiæ S. Pancratii, quæ Romæ via Aurelia etiam nunc extat, tam negligenter ei deservirent, ut die etiam Dominica nullus aliquando esset, qui Missarum solemnia celebraret. Murmurantibus hac de re populis, qui istuc devotionis causa confluebant, S. Gregorius Sacerdotes illos clericos inde amovendos censuit, ac Monachorum Congregationem ibidem destinavit, cui Abbatem præfecit Maurum, *ut ibidem ad Sacratissimum corpus Beati Pancratii quotidie opus Dei proculdubio peragatur*, ut in epistola sua pluribus narrat. Monachorum vero disciplinam nunquam promovere destitit, unde Valentinum Abbatem increpavit, quod mulieres in monasterium suum admitteret, ac Monachorum commatres fieri permitteret; idque ne ulterius fieret, sub gravissimæ pœnæ comminatione prohibuit, & ne Clericus monasterio præficeretur ad Joannem Ravennatem scribens jussit: *Nemo etenim potest, & ecclesiasticis obsequiis deservire, & in monastica regula ordinate persistere: ut ipse in monasterio districtionem teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere*. Eademque habentur in epistola ad Maximianum Episcopum. Nec Monialium curam præteriit, quamobrem redarguit Victorem Panormitanum Episcopum in hac re negligentem, ad quem inter alia hæc scripsit. *Quamobrem Fraternitas tua, sub omni studeat celeritate corrigere; cujus enim jam culpæ sit, intelligis, ut ego tam longe positus, quæ in civitate tua aguntur agnoscam, & tot curis occupatus, quæ fieri debeant disponam*.

Greg. lib. 5. epist. 6.

Jesu Chr. an. 594.

nam, & cum audiſſet quaſdam vocationis ſuæ oblitas, depoſita monialium veſte, ac velamine, matrimonium iniſſe, eaſque ab Romano Exarcho tueri, graviter cum eo conqueſtus eſt Gregorius, eumque admonuit, *ut in tanto ſe peccato miſcere nullatenus deberet*.

Greg. lib. 5. epiſt. 24.

Vacantium eccleſiarum curam gerit S.Greg.

Greg. lib. 4. epiſt. 4. lib. 5. epiſt. 13.

Greg. lib. 4. epiſt. 9. 14. 14. 17.

10. Vacantium quoque eccleſiarum quammaximam ſemper ſollicitudinem habuit, ut in eis optimi eligerentur Sacerdotes. Id præſtitit eccleſiæ Hortonenſi, & Capuanæ, in aliis curatorem, vel viſitatorem deſtinavit. Ex quibus manifeſte liquet Gregorium ſemper vigilantiſſimum fuiſſe, cum non ſolum Urbis eccleſias, ſed etiam longe poſitas tanta ſollicitudine gubernaret. In primis vero cordi erat S. Pontifici; ne urbanæ eccleſiæ Sanctorum reliquiis ſpoliarentur. Cumque hoc tempore Conſtantina Auguſta Mauritii uxor, in ipſo Regiæ urbis Palatio Baſilicam in honorem S. Pauli Apoſtoli ædificaſſet, Gregorium rogavit, ut caput Beati Apoſtoli Pauli, vel partem alteram ejuſdem ſibi mitteret. At S. Pontifex Auguſtæ reſcribens, rem difficilem poſtulaſſe admonuit, nec ſe hujuſcemodi petitioni obtemperare poſſe, aut debere addidit; eo quod Apoſtolornm corpora, nequidem loco moveri impune, vel tangi poſſent, quod multis miraculis confirmat, epiſtolam ab eo ſcriptam, integram damus, eo quod ſcitu digna ad hiſtoriam pertinentia contineat: *Serenitas veſtræ pietatis, religionis ſtudio, & ſanctitatis amore conſpicua, propter eam, quæ in honorem Sancti Pauli Apoſtoli in palatio ædificatur Eccleſiam, caput ejuſdem S. Pauli, aut aliud quid de corpore ipſius, ſuis ad ſe juſſionibus a me præcipit debere tranſmitti. Et dum illa mihi deſiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, veſtram erga me amplius potuiſſem gratiam provocare; major me mœſtitia tenuit, quod illa præcipitis, quæ facere nec poſſum, nec audeo. Nam Corpora Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, tantis in Eccleſiis ſuis coruſcant miraculis, atque terroribus, ut neque ad orandum ſine magno illuc timore poſſit accedi. Denique dum beatæ recordationis deceſſor meus, quia argentum, quod ſupra ſacratiſſimum Corpus B. Petri Apoſtoli erat, longe tamen ab eodem corpore fere quindecim pedum ſpatio mutare voluit; ſignum ei non parvi terroris apparuit. Sed & ego aliquid ſimiliter ad Sacratiſſimum corpus S. Pauli Apoſtoli meliorare volui, & quia neceſſe erat, ut*

Greg. lib. 4. epiſt. 30.

Conſtantina Aug. petit caput S.Pauli Apoſtoli.

ut juxta sepulchrum hujusmodi effodi altius debuisset. Præpositus loci ipsius, ossa aliqua non quidem eidem sepulcro conjuncta reperit: quæ quoniam levare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est.

Refossum damno fossorum corpus S. Laurentii.

11. *Præter hæc autem Sanctæ memoriæ decessor meus itidem ad corpus S. Laurentii martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur ubi venerabile corpus ipsius esset collocatum, & effoditur exquirendo, subito sepulchrum ipsius ignoranter apertum est; & ii qui præsentes erant, atque laborabant monachi, & mansionarii, quia corpus ejusdem Martyris viderant, quod quidem minime tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt: ita ut nullus vitæ superesse potuisset, qui sanctum justi corpus illius viderat. Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore; sed tantummodo in pixide brandeum mittitur; atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur: quod levatum, in Ecclesia, quæ est dicanda, debita cum veneratione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit, ut beatæ recordationis Papæ Leonis temporibus (sicut a majoribus traditur) dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum, allatis forcipibus, inciderit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit. In Romanis namque, vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est, atque sacrilegum, si Sanctorum Corpora tangere quisquam fortasse voluerit: quod si præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui ossa levare Sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus. Nam quidam Monachi Græci huc ante biennium venientes, nocturno silentio, juxta Ecclesiam S. Pauli corpora mortuorum in campo jacentia, effodiebant, atque eorum ossa recondebant, servantes sibi dum recederent. Qui cum deprehensi, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt, quod illa ossa ad Græciam essent, tamquam Sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo (sicut prædictum est) major nobis dubietas nata est, utrum verum sit, quod levare veraciter ossa Sanctorum dicuntur.* Vides ex his

Græcorum erga Sanctorum reliquias studium.

12. Hucusque Gregorii epistola ad Augustam, ita ejus indiscretam petitionem prudenter eludens. Nam etsi in Orientales ecclesias translationes reliquiarum in usu essent, ita ut Constantii Augusti tempore Constantinopolim translatum fuerit corpus S. Timothei (Ephesi prius conditum) & in basilica Sanctorum Apostolorum collocatum, item paulopost translatæ etiam reliquiæ Sanctorum Andreæ Apostoli, & Lucæ Evangelistæ ex Achaja, & in eadem basilica depositæ, ut refert, & laudat Hieronymus: at Occidentales difficiliores semper se exhibuerunt in hisce Sanctorum translationibus. Eadem enim quæ Gregorius Constantinæ Augustæ, Hadrianus quoque Papa circa annum 772. ad Carolum Magnum scripsit: *Petiit nos, ut ei Corpus Sanctum tribueremus. Sed nos sicut jamdudum vobis direximus per revelationem territi, nullo modo audemus ex ipsis Sanctorum corporibus amplius aliquid exagitare*, ita in fragmento epistolæ ejusdem Pontificis.

Jesu Chr. an. 594. Reliquiarum translatio apud Occidentales prohibita.

Hieronymus contra vigilantium.

13. Joannem Monachorum celeberrimum, & monachorum patrem, seu Abbatem Montis Sinai, circa hujus seculi finem, vel sequentis initio obiisse scimus, etsi in obscuro sit annus, quo obiit. Is apud Græcos præcipue in summa celebritate fuit ob librum, a quo nomen Climaci accepit, qui, triginta capitibus constat, quibus tamquam gradibus ad vitæ christianæ perfectionem, & ad vitam beatam lectores suos, & præcipue monachos ducere conatus est. Unde etiam schala religiosa dici meruit, eoque tractatu, multa quidem ad merum emendationem, vitamque sancte pieque ducendam collegit. Ejusdem vitæ compendium Joannes Rathnensis monachus ejus discipulus exhibet, ac commentarium ad ejusdem schalam addidit, liber sane dignus, ut monachorum manibus continuo feratur, ac non semel editus, & ut Gallicanam Arnaldi versionem prætereamus; latine Joannis Climachi opera Matthæus Raderus Jesuita edidit, quæ etiam una cum ejusdem tractatu in bibliotheca Patrum inserta est, ac plura apud Dupinium, & Caveum videre est, cujus memoria die 30. Martii Martyrologio Rom. recolitur, ad quam diem vitæ ejusdem Breviarium Bollandus exhibet.

De Jo: Climaco, ejusque scriptis.

Biblioth. PP.

Dupin. biblioth. secul. 6. pag. 231. Caveus de script. eccles. tom. 1. pag. 534.

JESU CHRISTI AN. 595. GREGORII PAPÆ 6.
MAURITII IMP. 14. AGILULPHI LONGOB. REGIS 6.

S. Gregorii epist. ad Augustam de populorum oppressione sublevanda.

1. Annus adest quingentesimus nonagesimus quintus, quo S. Gregorius, cum Italiam fere universam Longobardorum jugo premi cerneret, cetera vero loca, quæ Græcorum Imperio adhuc parebant, Æmiliæ scilicet partem maximam, quæ Ravennati Exarchatui suberat, ac cum Insulis Italiæ adjacentibus, Sicilia scilicet, Sardinia, & Corsica; cum hæc, inquam, loca ab Imperatoris Mauritii Præsidibus, atrocius vexari cerneret; Ecclesiæ, & Imperii utilitatibus semper intentus, Constantinam Augustam litteris suis, quæ & quanta Romanorum subditi paterentur, admonuit; his verbis: *Cum Serenissimam Dominam sciam de cælesti patria, atque animæ suæ vita cogitare, culpam me committere vehementer existimo, si ea quæ pro timore Omnipotentis Domini sunt suggerenda, siluero. Dum in Sardinia Insula multos esse gentilium cognovissem, eosque adhuc pravo gentilitatis more, idolorum sacrificiis deservire, & ejusdem insulæ Sacerdotes ad prædicandum Redemptorem nostrum torpentes existere, unum illuc ex Italiæ Episcopis misi, qui multos gentilium ad fidem Domino cooperante, perduxit. Sed rem mihi sacrilegam nuntiavit: quia hi, qui in ea idolis immolant, judicii præmium persolvunt, ut eis hoc facere liceat. Quorum dum quidam baptizati essent, & immolare jam idolis desivissent, adhuc ab eodem insulæ judice, etiam post baptismum præmium illud exigitur, quod dare prius pro idolorum immolatione consueverant. Quem cum prædictus Episcopus increparet, tantum se suffragium promisisse respondit, ut nisi de causis etiam talibus impleri non possit. Corsica vero insula tanta nimietate exigentium, & gravamine premitur exactionum, ut ipsi, qui in illa sunt, eadem quæ exiguntur complere, vix filios suos vendendo sufficiant. Unde fit ut derelicta pia Republica, possessores ejusdem Insulæ ad nefandissimam Longobardorum gentem cogantur effugere. Quid enim gravius, quid crudelius a barbaris pati possunt, quam ut constricti, atque compressi suos vendere filios compellantur? In Sicilia autem Insula Stephanus quidam marinarum partium Chartularius, tanta præjudicia, tantasque oppressiones operari dicitur, invadendo loca singulorum,*

rum, atque sine dictione causarum per possessiones, ac domos titulos ponendo, ut si velim acta ejus singula, quae ad me pervenerunt, dicere, magno volumine hac explere non possim. Cumque ad expensas in Italia faciendas, hujuscemodi exactiones inservire dicerent Imperatoris administri. His respondit Gregorius. *Sed ego suggero ad hoc, ut etsi minus expensae in Italia tribuantur, a suo tamen imperio, oppressorum lacrymas compescat. Nam & idcirco fortasse tantae expensae, in hac terra minus ad utilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur. &c.* Haec, & alia ad Augustam Gregorius, qui epistola sequenti, graviora ab Imperatoris Praesidibus, quam a Longobardis Italos pati conqueritur. Nam de Romano Exarcho ad Sebastianum Episcopum scribens, adnotat. *Quae enim Frater Sanctissime de amici vestri Domini Romani persona in hac terra patimur, loqui minime valemus. Breviter tamen dico, quia ejus in nos malitia gladios Longobardorum vicit; ita ut benigniores videntur hostes, qui nos interimunt, quam Reipublicae judices, qui nos malitia sua, rapinis atque fallaciis in cogitatione consumunt. Et uno tempore curam Episcoporum, atque clericorum, monasteriorum quoque, & populi gerere, contra hostium insidias, sollicitum vigilare contra ducum fallacias, atque malitias suspectum semper existere, cujus laboris, cujus doloris sit, vestra Fraternitas tanto verius penset, quanto me, qui haec patior, purius amat.* Haec ipse.

Quanta pro ecclesiae, & Reipublicae salute expenderet, aut ageret Gregorius.

2. Quanta autem sollicitudine pro ecclesiae, & Reipublicae utilitate ageret, nec laboribus, aut expensis parcens, ad Constantinam Augustam scribens, his verbis exponit: *Viginti autem jam, & septem annos dicimus, quod in hac urbe inter Longobardorum gladios vivimus. Quibus quam multa hac ab Ecclesia quotidianis diebus erogantur, ut inter eos vivere possimus, suggerenda non sunt. Sed breviter indico, quia sicut in Ravennae partibus Dominorum pietas, apud primum exercitum Italiae Sacellarium habet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat, ita & in hac Urbe ex causis talibus eorum Sacellarius ego sum. Et tamen haec Ecclesia, quae uno eodemque tempore clericis, monasteriis, pauperibus, populo, atque insuper Longobardis tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum premitur afflictione. &c.* Hactenus Gregorius, Sacellarium

JESU CHR. AN. 595.

se esse dicens. Sacellarium, vel Sæcularii dicebantur, qui thesauri Principum, vel ecclesiæ curam gerebant, unde idem Gregorius. *Quia nos sacellum ecclesiæ ex lucris turpibus nolumus inquinari*, & ad Honoratum Diaconum, *sed magis ex se agat dilectio tua: quatenus oblatis in Sacello consuetudinibus, honores mereatur accipere*. Ubi Sacelli nomine pecuniarum capsa intelligitur. Dum vero Romanorum civium incolumitati totis viribus studeret, ut eam prætio etiam, & pœcunia redimeret, omnia Deo omnium bonorum datori, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli protectioni tribuebat; unde ad Rusticanam Patritiam: *Sin vero gladios Italiæ, ac bella formidatis, sollicite debetis aspicere, quanta beati Petri Apostolorum Principis in hac urbe protectio est, in qua sine magnitudine populi, & sine adjutoriis militum, tot annis inter gladios illesi, Deo auctore servamur*. Plura nihilominus se in Longobardorum perniciem potuisse agere non dissimulat, nisi eum timor Dei ab fundendo eorum sanguine deterruisset, ut ad Sabinianum Diaconum, & Romanæ Sedis Apocrisarium Constantinopoli scribens testatur. *De qua re unum est, quod breviter suggeras Serenissimis Dominis nostris, quia si ego servus eorum, in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido*.

Greg. lib. 8. epist. 22.

Apostolorum Petri & Pauli protectione a Longobardorum gladiis Roma eripitur.

Greg. lib. 4. epist. 49.

Greg. de pace agit cum Longobard.

3. Inter tot angustias, & discrimina, quibus undique S. Gregorius angebatur, ita ut: *Sub tantis tribulationis circumfusus, barbarorum gladiis premor, ut non dico multa tractare, sed mihi respirare vix liceat*. Totus in eo erat, ut Romanos inter, & Longobardos, aut pax, aut induciæ saltem ad tempus firmarentur, cujus rei perficiendæ gratia, ad Severum Scholasticum, Assessorem, & consiliarium Exarchi scripsit: *Qui assistunt judicibus, & sinceris circa eos dilectionibus obstringuntur, illa eis suadere debent, atque suggerere, quæ & animam salvent, & opinioni non derogant. Proinde quoniam novimus, quanta fidei sinceritate excellentissimum Exarchum diligatis: idcirco magnitudini vestræ, quæ acta sunt, indicare curavimus: ut hæc cognoscentes, ad consentiendum eum rationabiliter provocetis. Scitote autem, quia Agilulphus Longobardorum Rex generalem pacem facere non rece-*

recusat, si tamen ei dominus Patricius judicium esse voluerit. Nam multa sibi in locis suis intra pacis terminum queritur commissa. Et quoniam sibi, si ratio judicantium invenerit, satisfieri postulat, & ipse quoque se satisfacturum modis omnibus pollicetur, si quid a partibus suis constiterit in pace esse commissum. Quia ergo rationi non ambigitur convenire, quod petit, oportet esse judicium, ut si qua utraque parte malefacta sunt componantur: dummodo generalis pax fiat; atque Deo valeat protegente firmari: nam qualiter sit nobis omnibus necessaria, bene nostis. Sapienter itaque sicut consuevistis, agite, ut excellentissimus Exarchus ad hoc sine mora debeat consentire; ne per eum pax renui, quod non expedit, videatur. Si enim consentire noluerit, nobiscum quidem specialem pacem facere repromittit: sed scimus quia & diversæ insulæ, & loca sunt alia procul dubio peritura. Hæc autem consideret, & pacem habere festinet: quatenus in hac saltem dilatione, & nos quietem possimus habere ad modicum, & Reipublicæ resistendi vires, adjuvante Domino, melius reparentur.

JESU CHR. AN. 595.

Deridetur Gregorius ab Imp. Mauritio.

4. Frustra tamen in pace Italiæ procuranda laboravit S. Gregorius, quin Mauritii Imperatoris indignationem, aut saltem irrisionem incurrit, eo quod Longobardorum pactionibus fidem habuerit. Quæ ad eum Mauritius scripserit, non constat, cum ejus epistolæ perierint; at eas Sancto viro injuriosas fuisse, hæc altera Gregorii ad Imperatorem epistola indicat: *In serenissimis jussionibus suis Dominorum pietas, dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minime percepit. Nam eis urbanæ simplicitatis vocabulo me fatuum appellat. In scriptura etenim sacra cum in bona intelligentia ponitur simplicitas, vigilanti sæpe prudentiæ, atque rectitudini sociatur.* Et post nonnulla in eam sententiam allata, hæc subdit: *Ego igitur, qui serenissimorum dominorum jussionibus ab Ariulphi astutia deceptus, non adjuncta prudentia simplex denuncior, constat proculdubio, quia fatuus appellor: quod ita esse, ego quoque ipse confiteor. Nam si hoc vestra pietas taceat, causæ clamant. Ego enim si fatuus non fuissem, ad ista toleranda, quæ inter Longobardorum gladios hoc in loco patior, minime venissem. In ea autem re quam de Arnulpho perhibui, quia toto corde venire ad Rempublicam paratus fuit: dum mihi non creditur, etiam*

men-

Jesu Chr. an. 595.

mentitus esse reprehendor. Sed etsi Sacerdos non sum: scio gravem esse hanc injuriam sacerdoti, ut veritati serviens, fallax credatur. Et dudum novi quoniam Arnulpho plus est creditum, quam mihi: Leoni amplius est creditum, quam mihi: & nunc eis, qui esse, ad medium videntur plus, quam meis assertionibus credulitas impenditur. Et quidem si terræ meæ captivitas, per quotidiana momenta non excresceret, de despectione mea, atque irrisione lætus tacerem. Sed & hoc me vehementer affligit: quia ego unde crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Longobardorum jugo captiva: dumque meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostium immaniter excrescunt. Hoc tamen piissimo Domino suggero, ut de me mala omnia qualibet existimet, de utilitate vero Reipublicæ, & causa ereptionis Italiæ non quibuslibet facile pias aures præbeat, sed plus rebus quam verbis credat.

Magno damno Italiæ Gregorio non creditur.

His de honore Sacerdotibus debito adnotatis, nonnulla addit, exemplumque ingerit Constantini Magni, ac tandem: *Hæc ergo*, inqnit, *pietati dominorum non pro me, sed pro cunctis Sacerdotibus suggero. Ego enim homo peccator sum: & quia Omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen illius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo quia eumdem Omnipotentem Dominum tanto vobis amplius placatis, quanto me ei male servientem, districtius affligitis. Multas enim jam plagas acceperam, & supervenientibus dominorum jussionibus inveni consolationes, quas non sperabam. Si enim possum, has celeriter plagas enumero. Primum quod mihi pax subducta est, quam cum Longobardis in Tuscia positis sine ullo Reipublicæ dispendio feceram. Deinde corrupta pace, de Romana civitate milites ablati sunt, & quidem alii ab hostibus occisi, alii vero Narniis, & Perusii positi: & ut Perusium teneretur, Roma relicta est. Post hoc plaga gravior fuit adventus Agilulphi, ita ut oculis meis cernerem Romanos, more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et quia nos, qui intra Civitatem fuimus, Deo protegente, manus ejus evasimus: quæsitum est unde culpabiles esse videremur, videlicet, cur frumenta defuerint, quæ in hac urbe diu multa servari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicavi.*

5. Dein-

JESU CHR. AN. 595.

5. Deinde post aliqua: *De gloriosis viris Gregorio praefecto, & Castorio Magistro militum non mediocriter sum afflictus: qui & omnia quae potuerunt fieri, nullo modo facere neglexerunt, & labores vigiliarum, & custodiae civitatis in eadem obsessione vehementissimos pertulerunt, & post haec omnia, gravi dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter intelligo, quia eos non sua acta, sed mea persona gravat; cum qua, quia pariter in tribulatione laboraverant, post laborem pariter tribulantur. Quod autem Dominorum pietas illud mihi pavendum, & terribile Omnipotentis Dei judicium intentat, rogo per eumdem Omnipotentem Dominum, ne hoc ulterius quidem faciat: nam adhuc nescimus, quis ibi qualis sit.* Vidistin lector qua humilitate, ac Sacerdotali libertate Imperatoris litteras exceperit S. Gregorius, exemplo suo docens, non in malo vincendos malos, sed in bono malos, scilicet non superbia superbientes, sed humilitate? In tantis tribulationibus positus S. Pontifex, eousque angebatur, ut eum vivere etiam, ac cito dissolvi cum Apostolo, & esse cum Christo cuperet, unde ad Æliam Presbyterum, & Abbatem Isauriae scribens, haec ad finem addit: *Per Omnipotentem Dominum rogo, ut assiduas praeces pro nobis faciatis: quatenus de peccatis in quibus obligatus teneor, & tribulationibus quibus premor, citius absolvar, & patriae coelestis gaudiis perfruar.* Et ad Sebastianum Episcopum eadem repetit, ac addit: *Quamvis enim inaestimabilis sit coelestis patriae dulcedo, quae trahat; multi tamen in hac vita dolores sunt, qui ad amorem coelestium quotidie impellant, qui mihi in hoc ipso solum vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt.*

De Greg. Urb. Praef. & Castorio Magistro militum.

S. Greg. cupit dissolvi, & esse cum Christo.

Greg. lib. 5. epist. 38.

Greg. lib. 5. epist. 42.

6. Dum haec pateretur Sanctus Gregorius, altera doloris accessit causa, eo quod cum Joanne CPolitano Episcopo dissidere coactus est, ob usurpatum ab eo Œcumenici Episcopi titulum. Pelagii secundi, Gregorii praedecessoris tempore haec mota quaestio fuerat, cito repressa, hoc tempore referbuit, cum Mauritius Imperator Gregorio infensus, Joannis patrocinium suscepisset. De ea quaestione quamplurimae extant S. Gregorii ad diversos datae epistolae hoc anno, in quibus admirari lubet tanti Pontificis animi fortitudinem cum humilitate conjunctam, illud Apostoli monitum mente retinens: *Praedica verbum, insta, opportune, importune, argue obse-*

De gestis a S. Greg. adversus Joannem Constantinopol. ob usurpatum Œcumenici titulum.

JESU CHR. AN. 595.

ad Timoth. cap. 4.

obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina, atque imprimis ad ipsum Joannem Constantinopolitanum litteras dedit; Evangelicam servans regulam: *Si peccaverit in te Frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum*, atque ad finem epistolæ hæc habet: *Et nos quidem, in quos talis tantaque per ausum nefarium culpa committitur, servamus, quod veritas præcepit dicens. Si peccaverit in te Frater tuus &c. Ego itaque per Responsales meos semel, & bis verbis humilibus, hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui: nunc per me ipsum scribo. Quidquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere. Hæc itaque dicens, Omnipotens Deus fraternitati vestræ indicit, quanto circa vos amore constringar, quantumque in hac causa non contra vos, sed pro vobis lugeo*. Ad quæstionis hujus dilucidationem opere pretium est observare, quibus gradibus Episcopi Constantinopolitani ad tantæ dignitatis fastigium pervenerint, ut hoc tempore secundum in ecclesia, post Romanum Pontificem, locum tenerent, qui olim Heraclæensi Episcopo subditi erant, cui Bizantius suberat. At cum Bizantium in CPolim transiit, ac urbs Regia effecta est, Metropoliticam & Exarchicham facile dignitatem CP. Episcopus obtinuit, deinde Antiocheno, & Alexandrino Patriarchæ coequatus est, ac tandem inter Patriarchas primum locum tenuit; ita ut solo Romano Pontifici cederet, quem honorem in regiæ urbis gratiam CPolitanum concilium iis contulit, ac Chalcedonense concilium, repugnante quidem S. Leone Papa, confirmavit. Neque tamen ibi stare, & quiescere potuit ambitus Præsulum urbis Regiæ, sed ultra modum blandientes sibi ac superbientes, Œcumenici titulum, aut sponte assumpserunt, aut ab adulatoribus oblatum ambabus manibus acceperunt, retinueruntque, Joannes tertius, Epiphanius, Mennas, Œcumenicus Patriarcha sæpe a synodo Constantinop. subipso habita, vocatus est. Alii deinceps ejusdem urbis Episcopi, universalem Præfecturam forsitan in totum orbem Christianum, & in ipsam Romanam ecclesiam sibi vindicaturi, nisi eorum superbiæ, quæ semper ascendebat, Romani Pontifices obstitissent.

Gregorius Joannem amice interpellat.

Joannes dictus Jejunator Constantinop. Patriarcha quis esset.

7. Ex omnibus antem Constantinopolitanis Episcopis, vix alius tanta aviditate, & obstinatione visus est Œcumenici

nici nomen aucupasse, quanta Joannes cognomento jejunator, qui ea de causa, Synodum totius Orientis Constantinopoli celebravit, de quo hæc S. Gregorius: *Quod mox idem decessor meus* (Pelagius) *ut agnovit, directis litteris ex auctoritate S. Petri Apostoli, ejusdem synodi acta cassavit. Quarum videlicet epistolarum Sanctitati vestræ exemplaria studui destinare; Diaconum vero, qui juxta morem pro responsis ecclesiæ faciendis piissimorum Dominorum vestigiis adhærebat, cum præfato Consacerdote nostro missarum solemnia celebrare probibuit*. Hæc Gregorius, qui cum Pelagio successor datus fuisset, Joannem per Sabinianum Legatum suum rogavit, ut ab hoc titulo abstineret. At cum precibus nil profecisset, totis viribus tantum fastum comprimere conatus est; ac gravissimas ad eum litteras his verbis dedit: *Eo tempore, quo fraternitas vestra in Sacerdotalem honorem provecta est, quantum Ecclesiarum pacem, atque concordiam invenerit, recolit. Sed quo ausu, quove tumore nescio, novum sibi conata est nomen arripere, unde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum pervenire. Qua in re vehementer admiror, quia ne ad Episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini, quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio accurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris, ut Episcopus dici potuisses: ad hoc quandoque perductus es, ut despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii gravia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt, in quibus Synodi, quæ apud vos de fratris quondam, & consacerdotis nostri Gregorii causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum Acta dissolvit; & Archidiaconum, quem juxta morem ad vestigia dominorum transmiserat, Missarum vobiscum solemnia celebrare probibuit. Post ejus vero obitum, cum indignus ego ad Ecclesiæ regimen adductus sum, & ante per alios Responsales meos, & nunc per communem filium meum Sabinianum Diaconum alloqui Fraternitatem vestram, ut a tali se præsumptione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curavi: & si emendari nollet, eum Missarum solemnia cum Fraternitate vestra celebrare probibui, ut sanctitatem vestram prius sub quadam verecundiæ reverentia pulsarem, quatenus si emendari nefandus, ac profanus tumor verecunde non posset, tunc ad ea debuisset,*

JESU CHR. AN. 595. Gregorius in spiritu lenitatis arguit. *quæ sunt districta, atque canonica pervenire. Hinc rogo*, inquit, *deprecor, & quanta possum dulcedine exposco, ut fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, atque erroris nomen deferentibus contradicat, nec stulto, ac superbo vocabulo appellari consentiat. Vere enim flens dico, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis deputo, quod ille meus frater nuncusque ad humilitatem reduci non valuit, qui ad hoc in Episcopatus gradu constitutus est, ut aliorum animas ad humilitatem reducat: quod ille qui veritatem docet alios, semetipsum docere, nec me quoque deprecante, consensit &c.* Deinde post plurima, in detestationem superbæ usurpationis; eo quod Œcumenici nomen adhiberet, quo maximæ superbiæ speciem præferebat, hæc subdit.

Gregorii contestatio ad Joannem CP. Episc. 8. *Quæ cuncta ego cum flens conspicio, & occulta Dei judicia pertimesco, augentur lacrymæ, gemitus se in meo corde non capiunt, quod ille vir Sanctissimus Dominus Joannes tantæ abstinentiæ, atque humilitatis, suorum familiarium seductione linguarum, ad tantam superbiam erupit, ut in appetitu perversi nominis illi esse conetur similis, qui dum superbe esse similis Deo voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit, & veram beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsivit. Certe Petrus Apostolus primum membrum sanctæ, & universalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quam singularium sunt plebium capita: & tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se unquam Universalem vocare voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter Sanctus fuit. Numquid non (sicut vestra Fraternitas novit) per venerandum Chalcedonense Concilium, hujus Apostolicæ Sedis Antistites, cui Deo disponente deservio, Universales, oblato honore, vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit: ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus Fratribus denegasse videretur.* Deinde multa addens in detestationem superbi nominis, de causa Joannis presbyteri, de qua Constantinopolitanus Episcopus scripserat, hæc addit:

Scri-

Scripta autem Sanctitatis vestræ dulcissima, atque suavissima de causa presbyterorum Joannis, & Athanasii suscepi: de qua vobis in subsequentibus, Domino adjuvante respondebo; quia sub tantis tribulationibus circumfusus, barbarorum gladiis premor, ut non dicam multa tractare, sed mihi respirare vix liceat. Porro epistola Joannis Constantinopolitani ad S. Gregorium in causa Joannis Presbyteri, scandali (dixerim) petra fuit; nam in ea, ut habet S. Gregorius ad Sabinianum Apocrisarium Romanæ Sedis scribens, per omnem versum Œcumenicum Patriarcham se appellaverat. *Ad hoc enim, usque pervenit, ut sub occasione Joannis Presbyteri gesta huc transmitteret, in quibus se pene per omnem versum Œcumenicum Patriarcham nominaret. Sed spero in Omnipotentem Deum*, addit, *quia hypocrisim illius superna majestas solvet*, Sabinianum tandem admonet, ne ullo modo cum illo communicet. *Sicut tibi jam transactis epistolis scripsi, numquam cum eo procedere præsumas.* Quia vero Joannes Imperatorem Mauritium rogaverat, ut datis ad Gregorium epistolis, sequester pacis cum eo fieret, ad Sabinianum in eadem epistola adnotat. *Miror*, inquit, *quomodo dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres domno Imperatori persuaderi, quatenus ad me sua scripta de hac causa transmitteret, in quibus admoneret, ut cum eo pacem habere debuissem. Qui si justitiam tenere vult, illum debuit admonere, ut se a superbo vocabulo compesceret, & protinus inter nos pax fieret. Tamen qua id calliditate a prædicto fratre nostro Joanne factum sit, minime suspicor, pensasti. Idcirco enim hoc ille fecit, ut aut audiretur domnus Imperator, & ille in sua vanitate confirmatus esse videretur; aut non a me audiretur, & ejus animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenemus, nihil in hac causa aliud, nisi Omnipotentem Dominum metuentes.* Hæc ipse, qui tanti momenti hanc quæstionem esse credebat, ut in fine ejusdem epistolæ hæc adderet. *Postquam enim defendi ab inimicorum gladiis, urbem scilicet, postquam pro utilitate Reipublicæ, argentum, aurum, mancipia, vestes perdidimus, nimis ignominiosum est, ut per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud, quam fidem perdere.*

JESU CHR. AN. 595. Greg. lib. 5. epist. 18.

Greg. lib. 5. epist. 19.

9. Ad Imperatorem quoque scripsit S. Pontifex, plura adnotans, in detestationem Joannis, Œcumenici titulum, sibi

Gregorii ep. ad Imperat. de Rom. ecclesiæ dignitate.

JESU CHR. AN. 595.

sibi aucupantis, ac post multa de Primatu Romanæ ecclesiæ, addit: *Cunctis*, inquit, *evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura comissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Pasce oves meas. Ipsi dicitur: Ecce Satanas expetiit cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam: Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis. Ecce claves Regni cælestis accipit: potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur: cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus committitur, & tamen universalis Apostolus non vocatur: & Vir Sanctissimus Consacerdos meus Joannes vocari Universalis Episcopus conatur. Exclamare compellor, ac dicere: O tempora, o mores! Ecce cuncta in Europæ partibus barbarorum juri sunt tradita, destructæ Urbes, eversa Castra, depopulatæ Provinciæ, nullus terram cultor inhabitat: sæviunt, & dominantur quotidie in necem Fidelium cultores Idolorum; & tamen Sacerdotes, qui in pavimento & cinere flentes jacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, & novis ac profanis vocabulis gloriantur. Numquid ego in hac re piissime Domine, propriam causam defendo? Numquid specialem injuriam vindico, & non magis causam Omnipotentis Dei, & causam universalis Ecclesiæ? Quis est iste, qui contra statuta evangelica, contra Canonum decreta novum sibi usurpare nomen præsumit? &c.* Rogat pluribus, ut superbientem compescat: Scripsit etiam ad Constantinam Augustam, de eodem argumento, ubi post plurima. *Etsi*, inquit, *peccata Gregorii tanta sunt, ut pati talia debeat, Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt, ut vestris temporibus, pati ista mereatur.* Petri plane causam esse tradens, ut quis contra ejus primatum, Universalis appetat appellari, quare hæc subdit: *Unde iterum, atque iterum per Omnipotentem Dominum rogo, ut sicut parentes priores vestri Principes S. Petri Apostoli gratiam quæsierunt, ita vos quoque, & hanc vobis quærere, & conservare curetis, & propter peccata nostra, qui ei indigne servimus, ejus apud vos honor nullatenus minuatur. &c.*

Joan. 21. *Luc. 22.* *Matt. 16.*

Tempore humiliationis turpior superbia.

Greg. lib. 5. epist. 21.

Interpellat Constantinam Aug.

10. Quia

10. Quia vero Episcoporum omnium, maxime Patriarcharum honor hac usurpatione pulsabatur; S. Gregorius ad Eulogium Alexandrinum, & ad Anastasium Antiochenum Patriarcham, comunem dedit epistolam, cui adjunxit omnia quæstionis hujus documenta, & exemplaria litterarum, quas vel Pelagius 2.; vel ipse ad Joannem scripserat, ut intelligerent de summa Episcopatus agi in hac controversia. Tum eos hortatur, ne quemquam suis in epistolis universalem nominent Episcopum, ne sibi debitum detraherent, cum alteri honorem offerunt indebitum. Quia vero pacis, & unitatis amor intercedere poterat, quominus Joanni resisterent, docet qua ratione fovenda sit pax ex Apostolo dicente: *Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: Vidit enim*, inquit, *pacem bonos cum malis habere non posse: & idcirco, sicut nostis, præmisit, si fieri potest... quam videlicet pacem tunc veraciter tenemus, cum superborum culpas, charitate simul & justitia insistente prosequimur: cum eos diligimus, & eorum vitia odio habemus*, sicque bellum Joannis superbiæ indicendum esse, & pro tuendo suarum ecclesiarnm honore: *State*, addit, *fortes, state securi. Scripta cum universalis nominis falsitate, nec dare umquam, nec recipere præsumatis: Si qua autem adversa subsequantur, unanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in damnando generalitatis nomine, nostrum specialiter aliquid non amamus*. Hæc Gregorius, eos ad comunem certamen ineundum provocans.

JESU CHR. AN 595. Gregorii ep. ad Patriarchas Alex. & Antioch.

ad Rom. 12.

Quæ pax, & quando quærenda.

Greg. lib. 5. *epist.* 43.

11. Cum S. Gregorius in faciem Joannis CPolitani Episcopi restiterit; eo quod Œcumenici nomen usurpasset, quod ne Romano quidem Pontifici convenire posse dixit, ac Sanctus Leo Papa oblatum a Chalcedonensi synodo Œcumenici nomen recusaverit. *Sed nullus*, inquit, *eorum umquam hoc singularitatis nomen assumpsit, nec uti consensit*. Ex hoc Gregorii testimonio, immerito abutuntur heterodoxi, ut Primatum jurisdictionis in tota ecclesia Romano Pontifici denegent, quem Universalem, seu Œcumenicum Episcopum dici non posse, nec debere Gregorii auctoritas probat. At si attendatur quo sensu S. Gregorius Œcumenici nomen interpretatus sit, nec Romanum Pontificem dici posse fatebimur; eo scilicet sensu, quasi solus Episcopus in tota ecclesia, Rom. Pontifex esset; at eos etiam cœcutire oportet, dum non vident

Quomodo Romanus Pontifex Universalis Episcopus dici possit.

Greg. lib. 5. *epist.* 20.

vident Gregorium ipsum de se, suaque auctoritate tam modeste sentientem, jurisdictionem tamen in tota ecclesia exercuisse, in Africa, Ægypto, Asia, intra ipsos CP. Patriarchatus fines, ut ex causa Monachorum Isauriæ liquet, ubi ait. *Apostolica Sedes, Deo auctore, cunctis prælata constat ecclesiis*, item: *Curæ*, inquit, *nobis fuit quæ universis ecclesiis a nobis impenditur*, & iterum, *quia cunctarum ecclesiarum injuncta nos sollicitudinis cura constringit*. Et occasione Primatis Bizacenæ in Africa, qui se Apostolicæ Sedi subditum profitebatur, hæc scribit Joanni Syracusano: *Si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit*. Hæc & alia passim occurrunt, ut plura addere superfluum sit. Nam vel ipse Gregorius, etsi de se ipso, deque Pontificali dignitate, tam submisse humiliterque sentiret; Jurisdictionem tamen in tota, quæ late patebat ecclesia, exercuisse luce clarius est, itaut heterodoxi ad Gregorii tribunal provocantes, causa eos cadere manifestum sit: qui utinam aliquando saperent, & meliora intelligerent.

An Joannes CP. Episc. superbum nomen deposuerit.

12. An Gregorii admonitionibus Œcumenici nomen deposuerit Joannes, in incerto est: hoc unum constat, eum anno labenti, cum annos 13., menses aliquot in Episcopatu exegisset, e vivis abiisse; Vir sane Episcopatu non indignus, nisi superbia fœdasset, tantæ quippe toto vitæ tempore abstinentiæ fuit, ut Jejunatoris nomen adeptus sit; in pauperum vero necessitatibus sublevandis adeo effusus, ut ingentes ecclesiæ suæ redditus, in eos non solum effunderet, sed ære etiam alieno obstrictus obierit; talenta etenim plurima ab ipso Imperatore, data syngrapha, mutuo acceperat. Postquam vero e vita migravit: *Mauritius Imp. facultates requirens, paupertatem eum magnopere consectatum fuisse comperit: eumque de virtute tanta admiratus, syngrapham statim discerpsit: & lectulum tantum ligneum, qui in bonis ejus repertus est, & amiculum laneum tenue admodum, necnon penulam quamdam deformem (fuerat namque Joannes male vestitus, frugalitate vitæ conspicuus,) in aulam Imperialem inferri jussit, eaque rebus omnibus prætulit: & jejuniorum solemni tempore deinceps, lectis ex auro, & lapillis pretiosis concinnatis, sericisque vestibus, & aliis Imperialibus deliciis vale dicto, ligneo Præsulis ejus toro noctibus totis usus est, gratiam quamdam divinam ex eo se consecuturum existimans,*

ait

ait Nicephorus, cujus memoriam die secunda Septembris Græci recolunt, ut in Basilii menologio ad dictam diem videre est, quem etiam post obitum non semel idem Sanctus Gregorius laudavit, ut in epistola ad Athanasium Presbyterum, ubi hæc leguntur. *Sanctissimo Joanni quondam fratri, & Coepiscopo nostro CP. ecclesiæ*, paulo post. *De hoc quoque, & dilecto fratri nostro*, idest Cyriaco, *qui in supradicti Sancti Joannis loco ordinatus est &c.*, & in gratulatoria ad Imperatorem epistola ob Cyriaci ordinationem, Joannem sanctæ memoriæ virum dicit; Unde nonnulli putant, eum ante obitum superbum Œcumenici titulum deposuisse, ac Gregorii monitis morem gessisse. Hinc factum fortasse, ut cum medio hoc ineunte seculo, in Romana sacrorum rituum Orientalium congregatione de emendatione Euchologiorum, & Menologiorum Græcorum actum fuerit, Joannis nihilominus jejunatoris nomen retineretur. Nec solum moribus spectabilis fuit Joannes, sed etiam doctrina; librum quippe de baptismo ediderat, quem S. Leandro Hispalensi Episcopo nuncupavit, ubi Patrum sententias de trina mersione collegerat: at is liber temporum injuria periit; cujus apud eumdem Isidorum libro de scriptoribus ecclesiasticis mentio fit. Supersunt adhuc homiliæ quædam, ac de pœnitentia agenda libri duo a Morino editi, in suo de pœnitentia tractatu, cetera apud Dupinium seculo 6. pag. 223., aut Caveum videri possunt; cujus etiam famam vindicat Tommasinus de vet. & nova disciplina lib. 1. cap. 11. num. 19.

Cyriacus Constantinopol. Episcopus ordinatur, ejusdem virtutes.

13. Joanne e vivis sublato Cyriacus successit, vir optimis moribus, ac Gregorio in urbe Regia commoranti notissimus, ut idem Pontifex, epistola ad eum data, his verbis testatur: *Dudum dum in urbe Regia responsa Sedis Apostolicæ facerem, bona vestræ Sanctitatis agnovi, & quia vobis animarum nunc cura commissa est, valde gaudeo*, quem multis virtutibus exornatum fuisse, epistola altera idem Gregorius ad Imperatorem testatur. Tanta porro plebis Constantinopolitanæ, ac Cleri lætitia fuit, ut dum ordinaretur, ex psalmo illud cantarent: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*. Immoderatam tamen exultationem improbavit Gregorius, scriptis ad Petrum Domitianum, & Elpidium his verbis. *Ordinationem viri Sanctissimi Cyriaci Fratris, & Consacerdotis mei, cum magna vos lætitia suscepisse*

Greg. lib. 7. epist. 6.

Psal. 117.

Immoderatas laudes reprobat Gregorius.

JESU CHR. AN. 595.

pisse vehementer exulto . . . . post pauca. *Sicut tamen scripta Fraternitatis vestræ potui trascurrendo perpendere, magna lætitia in immoderatam ejusdem fratris mei laudem vos rapuit. Nam hunc sicut solem in ecclesia apparuisse dicitis, ita ut cuncti clamaretis: Hæc dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur in ea*, eos vero ea de causa reprehendit, eo quod in laudem Cyriaci psalmi versiculum usurpaverint, qui de Christo Domino intelligitur; mox tamen subdit. *Sed cur ista reprehendo, qui quantum gaudia mentem rapiant scio! charitas enim vestra magnam vobis lætitiam genuit, quam videlicet mentis lætitiam in favore lingua secuta est. Quod cum ita sit, laus ista culpa jam dici non potest, quam charitas invenit.* Postquam Cyriacus sedem Constantinopolitanam adeptus fuit, Gregorium Presbyterum, & Theodorum Diaconum in urbem misit, una cum fidei suæ confessione, Romano Pontifici de more exhibenda, qua hæretici omnes condamnabantur, quos Œcumenica concilia anathemate percusserant, inter eos erat Eudoxius de grege Semiarianorum, qui quarto ineunte seculo Antiochenam ecclesiam, deinde Constantinopolitanam invaserat. Cujus nomen ignorabat S. Gregorius, nec in veterum monumentis se reperisse testatur, his verbis. *Cum recta a vobis fides veraciter, & subtiliter sit prolata, inter eos, quos per Sanctissimas generales synodos damnandos esse censuistis, Eudoxium quemdam vos damnasse reperimus: cujus nomen in latina lingua, neque in synodis, neque in libris beatæ memoriæ Episcoporum Epiphanii, Augustini, & Philastrii, quos contra hæreticos præcipue disputasse novimus positum reperimus.* Gaudet tandem sibi Gregorius quod testimoniis Basilii, Gregorii Nanzianzeni, atque Epiphanii largissime satisfecerit. In redditis vero epistolis Cyriaco reciprocam reddidit fidei confessionem. Abstinendum tamen sibi esse ab Œcumenici titulo summopere rogavit, si Romanæ ecclesiæ communionem retinere cupiebat, appetendamque gloriam ex recte factis, non ex inani nomine, ut ibidem videre est, atque hoc loco adnotare juvabit, quod Gregorius, ut Joanni, Cyriaco, ceterisque orbis Episcopis humilitatem doceret; cum CPolitanos Episcopos superbum Œcumenici titulum usurpare cerneret, ut Episcopatum, divinam quamdam servitutem esse doceret, se nomen *Servi Servorum Dei*, tunc primum adoptasse narrat Joannes

ibidem ep. 7. lib. 7.

nes Diaconus in ejus vita lib. 2. cap. 1., quem titulum tamquam pretiosam hæreditatem successoribus suis reliquit. Hæc de Cyriaci ordinatione, ejusque dotibus, de quo inferius plura dicenda supersunt; Gregorius interea Sabiniano Apocrysario suo jussit, ne eidem celebranti Missarum solemnia assisteret, nisi usurpatum a prædecessore suo Œcumenici titulum deponeret. Sabinianus vero Gregorii jussionibns cum paruisset, ea de re conquestus est Cyriacus per suos responsales, quos Romam misit anno sequenti 596., vel 597. Legatos vero a Cyriaco ad se missos, cito Gregorius dimisit, ne hyemis asperitatem in itinere sustinere cogerentur, postea tamen optimos viros, tam cito dimisisse pœnituit, ac data ad eos epistola, dum adhuc in via essent, eosdem admonuit, in maximo versari errore, dum aliquando Romæ dixerant; Christum, cum ad Inferos descendit omnes liberasse, qui Deum confessi fuerant, idest christianam vitam professi fuerant, etsi in vitiis vixissent, quem errorem Augustini, & Philastrii auctoritate confutat, eosdemque admonet, ut ipsi non aliud tenerent. *Nisi quod vera fides per catholicam ecclesiam docet: quia descendens ad inferos Dominus illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viventes in carne per suam gratiam in fide, & bona operatione servavit.*

De Synodo Rom. in causa Joannis Presbyteri Chalcedonensis & Athanasii.

14. Epistola eadem ad Gregorium scripta, qua Joannes CP. Episcopus ad singulas fere lineas, Œcumenici titulum usurpabat, de Joanne quodam presbytero Chalcedonensi, & de Athanasio monacho agebat, qui cum ab eodem gradu suo, ob hæresis crimen dejecti fuissent, quin Athanasius verberibus etiam castigatus fuisset, ad Apostolicam Sedem, & ad Gregorium Papam appellaverant, quorum causam in synodo Romana retractandam censuit Gregorius, cui adfuere Episcopi vigintiduo, Presbyteri vero triginta tres, qui post Episcopos subscripti leguntur; Synodi autem acta hanc præfationem habent. *Regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo, temporibus piissimi ac serenissimi Domini Mauritii Tiberii, & Theodosii Augustorum; ejusdem Domini Imperii Mauritii anno 13. indict. 13. quinto die mensis Julii, Gregorius Papa coram sanctissimo B. Petri corpore cum Episcopis omnibus, ac Rom. ecclesiæ Presbyteris residens, adstantibus Diaconibus, & cuncto clero &c.* Quid in eorum causam statutum fuerit, videbimus infra, nunc Canones sex in ea synodo

JESU CHR. AN. 595.

nodo editos exhibemus; quorum primo cautum est, ut Diaconi cantare non debeant, *solumque evangelicæ lectionis officium inter Missarum solemnia exolvant*. Ut enim ad rem adnotant Thomasius, & Bona in rebus liturgicis peritissimi, psalmi, & hymni a Subdiaconis, vel lectoribus canebantur. Secundo canone cautum est, ut Pontificis cubiculo nonnisi clerici, vel monachi inservirent, ut ex sedula conversatione, virtutum exempla sumerent. Tertio, ne rectores patrimonii ecclesiæ alienis possessionibus sive rusticis, sive urbanis more fisci titulos apponerent. Quarto, ne Pontificum corpora Dalmaticis in sepultura tegerentur, quas devotionis causa clerus, & populus in frusta distractas sibi vindicare solebat. Jubet ergo S. Gregorius, ut Feretrum, quo Romani Pontificis cadaver ad sepulchrum ferebatur, nullo linteo tegeretur. Quinto, pro ordinatione, vel Pastio, neque ordinandus, aut ordinator, aliquid pro pastello solvat, idest pro pastu, seu prandio. Sesto. Demum, ut cum quis juris ecclesiasticis, vel sæcularis militiæ addictus ad Dei servitium convertitur, probetur prius in laico habitu.

Joannes Presbyter. Chalcedonensis in synodo Rom. absolvitur cum monacho Athanasio.

15. Joannes deinde Presbyteri Chalcedonensis, qui Marcionitarum hæresi accusatus, dignitate sua anno 592. amotus fuerat, & Athanasii Presbyteri, & Monachi, qui eadem de causa damnatus, & verberibus etiam affectus fuerat, causam synodus Romana retractavit; quorum fidei confessionem cum recepisset synodus, injuria eos gradu suo dejectos, ac condemnatos fuisse declaravit. De eorum appellatione ad Rom. Sedem, hæc in epistola ad ipsum Athanasium narrat Gregorius. *Atque ideo dum tibi Athanasio presbytero monasterii Sancti Mile, cui est vocabulum Tamnaco, quod in Lyconia est provincia constitutum, contraria integræ fidei fuisset orta suspicio, ut professionis tuæ posset integritas apparere, ad Apostolicam Sedem, cui præsidemus, elegisti recurrere, asserens etiam te corporaliter verberatum, aliqua injuste te violenter subiisse &c.* Eam ob causam plures extant S. Gregorii epistolæ hoc anno scriptæ, quarum prima ad ipsum Joannem CPolitanum Episcopum, hanc notatu dignam sententiam S. Gregorius profert, quod veraciter catholicam fidem profitenti, nolle credere, non esse hæresim purgare, sed facere, unde: *Hoc ergo Frater Carissime, subtiliter perpendamus, & sub prætextu hæresis affligi quempiam veraciter pro-*

Greg. lib. 6. epist. 15.

profitentem fidem catholicam non finamus; ne quod absit, hæresim fieri sub emendationis magis specie permittamus. In eamdem sententiam de eodem scribens ad Mauritium Imperatorem addit. *Nam veraciter profitenti non credere, non est hæresim purgare, sed facere*. Rogat ergo Imperatorem, ne Joannem Presbyterum, ulterius affligi permittat. *Relectis igitur in concilio, quæ contra Joannem Chalcedonensis ecclesiæ presbyterum acta sunt, simul & serie judicati, majorem illum injustitiam sustinuisse cognovimus; quippe quem clamantem se, atque monstrantem catholicum esse, non reatus culpa, sed diu accusatio incerta contrivit: in tantum, quia accusatores ipsius Marcionistarum, quam commemorabant hæresim, se nescire aperta responsione professi sunt. Et qui illico in ipso fuerant judicii limine repellendi, in accusatione ejus permanere incerte permissi sunt. Sed ne dicta eum saltem lacerare potuisset opinio, libellum fidei protulit, in quo se patenter ostendere fidei rectæ professorem studuit, & sequacem. Sed hunc a Sanctissimo Joanne Fratre, & Coepiscopo nostro judices deputati, injuste ac irrationabiliter negligentes, dum in ejus se niterentur occupare gravamine, se potius reprehensibiles ostenderunt. Nam nullus ambigit, infidelitatem esse, fidem fidelibus non habere. Quia ergo omnibus subtiliter rimatis, atque tractatis, Catholicum suprascriptum Joannem Presbyterum, sancti Concilii mecum definitio, divinæ potentiæ revelante gratia, declaravit, nec quædam in ipso hæreticæ macula pravitatis inventa est: obsecro ut pia serenitatis vestræ protectio illæsum illum ab omni molestia servari præcipiat, nec catholicæ fidei confessorem, aliquam sinat inquietudinem sustinere. Nam veraciter profitenti non credere, non est hæresim purgare, sed facere. Quod si licuerit, surget infidelitatis occasio, & ipsi in eas, quas incaute volunt emendare culpas incurrent. &c.* Athanasium quoque Monachum, & presbyterum, quem etiam tamquam hæreticum flagellatum condemnaverat Joannes CP. Episcopus, innocentem se invenisse Romana synodus declaravit. Atque ad Narsetem scribens Gregorius ajebat. *Charitas vestra sollicitudinem nostræ opinionis habens scribere studuit, quid de illo Codice, qui contra Athanasium Presbyterum transmissus est, sensit. Quem nos ex parte aliqua subtiliter percurrentes in Manichæi invenimus dogma cecidisse. Sed is, qui loca aliqua esse hæretica*

JESU CHR. AN. 595.

Greg. lib. 6. epist. 16.

ibidem epist. 16.

 signo

Jesu Chr. an. 595. *signo contra posito ostendit, ipse quoque in Pelagianam hæresim labitur; quia quædam loca catholice dicta, & omnino orthodoxa velut hæretica annotavit.* Cum tamen Athanasius oblato fidei suæ libello, se quinque Œcumenicas synodos suscipere professus fuerit, ac se Codicem apud se repertum Manichæismi erroribus scatentem abjecerit, ab omni hæresi innoxium esse S. Gregorius declaravit, & ut ad suum rediret Monasterium permisit, ut in epistola anno proximo ad eum data testatur.

Gregorius Athanasium absolvit, & suæ restituit dignitati.

16. Eadem porro epistola ad Narsetem Comitem S. Gregorius eum admonet, Ephesini concilii Codicem Constantinopoli missum falsatum se invenisse, parumque ideo eorum Codicibus esse fidendum. *Et existimamus, quia sicut Chalcedonensis synodus in uno loco ab ecclesia Constantinopolitana falsata est, sic aliquid in Ephesina synodo factum est. Charitas ergo vestra vetustos omnino Codices ejusdem synodi requirat, & illic inde videat, si quid tale invenitur, mihique eumdem Codicem, quem invenerit, transmittat, quem mox ut legero retransmitto. Novis enim Codicibus passim non credat*, & paulo post. *Romani Codices multo veriores sunt Græcis, quia nos vestra sicut non acumina, ita nec imposturas habemus.* Hæc Gregorius, an id ex ignorantia, vel malitia fecerint, divinare quis potest? ait Garnerius.

Græcorum Codices sæpe falsati reperiuntur.

Garner. in Marium to. 2. pag. 63.

17. Anno proximo sub Anathematis comminatione Maximo Salonitanæ ecclesiæ invasori prohibuerat S. Gregorius, ne sacris se misceret; at ille ut in Apocalipsi dicitur. *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Maximus, inquam, sæculari auctoritate fretus, eo audaciæ devenerat, ut Pontificis litteras excommunicationem intentantes, publice scindi fecerit, & Mauritii Imperatoris protectione munitus, in Missarum Celebratione, ceterisque Episcopalibus officiis perseveravit. Quæ ut relatione audivit S. Gregorius, ad Constantinam Augustam scribens, de injuria sibi illata, his verbis conquestus est. *Salonitanæ vero civitatis Episcopus me, ac responsali meo nesciente, ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus evenit. Quod ego audiens, ad eumdem prævaricatorem, qui inordinate ordinatus est, protinus misi, ut omnino Missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius a serenissimis dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi jussis-*

Maximi Salonitani audacia, & gesta adversus S. Gregorium.

Apocal. cap. 22.

Facinora Maximi.

fissent, quod ei sub excommunicationis interpositione mandavi. Et contempto me atque despecto, in audaciam quorumdam saecularium hominum, quibus denudata sua Ecclesia, praemia multa praebere dicitur, hucusque Missas facere praesumit, atque ad me venire secundum jussionem dominorum noluit. Ego autem praeceptioni pietatis eorum obediens eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc quod in ordinatione sua me, vel Responsalem meum praetermittere praesumpsit, ita ex corde laxavi, ac si me auctore fuisset ordinatus. Alia vero perversa illius, scilicet mala corporalia, quae cognovi, vel quia cum pecuniis est electus, vel quia excommunicatus Missas facere praesumpsit, propter Deum irrequisita praeterire non possum. Sed opto, & Dominum deprecor, quatenus nihil in eo de his, quae dicta sunt, valeat inveniri, & sine periculo animae meae causa ipsius terminetur. Prius tamen quam haec cognoscantur, serenissimus dominus discurrente jussione praecepit, ut eum venientem cum honore suscipiam. Et valde grave est, ut vir de quo tanta, & talia nunciantur, cum ante requiri, & discuti debeat, honoretur. Et si Episcoporum causae mihi commissorum apud piissimos dominos aliorum patrociniis disponuntur; infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed ut Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad saeculares judices habeant, Omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breviter suggero, quia aliquantulum expecto; & si ad me diu venire distulerit, in eo exercere districtionem Canonicam nullo modo cessabo. In Omnipotenti autem Domino confido, quia longam piissimis Dominis vitam tribuet, & nobis sub manu vestra, non secundum peccata nostra, sed secundum gratiae suae dona disponet. Haec ergo tranquillissimae dominae suggero: quia integerrima serenitatis ejus conscientia, quanto moveatur zelo rectitudinis, atque justitiae non ignoro. Hactenus ad Constantinam Gregorius.

JESU CHR. AN. 595.

Justa querela S. Gregorii.

18. Exarchi autem Romani suggestione, Maximi Episcopi protectionem suscepisse Mauritium testatur S. Gregorius in epistola ad Sabinianum Diaconum: *Postquam Serenissimus Dominus Imperator jussiones transmisit, ut ordinari minime debuisset, tunc ad altiorem superbiam erupit. Nam homines* gloriosi viri Patricii Romani (*hic Exarchus erat*) *ab eo praemia acceperunt, eumque ita ordinari fecerunt, ut*

Magna Maximi contumacia.

Anto-

Jesu Chr. an. 595.

Antonium Subdiaconum, & Rectorem patrimonii, nisi fugisset, occiderent. Ego autem epistolas transmisi, postquam eum ordinatum contra rationem cognovi, & contra consuetudinem, ut missarum solemnia celebrare non præsumeret, nisi prius a serenissimis dominis cognoscerem, quid de ejus persona jussissent. Quæ scripta mea publice relecta, vel in civitate posita, publice scindi fecit, atque in contemptum Sedis Apostolicæ apertius exiliit. Quod ego qualiter patiar, scit, qui ante paratior sum mori, quam beati Petri Apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores etiam meos bene cognitos habes, quia diu porto; sed si semel deliberavero non portare, contra omnia pericula lætus vado. Unde necesse est cum Dei auxilio periculo succurrere, ne cogatur excedendo peccare. Vide quæ dico, & pensa ex quanto dolore sunt.

Gregorii longanimitas.

De Malcho Episcopo calumniam Gregorius diluit.

Greg. lib. 6. epist. 27.

19. Ob eamdem causam, Maximum Episcopum Romam non semel vocaverat Gregorius, at Maximus in sua perseverans obstinatione, ac excusationes in peccatis quærens, nimiam Gregorii severitatem prætexabat, ac privato in seipsum odio ferri ajebat, quibus ut fidem faceret, Malchum quemdam Episcopum in carcere mori eum coegisse, addebat, cujus calumnias Gregorius diluit, epistola altera. *Pervenit vero ad me, quia transmisit nescio quem clericum, qui diceret, quia Malchus Episcopus in custodia pro solidis occisus sit. De qua re unum est, quod breviter suggeras serenissimis Dominis nostris, quia si ego servus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem; hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec comites haberet, atque in summa confusione esset divisa: sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.* Quasi diceret, tantum abesse ut coegerit mori Episcopum, ut nec ipsos hostes, cum posset, voluerit occidi. At quomodo de Malcho res se habuerit, accipe ex ipso, cum subdit: *Malchus autem Episcopus neque in custodia fuit, neque in aliqua afflictione: sed de die qua causam dixit, & addictus est, nesciente me, a Bonifacio notario in domum ejus ductus est: cui & prandium factum est, ibique prandit, & honoratus est ab eo, & nocte subito mortuus est: quod jam dilectionem tuam arbitror cognovisse.* Hæc de calumnia ex morte Malci prætensa.

20. Vi-

Jesu Chr. an. 595.

20. Vicit tandem Gregorius paternis adhortationibus, & invicta constantia Maximi contumaciam, unde factum est, ut ad meliorem mentem rediret, cumque Romam venire renueret Maximus, obsessas ab hostibus vias prætexens, & Imperatoris præceptum, qui jusserat ut Salonæ, aut in Dalmatia, ubi quæstio mota erat, finiretur, concessit S. Gregorius, ut Ravennam se conferret, ubi juramento se purgavit supra Corpus Sancti Apollinaris, se nimirum a Simoniaca labe integrum, atque immunem esse: acceptaque pœnitentia de inobedientia, & contumacia, qua in Apostolicam Sedem peccaverat, ad Salonitanam ecclesiam consentiente Gregorio rediit, cui etiam idem Pontifex pallium dedit. Hæc omnia constant ex epistolis ipsius S. Gregorii datis Indictione secunda: unde apparet caussam hanc cœptam Indictione duodecima, perdurasse annos quinque.

Maximus ad saniorem mentem redit, & cum Gregorio reconciliatur. Causa Maximi Mariniano committitur.

21. Hoc anno, vel in fine superioris, Amos Hierosolymorum Episcopus, post Joannem electus est. Evagrius enim in fine suæ historiæ, quæ definit anno 593., vel 594. hæc habet. *Et Joannes Hierosolymorum, qui paulo post obiit, & nemo adhuc ad illius Episcopatus gubernacula capessenda designatus est*. De ejusdem autem ordinatione, hæc narrat Sophronius. *Cum descendisset Abbas Amos Hierosolymam, & Patriarcha ordinatus esset: venerunt omnes monasteriorum eremi Abbates, ut adorarent eum; inter quos adfui & ego cum Abbate meo. Cœpitque Patriarcha dicere Patribus: Orate pro me, fratres: magnum enim onus, & intolerabile mihi injunctum est; sacerdotiique dignitas me terret immodice. Petri enim, & Pauli, & similium est regere rationales animas. Nam inveni scriptum, quia beatissimus, & æqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, per quadraginta dies perseveravit ad sepulchrum Apostoli Petri vigiliis, & orationibus insistens, petensque ab Apostolo, ut pro se apud Deum intercederet, ut dimitterentur sibi peccata sua. Impletisque diebus quadraginta, apparuit ei Petrus Apostolus, dicens: Oravi pro te, & dimissa sunt tibi peccata tua præter impositionis manuum: hoc enim solum abs te requiretur, sive bene, sive fortasse aliter egeris*. Hæc de his Sophronius, quorum fides penes auctorem sit.

De ordinatione Amos Episcop. Hierosolymitani *Evag. lib. 6. cap. 23. Prat. Spirit. cap. 149.*

22. Hoc etiam anno cum ad Galliarum Episcopos litteras dedisset S. Gregorius, & Virgilium Arelatensem Episco-

Gregorii ep. ad Episcopos & Reges Galliarum.

Jesu Chr. an. 595.

scopum (ut diximus) virum moribus, ac virtutibus ornatissimum, Vicarium suum constituisset in Regno Childeberti Regis, ut quæ contra canones invaluerant, corrigeret, ac præcipue, ut simoniacam labem ab ecclesiis exterminaret, ac datis ad Childebertum Regem, & ad Brunichildem Reginam litteris, ut ecclesiæ utilitatibus ipsi quoque consulerent, excitavit, nec facile laicos ad Episcopale officium ordinare permitterent, aut juberent, admonuit. *Certum namque est*, inquit, *non vos ante exercitui Ducem præponere, nisi vobis labor ejus, fidesque constiterit, nisi eum anteactæ vitæ virtus, & sollicitudo aptum esse monstraverit. Si vero non aliis, nisi hujusmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis Dux debeat animarum, ex istius bene rei comparatione colligitur.* Ad Brunichildem quoque Reginam, matremque Regis scribens, de Francorum Regno, atque Rege, hæc habet. *Non immerito contigit, ut cuncta gentium Regna præcelleret: quippe earumdem gentium Creatorem, & pure colit, & veraciter confitetur. Sed ut laudabilius in eo fides cum operibus enitescat, adhortationis vestræ eum verba succedant*, & rursus ad Childebertum Regem: *Quanto cæteros homines regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna, regni vestri profecto culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt & alii, non mirum est: sed esse Catholicum, quod alii non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor in terræ noctis obscuritate luminis sui claritate fulgescit, ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat, ac coruscat. Quidquid enim Reges se ceteri gloriantur habere, habetis: sed ipsi in hac re vehementius superantur, quoniam hoc principale bonum non habent, quod habetis. Ut ergo sicut fide, ita & actione vincantur, benignam se excellentia vestra suis subjectis semper exhibeat. &c.* Dedit has litteras Gregorius Candido presbytero, quem post Patricium Dinamium ad curandum Patrimonium S. Petri misit ad eumdem Regem, atque una cum litteris etiam munus, Rege Christianissimo dignum, de quo in fine ejusdem Epistolæ hæc habet: *Claves præterea S. Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus inclusum est, excellentiæ vestræ direximus: quæ collo vestro suspensæ a malis vos omnibus tueantur.*

Regum Francorum laudes ex fide catholica.

23. Hoc

JESU CHR. AN. 595.

23. Hoc etiam tempore ad Leandrum Hispalensem Episcopum, cui alias librum regulæ Pastoralis miserat Gregorius, Moralium libros misit, non quidem omnes, sed eos quos habebat præ manibus, ac tertiam, & quartam ejusdem operis partem in promptu se non habere, ut mitti posset, testatur. Ad Dominicum vero Carthaginensem Episcopum scribens se ejus orationibus commendat. *Ut ad hæc pervenire mereamur*, idest ad vitam æternam, *& me pro vobis, apud Sanctissimum Beati Petri Apostolorum Principis corpus, & vos pro me, apud Sanctum Cyprianum Martyrem orationibus decet incumbere.*

S.Gregorius libros Moralium ad Leandrum mittit.

24. Hoc anno Joannes Ravennatensium Episcopus vivere desiit, ad quem extat Gregorii epistola, qua eum ut mores suos emendaret, admonuerat; ac *Primum*, ait S. Pontifex, *in hoc contristat, quia mihi fraternitas tua duplici corde scribit, & alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in lingua sua seculariter ostendit*; *Deinde grave mihi est quia irrisiones illas, quas habere notarii adhuc pueri solent, usque adhuc frater meus Joannes in lingua sua retinet. Mordenter loquitur, & quasi de tali astutia lætatur. Amicis præsentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Tertio grave mihi, & omnino execrabile est; quia servis suis qualibet hora fuerit turpia crimina imponit, ut effeminati, & adhuc graviter de hoc apertius vocantur. Post hoc accessit, quod disciplina ad vitam clericorum custodiendam nulla est, sed tantummodo solum se Clericis suis Dominum exhibet. Ultimum vero est, quod tamen pondere elationis primum, quia de usu palii extra Ecclesiam: quod decessorum meorum temporibus facere umquam præsumpsit: numquam decessoribus ejus præsumptum est, sicut responsales nostri testantur (excepto si reliquiæ conderentur; quod tamen de reliquiis, unus tantummodo potuit inveniri, qui diceret) meis diebus in despectum meum cum summa audacia non solum faciebat, sed etiam frequentabat. Ex quibus omnibus invenio, quia honor Episcopatus totus foris in ostentatione est, non in mente. Et quidem Omnipotenti Deo gratias ago: quia eo tempore quo ad me hoc pervenit, quod ad aures decessorum meorum numquam pervenerat, Longobardi inter me, & Ravennatem civitatem positi fuerant. Nam ostendere forsitan hominibus habui, quantum scio esse districtus. Ne autem credas quia ego Ecclesiam* tuam

Joannis Ravenn. Episc. obitus.

JoannemRavenn. Episcopum Gregorius corripit.

tuam in aliquo gravari aut minui volo: recordare in Missarum Romanorum solemnibus ubi Ravennas Diaconus stabat, & require ubi hodie stat, & cognosces quia Ecclesiam Ravennatem honorare desidero. Sed ut quicumque quodlibet ex superbia arripiat, hoc ego tolerare non possum. Tamen hac de re jam Diacono nostro Constantinopolim scripsi, ut per omnes, qui sub se etiam tricenos & quadragenos Episcopos habent, requirere debeat. Et sicubi iste usus est, ut in litaniis cum palliis ambulent, absit ut per me Ravennatis honor Ecclesiæ in aliquo imminui videatur. Hæc ergo omnia quæ superius dixi, Frater carissime, recogita; diem vocationis tuæ attende; quas rationes de sarcina Episcopatus redditurus es, considera. Emenda illos mores Notarii. Vide quid in lingua, quid in actu Episcopum deceat. Esto totus purus fratribus tuis. Non aliud loquaris, & aliud in corde habeas. Nec appetas ultra videri quam es, ut possis ultra esse quam videris. Crede mihi, quando ad hunc locum veni, tantæ deliberationis fui tantæque charitatis circa Fraternitatem tuam ut si eamdem caritatem meam custodire voluisses, adhuc talem fratrem, sicque te pure diligentem, tibique omni devotione concurrentem numquam inveneras: sed cognitis verbis ac moribus tuis, fateor, resilui. Rogo ergo per Omnipotentem Deum, emenda omnia illa quæ præmisi, maxime duplicitatis vitia. Permitte me amare te, & ad præsentem, & ad futuram vitam: utile tibi esse poterit, ut a Fratribus ameris. Ad hæc autem mihi non verbis, sed moribus responde. Hæc ad eum Gregorius quasi eum mox moriturum præsciviſſet. Ab ejusdem tamen amicitia numquam recessit S. Gregorius quem beneficiis promereri semper studuit. Nam (ut diximus) eidem Joanni libros de cura Pastorali nuncupaverat; Reliquias S. Pontificum, Marci, Marcelli, atque Feliculæ Martyris miserat, ut docet inscriptio, quam Rubeus his verbis recitat.

Inclita præfulgens Sanctorum limina Templo
Marci, Marcelli, Feliculæque simul
Pontifices hos Roma cepit, hæc martyr habetur
Horum Gregorius dat Papa reliquias
Quas petit Antistes meritis: animoque Joannes

post pauca de tempore quo gubernavit Ecclesiam Ravennatem

Qui

Qui bis septeno sacri Diadematis anno
Tractatu vigili quo regit ecclesiam, &c.

Ut vero eum obiisse didicit, non obscura doloris sui indicia dedit Gregorius, ad Castorium quippe scribens ajebat: *Nimis nos Joannis Fratris, & Coepiscopi nostri mors cognita contristavit, maxime quod civitas illa hoc tempore amisit Pastoralis curæ solatium*, ac ejusdem ecclesiæ visitatorem destinavit Severum Episcopum, Castorio vero Notario præcepit, ut Ravennates hortaretur, ut quantocius Episcopum, *non, largum proemiis, sed dignum meritis eligerent*.

Greg. lib. 5. epist. 23. 25. 26.

25. Defuncto Joanne Marinianus Ravennatensis Episcopus est ordinatus, de quo extat epistola Gregorii ad Andream Scholasticum, qua alium Joannem electum respuit, eo quod psalmos nesciret. Rejecit etiam Donatum Archidiaconum cui multa obstabant: Mariniani vero electionem confirmavit, utpote quem in Monasterio socium habuerat, de ejusdem electione hæc inter alia narrat, in epistola ad Andream: *Excellentissimi viri Domni Patricii voluntatem in persona Donati Archidiaconi implere voluimus: sed quia valde periculosum est animæ temere cuiquam manum imponere, curæ nobis fuit, vitam actusque ejus subtili investigatione discutere. Et quoniam multa inventa sunt, sicut eidem domno Patricio scripsimus, quæ eum procul ab Episcopatu removent, Dei judicium metuentes, in ordinando eo non prævidimus consentire. Sed nec Joannem Presbyterum Psalmorum nescium præsumpsimus ordinare, quia hæc eum res minus sui profecto hebere studium demonstrabat. His igitur remotis cum ad eligendum de suis a nobis partes urgerentur, & nullum se habere ad hoc officium faterentur idoneum, majorque nos una cum eis teneret afflictio, tandem venerabilem fratrem Marinianum Presbyterum, quem diu mecum didicere in monasterio conversatum, communi concordantique voce, atque consensu sæpius petiverunt. Cui refugienti, diversis modis vix aliquando potuit suaderi, ut eorum præberet petitioni consensum. Et quia bene nobis ejus vita est cognita, atque in lucrandis animabus illum novimus esse sollicitum, nullam in ordinatione ipsius moram attulimus*. Hæc, & alia in ejusdem laudem Gregorius, cui pallium misit, ut statutis diebus uteretur.

Marinianus in Episcop. Ravenn. eligitur. Greg. lib. 5. epist. 48.

Greg. lib. 5. epist. 56.

JESU CHR. AN. 595.

tur. Quia vero in eum aliqui obloquebantur, quod concilium Chalcedonense non reciperet (quæ apud schysmaticos solita calumnia erat in eos, qui tria damnabant capitula) de his scripsit Gregorius ad Clerum, & plebem Ravennatem.

Greg. lib. 6. epist. 2.

Gregorii ep. de privilegiis ecclesiæ Ravenn. Apocrypha.

26. Ad eumdem Marinianum aliæ plurimæ S. Gregorii extant epistolæ, quarum una pallii usum eidem concedit, suæque ecclesiæ privilegia confirmat. *Omnia etiam privilegia, quæ tuæ pridem concessa esse constat ecclesiæ, nostra auctoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.* Quam vero de privilegiis ecclesiæ Ravennatis chartam ex Ursiana bibliotheca depromptam in lucem protulit, D-Rubeis in historia Ravennatensis ecclesiæ, commentitiam esse invictis argumentis demonstrant Baronius, & Muratorius, ut plura addere superfluum sit, cum tot occurrant falsitatis indicia, quot in ea sunt sententiæ, aut si mavis etiam quot verba; ut cuique eam legenti patebit.

De Rubeis hist. Ravenn. lib. 4.
Bar. an. 595. num. 78.
Murat. ad eumdem annum.

Gregorius neminem invitum cogebat ad Episcopatum.

27. Inter Gregorii curas, una erat, ne ecclesiæ Pastore viduatæ diu remanerent, de quo argumento plures extant ejusdem hoc anno datæ epistolæ, ex quibus, aliisque alio tempore in eamdem rem conscriptis, illud admiratione dignum, quod neminem invitum, onus Episcopale subire coegit, etsi interdum persuaserit, vim tamen nemini adhibuit, immo quo aliquem sanctiorem sciebat, eo magis suo relinquebat arbitrio. In quam rem Sebastiano scribebat hoc anno. *Indico, quod ad me Bonifacio defensore referente, quia vir Sanctissimus frater noster Anastasius Patriarcha (Antiochenus) in una suarum civitatum regendam vobis Ecclesiam committere voluit, & consentire noluistis. Quem sensum, ac sapientiam vestram valde ego libenter amplexus sum: laudavi vehementer, & vos felices, me infelicem esse deputavi, qui hoc tali tempore regimen Ecclesiæ suscipere consensi. Si tamen animus vester fortasse fratribus condescendendo, & misericordiæ operibus intentus, ad hoc unquam consentire decreverit; peto ut amori meo alium minime præponatis. Sunt enim in Sicilia insula Ecclesiæ vacantes Episcopis: & si vobis placet auctore Deo Ecclesiam regere, juxta Beati Petri Apostoli limina cum ejus adjutorio, melius potestis. Sin vero non placet, feliciter insta, ut ista in vobis intentio permaneat, & pro nobis infelicibus exora.* Hæc Gregorius ad Sebastianum in Orien-

Oriente Episcopum, sed e sua sede barbarorum incursione expulsum, cum tamen certum sit ab aliis Pontificibus etiam Sanctissimis, ad idem onus alios coactos fuisse. Sed secundum Apostolum, alius quidem sic, alius vero sic.

Jesu Chr. an. 595. *ad Corint.* 7.

28. Monachorum etiam propensiorem curam gessit Gregorius, eorum præcipue, quos sciebat, professionis monasticæ cultores esse, quorum postulationibus semper facilem se præbuit. Unde Eliæ Abbati in Isauria, qui librum Evangelii petierat, ac pro cella ædificanda solidos quinquaginta, utrumque, ac majorem quam postulaverat summam misit. *Solidos autem vobis voluistis pro necessitatibus cellæ quinquaginta transmitti; quos multum esse æstimantes, ex eis nobis decem donastis, ut quadraginta mitteremus. Sed ne forsitan, vel hoc grave esset, adhuc alios nobis ex eis estis dignati largiri. Sed quia valde vos in continentia nostra benignos invenimus, eidem benignitati vice simili respondemus. Quinquaginta transmisimus: & ne forsitan minus essent, alios decem superaddidimus: ne vero & hoc adhuc minus esset, alios duodecim jungi fecimus.* Ubi vero prolapsam sciebat monasticam disciplinam, ut revocaretur, omni studio incumbebat, ut ex epistola, hoc anno ad Joannem Abatem data, videre est.

Gregorii pro monachis sollicitudo.

29. De ecclesiæ bonis ea erat Gregorii cura, ut quæ antiquitus statuta erant, servarentur, ita ut ex redditibus ecclesiæ, quatuor partes fierent, quarum una cederet Clero, pauperibus alia, tertia restaurationibus ecclesiarum, quarta Episcopo si præesset, alioquin quarta hæc dividebatur, ita ut dimidia tantum Episcopo absenti tribueretur, pars altera Visitatori ab Apostolica Sede delegato. Unde in epistola ad Leontium Episcopum Ariminensis ecclesiæ visitatorem, inter cætera hæc leguutur: *Quidquid vero de redditibus ecclesiæ ipsius accesserit, quatuor juxta consuetudinem oportet fieri portiones; unam, scilicet, quæ Clero præbenda sit; aliam quæ pauperibus. De reliquis autem duabus partibus tres fieri volumus. Unam sartis tectis profecturam, aliam pro sustentatione sua, Castorio proprio Episcopo dirigenda, reliquam tibimet retinendam.*

Quomodo impendi debeant bona ecclesiæ.

J E-

JESU CHRISTI AN. 596. GREGORII PAPÆ 7.
MAURITII IMP. 15. AGILULPHI LONGOBARD. REGIS 7.

Gregorii sollicitudo pro pace cum Longobardis ineunda. *Greg. lib. 5. epist. 36.*

1. Quingentesimo nonagesimo sexto Christi anno, eamdem, quam pro ineunda cum Longobardis pace sollicitudinem susceperat, Gregorius habuit; cui subscribere Agilulphus paratus erat, ea conditione, ut quæ pacis tempore ablata fuerant, restituerentur. *Se modis omnibus satisfacturum pollicebatur, si quid a partibus suis constiterit esse commissum.* At Romanus Exarchus, privata commoda publicæ tranquillitati præferens, S. Gregorii consiliis restitit, ac data opportunitate bellum instaurare, numquam cessabat. Quare eum ad meliora consilia revocare hoc etiam anno conatus est, ac datis ad Secundum litteris rogavit, ut una cum Castorio Notario suo, Exarchum ad subscribendam cum Agilulpho Longobardorum Rege pacem inducerent. Irrita autem hoc etiam anno Sancti viri vota cesserunt. Quin instigante Exarcho, ut verosimile est, contestatorii quidam libelli noctis tempore, adversus Castorium Ravennæ vulgati sunt, quibus ipse quoque Gregorius perstringebatur, quorum temeritatem, ut reprimeret Gregorius, libellorum auctores excommunicationis pœna afficiendos censuit. Hæc ad Ravennates scribens. *Quidam maligni spiritus consilio repletus, contra Castorium notarium, ac Responsalem nostrum nocturno silentio in civitatis loco contestationem posuit in ejus crimine loquentem, mihique etiam de facienda pace callide contradicentem. Et quia quisque veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare, oportet ut publice exeat, & quæcumque in contestatione sua loqui præsumpsit, ostendat. Quod si non exierit, neque publice confessus fuerit: quisquis ille sit, qui hoc agere præsumpsit, vel consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuit; ex Dei & Domini nostri Jesu Christi spiritu definimus, ut Sancti ejus Corporis, ac Sanguinis participatione privatus sit. Si vero quia latet, & quoniam nescitur, teneri a disciplina non valet, si tanti mali conscius, etiam prohibitus, corpus & sanguinem Domini percipere præsumpsit; anathematis ultione percussus sit, & ut fallax ac pestifer a Sanctæ Ecclesiæ corpore divisus &c.* Quæ vero interim vastantibus Italiam Longobardis Romanus populus pateretur, his

De malis per Longobardos illatis.

his verbis ad Eulogium Alexandrinum Episcopum scribens narrat. *Quanta autem nos a Longobardorum gladiis in quotidiana nostrorum Civium deprædatione, vel detruncatione, atque interitu patimur, narrare recusamus: ne dum dolores nostros loquimur, ex compassione, quam nobis impenditis, vestros augeamus.*

Gregorii cura in sublevandis afflictis.

2. Quam aspera, ac sæva Romæ alibique paterentur ii, qui Græcorum Imperio parebant, ex epistolis hoc tempore a S. Gregorio scriptis, constat, quarum una ad Fortunatum Fanensem Episcopum, ut vasa sacra venderet, pro captivorum redemptione licentiam tribuit. Ad Anthemium vero Subdiaconum de iis, quæ Campaniæ incolis acciderant, hæc dolens scribebat. *Quantus dolor, quantaque sit nostro cordi afflictio de his, quæ in partibus Campaniæ contigerunt, dicere non possumus. Sed ex calamitatis magnitudine potes ipse cognoscere. Ea de re pro remedio captivorum, qui tenti sunt, solidos experientiæ tuæ per harum portitorem Stephanum virum Magnificum transmisimus, admonentes ut omnino debeas esse sollicitus, ac strenue peragas, & liberos homines, quos ad redemptionem suam sufficere non posse cognoscis, ut eos festines redimere. Qui vero servi fuerint, & dominos eorum ita pauperes esse compereris, ut eos redimere non assurgant, & hos quoque comparare non desinas. &c.* Ob eamdemque causam Gregorii exemplo excitati viri pii ad Gregorinm pecuniam miserunt, ut Joannes Syracusanus Episcopus, ad quem S. Gregorii extat epistola, in cujus fine admonet, ne sua scripta in mensa coram extraneis legi permitteret. Nec a Longobardis tantum detentos redimi voluit, sed eos etiam, quos Judæi emerant, ut ex epistola ad Candidum constat. Ad redimendos captivos, pauperumque necessitates sublevandas non modicam pecuniæ summam CPoli ad Gregorium miserat, Theotista clarissima, & piissima matrona, cui respondens S. Gregorius narrat. *Quia ex Crotonensi civitate, quæ super Adriaticum mare in terra Italiæ posita, transacto anno a Longobardis capta est, multi viri, ac multæ mulieres nobiles in prædam ducta sunt, & filii a parentibus, parentes a filiis, & conjuges a conjugibus divisi: ex quibus aliqui jam redempti sunt. Sed quia gravia prætia eis indicunt, multi apud nefandissimos Longobardos hactenus remanserunt. Mox autem medietatem pecuniæ, quam transmisi-*

JESU CHR. AN. 596.

MonialesUrbis a Pontifice alebantur *lib. 7. ep. 26.*

misistis, in eorum redemptionem transmisi. De medietate vero ancillis Dei, quas vos græca lingua, monastrias dicitis lectisternia emere dispofui: quia in lectis gravi nuditate in hujus hyemis vehementissimo frigore laborant: quæ in hac urbe multæ sunt; nam juxta notitiam qua dispensantur, tria millia reperiuntur. Et quidem de S. Petri Apostolorum Principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem ista quid sunt, maxime in hac urbe, ubi omnia gravi prætio emuntur? Harum vero talis vita est, & tantum lacrymis, & abstinentia districta, ut credamus, quia si ipsæ non essent, nullus nostrum jam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset. Hæc Gregorius salutem urbis harum precibus acceptam referens.

S. Gregorii consilium de Anglis ad fidem Christi convertendis *Act. 10.*

3. Gregorius interea etsi Longobardorum gladiis, undique vexatus esset, ac adversa utplurimum valetudine laboraret, Paulum Apostolum imitatus, qui ajebat, cum infirmor tunc potens sum, ac ejus se successorem esse sciens, cui dictum fuerat, macta & manduca; cum ei munda æque, ac immunda animalia in linteo oblata fuerant; opus hoc tempore aggressus est, quod sane supra vires humanas videri poterat. Anglorum scilicet, ex Idolorum cultu ad christianam fidem, conversionem. Unde Magnus, & Anglorum Apostolus dici meruit longe ante hæc tempora; quin Apostolorum ævo christianam fidem in Britanniæ insula propagatam fuisse, non obscure indicat Eusebius, ipsosque Apostolos Petrum, & Paulum ibidem evangelium propagasse nonnulli tradiderunt. Venerabilis vero Beda historiæ Anglorum auctor, Lucium Britannorum Regem ab Eleuthero Romano Pontifice Evangelii præcones petiisse, circa annum 180. scribit. Tertullianus etiam Eleutherio coevus, Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo patuisse, & subdita fuisse tradit, cui suffragatur vix auctoritate, & ætate inferior Origenes. At de fidei prædicatione in Britannia, & progressu, qui plura cupit commentaria Usserii Armachani de primordiis ecclesiarum Britannicarum capitibus primo, & secundo adeat; ubi variorum scriptorum opiniones de primis Evangelii satoribus in Britannia exponit, & examinat.

Exordia fidei christianæ in Britannia.

Tertull. contra Judæos cap. 7. Origenes homil. 6. in Lucam.

Martyres in Britannia in persecutione Dioclet. & Max.

4. In Diocletiani persecutione multos martyres, in Britannia sanguinem fudisse, res notissima est, inter eos S. Albanus, ex monasterio ejus nomine insignito clarissimus. Pace

Pace ecclesiis reddita plurimi e Britannia Episcopi, quarto seculo variis conciliis interfuerunt; ut Arelatensi anno 314. Sardicensi anno 351., & paulo post Ariminensi; unde profecta hæresis Ariana, corrupto pene toto orbe, hanc etiam insulam infecit. Postea regnantibus Arcadio, & Honorio, *Pelagius Brito contra auxilium gratiæ supernæ venena suæ perfidiæ, longe lateque dispersit*, inquit Beda, quæ per Agricolam Severiani Episcopi Ariani filium, apud Britannos illata, & propagata Gallicanorum Antistitum ope, atque auctoritate repressa, & extincta est. Hi enim supplicantibus Britannis, qui se ad superandas hæreticorum versutias impares sentiebant, duos doctrina, & sanctitate viros illuc miserunt. Lupum scilicet Trecensem, & Germanum Antissiodorensem Episcopum, cujus præsertim miraculis, & prædicatione, qui perseveraverant in fide, confirmati sunt, debellatique Pelagiani.

JESU CHR. AN. 596.

Britanni Ariana, deinde Pelagiana hæresi infecti.

Beda lib. 1. hist. cap. 7. 8.

5. At temporis tractu, idest seculo quinto ad medietatem vergente, cum Britanni adversus Pictos, & Scotos Saxones, & Anglos in auxilium vocassent, in eam insulam advenientes ex auxiliariis hostes effecti sunt, ac Brittonibus in Australem extremamque insulæ partem ejectis, meliorem Saxones, & Angli majoremque Insulæ partem occuparunt. Cum autem Saxones, Anglique Idolorum cultui adhuc mancipati essent, christianam religionem, ubique pene everterunt; ita ut hac ætate vix reliquiæ christianæ religionis in quibusdam Britanniæ angulis, aut perruptis montibus remanserant, cum interea Galliarum Episcopi, iis gentibus vinciores, nullam de eorumdem conversione curam gererent, ut his verbis ad Theodoricum, & Theodebertum Francorum Reges scribens S. Gregorius conqueritur. *Pervenit ad nos Anglorum gentem ad fidem christianam Deo miserante desideranter velle converti, sed Sacerdotes e vicino negligere, & desideria eorum cessare sua adhortatione succendere.*

Angli & Saxones christianam religionem in Britannia evertunt.

Greg. lib. 6. epist. 58.

6. Gregorius itaque, cui omnium ecclesiarum, & pascendarum ovium cura commissa erat, de conversione gentis Anglorum sollicitus, anno 14. Mauritii Imp., qui cum labenti 596. concurrebat. *Misit servum Dei Augustinum, & alios plures, cum eo monachos timentes Dominum, prædicare verbum Dei genti Anglorum*, ait Beda. Augustini adjutores fuere Laurentius Presbyter, & Petrus. Antequam vero fal-

Gregorius fidei prædicatores in Angliam mittit.

Beda hist. Angl. lib. 1. cap. 33.

Jesu Chr. an. 596.

cem in eam messam mitteret, collegerat jam aliquas spicas. Sciens enim in Galliis quamplurimos Anglos detineri captivos, eosdemque venales exhiberi, Candido Presbytero, quem ad curandum patrimonium in Gallias anno superiori miserat, jussit, ut adolescentes Anglos emeret, eosque in christiana Fide instruendos, & educandos curaret. Ut ad eum scribens ajebat. *Pergens auxiliante Domino Deo nostro Jesu Christo ad patrimonium, quod est in Galliis gubernandum, volumus, ut dilectio tua ex solidis, quos acceperit, vestimenta pauperum, vel pueros Anglos, qui sunt ab annis decem & septem, vel decem & octo, ut in monasteriis dati Deo proficiant, comparet; quatenus solidi Galliarum, qui in terra nostra expendi non possunt, apud locum proprium utiliter expendantur. Si quid vero de pecuniis redituum, quæ dicuntur ablatæ, recipere potueris: ex his quoque vestimenta pauperum comparare te volumus: vel sicut præfati sumus, pueros, qui in Omnipotentis Dei servitio proficiant. Sed quia pagani sunt, qui illic inveniri possunt, volo ut cum eis Presbyter transmittatur, ne quid ægritudinis contingat in via: ut quos morituros conspexerit, debeat baptizare. Ita igitur tua dilectio faciat, ut hæc diligenter implere festinet.*

Evangelii prædicatio in Anglia Gregorio M. vindicatur contra Parkerum.

7. Romæ autem Anglos venales expositos vidisse Gregorium narrant Beda, & Joannes Diaconus, quos cum forma, aspectuque elegantes, formososque vidisset, eosdem Angelos esse dixit. Malmesburiensis vero addit. *Allæ Regis tempore venales erant e Northumbria pueri; familiari scilicet, & pene ingenita nationi illa consuetudine.* Alla autem Rex obiit anno circiter Christi 589., cujus filius, & successor fidem christianam amplexus est, ut suo loco videbimus. Parkerus tamen de hac traditione agens habet. *Pontificii, qui primam in Anglia evangelii sationem sibi acceptam ferri cupiunt; tradunt de Augustini huc a Gregorio mittendi occasione, suis annalibus non indignam fabulam.* Quid ergo? fabulantur ne omnes historici, dum tradunt a Gregorio M. misisse Augustinum, & socios ad prædicandum Evangelium in Anglia; jam diximus hæc testata a Beda, Joanne Diacono, Malmesburgensi, ceterisque qui de rebus Anglicis scripserunt, inter eos Usserius Armachanus, in antiquitatis Britannicis pag. 684. 1150.; aliisque locis. Id aperte fatetur coram Regem Britanniæ Georgio secundo, David Wilkins in

Malmesb. lib. 1. de Reg. Angl. cap. 3.

Parkerus in antiquit. Britann. p. 34.

in dedicatione conciliorum M. Britanniæ, his verbis. *Cum singulari Dei saluti humanæ invigilantis beneficio Augustinus vir pius, ac in præceptis, & ritibus Christianæ religionis ab incunabulis enutritus a Gregorio Magno in Angliam mitteretur, ut debellata idololatrum barbarie, fines Regni Christi per totam insulam extenderet, & fidelium animos, paganorum cladibus, undique exagitatos, salubribus monitis juvaret, erigeretque. Perstitit hoc divino fultus præsidio, dum nave cum sociis in Cantium appulsus, mitibus, ac pacificis sermonibus ferociam superstitionis emolliebat, Æthalbertique Regis animum a Fide christiana alienum, benevolum, ac ad recipienda præcepta Christi expeditum reddebat; adeo ut detumescentibus sensim odiis, Rex, Proceres, & subditi verum Dei cultum amplexi sunt.* Hæc ipse, cui consentiunt Seldenus in Analectis lib. 2.

Augustinus cum sociis in Angliam mittitur.

8. Ad eam itaque excolendam vineam, operarios ex monasterio suo Romano Sancti Andreæ extractos Augustinum scilicet, Laurentium, & Petrum, aliosque in Galliam misit, ut inde in Britanniam transirent, eosque Theodorico, & Theodeberto Francorum Regibus commendavit. At ii Italiam vix egressi, cum in Galliis essent, cum nondum, aut vix aratro manum admovissent, respicientes retro, rei difficultate conturbati, in Italiam redire cogitarunt; ac Augustinum, ut id a Gregorio impetraret, remiserunt, rogantes ne seipsos, vel etiam ipsum Gregorium Francorum, Anglorumque ludibrio exponeret, ob tentatam temere dubiæque aliæ ac certi laboris aleam. Alia tamen Gregorio mens aderat, hinc Augustinum ad peregrinationis socios cito redire jussit, & ut suscepto operi insisterent, his verbis excitavit. *Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his, quæ cœpta sunt, cogitatione retrorsum redire: summo studio, dilectissimi filii, oportet ut opus bonum, quod auxiliante Deo incepistis, impleatis. Nec ergo labor vos itineris; nec maledictorum hominum linguæ deterreant; sed omni instantia, omnique fervore, quæ inchoastis, auctore Deo peragite, scientes, quod laborem magnum æternæ retributionis gloria sequitur. Remeante autem Augustino præposito vestro, quem & Abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite: sciente hoc vestris animabus per omnia profuturum quidquid a vobis fuerit in ejus ordinatione completum. &c.* Eodem tempore, & die

JESU CHR. AN. 596.

Aliæ Gregorii epist. ad diversos datæ quibus Augustinum, & socios commendat.

idest 10. Kal. Augusti, quo hanc epistolam ad Augustini peregrinationis socios dedit, ad alios plurimos in Galliis litteras dedit, quas idem in Gallias rediens Augustinus detulit. Unde in iis legitur *Augustinus præsentium lator, aut portitor*. In iis vero, Evangelii præcones Regibus Galliarum, Episcopis, aliisque clarissimis viris commendabat, atque ex his litteris descriptum quodammodo habemus Augustini iter in Gallias. Primo itaque Massiliam appulit, ubi Serenum Episcopum salutavit, postea Arelate ubi Virgilium, deinde Viennam transiit, ubi Episcopus erat Desiderius, postea Lugdunum ubi Etherius sedebat; inde Cabillonem, ubi Theodoricus Rex, cum Brunichilde avia residere consueverat. Tum Augustodunum perrexit Syagrii Episcopi opem imploraturus, deinde Divodurum, ad Theodebertum, a cujus aula Cæsarodunum Turonum venerunt, ut S. Martini tumulum venerarentur, & Pelagio Episcopo S. Gregorii litteras reddere. Augustinum per Andegavos transisse, auctor est Gotselinus in ipsius vita, narratque miraculum non longe *a Ponte Sai*, sive ut alii dicunt *Ponte Cæsaris*. Sed de his hactenus sequentibus annis reliqua narraturi.

Joanni mandat, ut cum Præfecto pacem foveat.

9. Vigilans ipse summus Pastor, inter alia, quæ ab Episcopis exigebat, id erat ne lites, & contentiones cum Provinciarum præsidibus haberent, sciens plurimum prodesse gregi credito, si cum secularibus aulæ administris Episcopi concordes viverent. Extat ad Joannem Syracusanum Episcopum epistola, qua eum admonet, ut omni studio, cum Venantio Præfecto in gratiam redire conaretur, & si opus esset, Missas etiam in ejus domo celebrare permitteret, vel etiam, ipse celebraret, atque ad eum inter cetera adnotat. *Quamvis causa fuerit, quæ Fraternitatis vestræ animos ad iracundiam non immerito provocaret, ut nec oblationes domni Venantii voluissetis suscipere, nec in domo ipsius sacra Missarum sineretis solemnia celebrari: tamen quia ita terrena agi debet utilitas, ut nullum nos jurgium a charitatis valeat connexione disjungere: proinde sanctitatem vestram, sicut dudum scripsimus, adhortamur, quatenus, & oblationes ante dicti viri omnimodo in dulcedine, & Deo placita debeatis sinceritate suscipere, & in domo ipsius Missarum peragi mysteria permittatis, ut sicut scripsimus, si fortasse voluerit, per vos debeatis accedere, & celebrando apud eum Missas, priorem gratiam refor-*

De celebrandis missis privatis in domo Venantii.

reformare. Oportet namque filiis sacerdotalem vos affectum impendere, & in causis, prout ratio suffragatur, jurisdictionem Ecclesiæ vestræ minime præterire. Hoc ergo considerans, necesse est, ut ita se circa eos Fraternitas vestra discreta moderatione exhibere studeat, ut & quod negotii qualitas exigit, salubriter peragat, & paternæ charitatis gratia non recedat. Hactenus Gregorius, ex quibus intelligis, jam tunc temporis, in domibus etiam consuevisse dici Missas privatas, quidquid in contrarium garriant Novatores. Id etiam notatu dignum occurrit, plura scilicet in una ecclesia tunc temporis Altaria, ac tredecim in una ecclesia fuisse narrat S. Gregorius Palladio Santonensi Episcopo scribens, ait enim: *Veniens lator . . . . insinuavit nobis Fraternitatem vestram, ecclesiam in honorem Beati Petri, & Pauli Apostolorum, nec non Laurentii, atque Pancratii Martyrum construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse.* Unicum tamen in qualibet ecclesia retinuerunt Græci, ut adnotat Cardinalis Bona. Cur autem plura apud latinos fuerint, hanc Baronius rationem affert: *Erant*, inquit, *sepulchra martyrum altaria, & ubi condebantur Martyres, altaria consueverant erigi*, quod confirmatur ex Prudentio, S. Augustino, Gregorio Turonensi, Paulino, aliisque.

Apud latinos in una ecclesia plura altaria aderant

Card. Bona Liturg. lib. 1. cap. 14.

10. Gravi interea infirmitate detentus Gregorius, cum vix convaluisset, ut in epistola ad Gennadium testatur, ad Africanam ecclesiam Donatistarum factione, & temeritate fœdatam, pastoralem curam extendit, ac Colombum Numidiæ Episcopum, ut ad id operis incumberet excitavit. *Præterea res ad nos omnino dura, & rectæ fidei inimica pervenit: quia (quod dici nefas est) Catholici homines, & religiosi (quod est deterius) filios, mancipiaque sua, vel alios quos in potestate habent, in Donatistarum hæresi baptizari consentiunt. Et ideo si verum est, fraternitas vestra hoc summopere studeat emendare; quatenus sinceritas fidei, vestra sollicitudine intemerata consistat, & innocentes animæ, quæ catholico baptismate salvari poterant, hæreticorum infectione non pereant &c.* Cumque didicisset ab Reipublicæ administris incuria, seu avaritia hanc Donatistarum foveri temeritatem, gravissimis litteris Mauritium Imp. admonuit, ne hæc imposterum fieri permitteret. Unde post aliqua: *Qualiter autem pietatis vestræ serenitas contra Donatistarum flagitiosissimam pravitatem con-*

Gregorius Donatistas in Africa coercendos curat

Leges Mauritii adversus Donatistas contemptæ.

JESU CHR. AN. 596.

consideratione justitiæ, & sincerissimæ religionis zelo commota sit, directarum lucidissime tenor insinuat jussionum. Sed venientes viri reverendissimi ex Africana provincia Episcopi asseruerunt ita esse incauta dissimulatione postpositas, ut nec Dei illic judicium haberetur in metu, nec Principales hactenus jussiones sortirentur effectum: hoc etiam subjungentes, quod in præfata provincia, Donatistarum præmiis prævalentibus, fides catholica publice venumdetur. At contra gloriosus Vir Gennadius de uno eorum mihi similia questus est, qui talia querebatur. Cui etiam duo alii certi in re eadem testimonium ferebant. Sed quia causa ipsa sæcularis Judicis intererat, eosdem Episcopos ad pietatis vestræ existimavi esse vestigia dirigendos, ut per semetipsos serenissimis auribus suggerant, quæ se fatentur pro Fide catholica pertulisse. Eapropter obsecro, ut dominorum Christianitas pro salute animæ, & vita piissimæ sobolis, sua eos, quos tales esse cognoscit, districta ulcisci jussione præcipiat, & ruinam pereuntium ereptionis manu suspendat, atque insanis mentibus correptiones medicinam adhibeat, & errorum ab eis morbos expellat: quatenus dum piæ provisionis vestræ remedio pestiferæ pravitatis fuerit caligo depulsa, & vera illic fides radios suæ serenitatis asperserit, cælestis vos ante Redemptoris nostri oculos triumphus expectet: quia quos exterius ab hoste defenditis, etiam interius a diabolicæ fraudis veneno (quod est gloriosius) liberatis. Longius porro sese oratio extenderet, si cuncta pro animarum salute procuranda, vel ecclesiastica disciplina restauranda a Gregorio gesta, exponerentur. Nam sicuti Donatistas coercendos curavit; ita etiam Samaritanos, & Judæos, ac eos christianos servos emere, eosque in christianæ religionis contemptum, circumcidere prohibuit. Cumque Orientalem clericum invenisset, sui muneris ignorantem, & illiteratum, ad Ephesinum Episcopum, remisit, ut ab eo quæ clericalis muneris erant disceret, ut ex ejusdem epistola constat.

Privilegium Monasterio S. Cassiani Massiliæ a Gregorio datum.

11. Ab Dynamio Patritio, atque Aureliana uxore ejus rogatus Gregorius, privilegium monasterio, in honorem S. Cassiani Massiliæ ædificato concessit. *Ut Abbatissa non extranea, sed quam Congregatio sibi de suis elegerit ordinetur; quam tamen si digna hoc ministerio judicata fuerit, ejusdem loci Episcopus ordinet, in rebus autem, vel in dispositio-*

ſitione monaſterii ejuſdem, nec Epiſcopum, neque eccleſiaſticorum quemquam, aliquam habere decernimus poteſtatem, ſed hæc ad ſollicitudinis tuæ, vel quæ poſt te in eodem loco fuerit Abbatiſſa, curam ſtatuimus per omnia pertinere. Dei ſiquidem natalis, vel dedicationis ſupradicti monaſterii, Epiſcopus illuc Miſſarum conveniat ſolemnia celebrare, a quo tamen, ita eſt hoc officium exolvendum, ut cathedra ejus niſi prædictis diebus, dum illic Miſſarum ſolemnia celebrat, non ponatur. Quo diſcedente, ſimiliter etiam cathedra illius de eodem oratorio auferatur. Ceteris vero diebus per presbyterum, qui ab eodem Epiſcopo fuerit deputatus, Miſſarum officia peragantur. Hæc Gregorius pro quiete monaſterii S. Caſſiani Marſiliæ. Hoc etiam anno, cum Childebertus Francorum Rex vivere deſiiſſet, eique Theodebertus, & Theodoricus ſucceſſiſſent, ad utroſque litteras S. Gregorius dedit, ut eorum ſibi gratiam promereretur, ut ibidem videre eſt.

JESU CHRISTI AN. 597. GREGORII PAPÆ 8. MAURITII IMP. 16. AGILULPHI LONGOB. REGIS 8.

Cyriacus CP. Epiſc. Rom. eccleſiæ communionem expetit.

1. Annus adeſt quingenteſimus nonageſimus ſeptimus, Gregorii Papæ octavus, Mauritii vero Imperatoris decimus ſextus, quo Cyriacus Epiſcopus CP. litteras ſuas, cum fidei catholicæ profeſſione ad Gregorium miſit, ut Romanæ eccleſiæ communionem promereretur. Iis vero Mauritius Imp. ſuas litteras addidit, quibus Gregorium rogabat, ut miſſos a Cyriaco nuncios ſuſciperet, communionemque catholicam eiſdem impertiret. Quos quidem Gregorius, ne quovis modo auctor ſchiſmatis videretur, benigne excepit, ac Miſſarum ſolemniis intereſſe voluit, & communione catholica donari. Apoſtolicæ tamen Sedis nuncium CPoli degentem, ne cum Cyriaco in ſacris communicaret admonuit, niſi prius Œcumenici Epiſcopi titulo renunciaſſet, ut idem Pontifex ad Eulogium, & Anaſtaſium Alexandrinum, & Antiochenum Patriarchas ſcribens, narrat his verbis. *Charitas quæ vobis valde conſtrictus ſum, tacere me minime permittit; ut ſanctitas veſtra, quæcumque apud nos aguntur agnoſcat, & falſis rumoribus non decepta, ſuæ juſtitiæ atque rectitudinis viam, ſicut perfecte cæpit, perfectius teneat. Reſponſales ſiquidem fratris, & Conſacerdotis noſtri Cyriaci venien-*

JESU CHR. AN. 597. Ad Eulogium, & Anastasium.

nientes, ejus ad me Synodicam detulerunt Epistolam. Et quidem inter nos, & ipsum, sicut vestra Beatitudo novit, propter appellationem profani nominis est gravis discordia, sed in causa Fidei transmissos Responsales ejus existimavi esse suscipiendos: ne culpa elationis, quæ in Constantinopolitana Ecclesia pene contra omnes Sacerdotes exorta est, dissentionem fidei, & rixam Ecclesiasticæ faceret unitati. Eosdem vero Responsales, quia hoc omnino humiliter precabantur, Missarum solemnia mecum celebrare feci: quia sicut & serenissimo domno Imperatori intimare studui, Responsales fratris, & Consacerdotis nostri Cyriaci mihi communicare debuerunt, quia auctore Deo in elationis errorem non cecidi. Meus vero Diaconus eum prædicto fratre nostro Cyriaco Missarum solemnia celebrare non debet: quia per profanum vocabulum culpam superbiæ aut commisit, aut sequitur: ne si, quod absit, procedit ei in tali elatione posito, vanitatem stulti nominis confirmare videamur. Eumdem vero fratrem admonere studui, ut se se a tali elatione corrigat: quia si hanc non correxerit, pacem nobiscum nullo modo habebit. Ad Cyriacum vero scribens, suam illi pacem, communionemque obtulit, cum Œcumenici nomen deposuisset. *Oportet ergo ut mihi, atque omnibus fratribus vestris, ejusdem charitatis pulchritudinem in hoc primum opere monstretis, ut verbum superbiæ, per quod grave scandalum in Ecclesiis generatur, auferre festinetis, hoc modis omnibus implentes, quod scriptum est: Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Et rursus: Nullam occasionem date adversario, maledicti gratia. Tunc enim ostensa charitas vera est, si per typum superbiæ inter nos schisma non fuerit. Ego enim Jesum testem invoco in anima mea, quia a summo usque ad ultimum nulli hominum dare scandali occasionem volo.* Et inferius: *Ea ergo quæ novo modo introducta sunt, ipso ordine quo illata sunt, auferantur, & pax nobis illibata in Domino permanebit.* Reliqua vero per Anatolium, quem hoc anno Apocrisarium CPoli misit, eidem se significaturum testatur.

Epistola S. Greg. ad Cyriacum.

Ephes. 4. 3.

1. Tim. 5. 14.

Gregorii ep. ad Mauritium Imp.

2. Ad Mauritium Imp., qui pro Cyriaco litteras dederat, alias reddidit Gregorius, quibus de Cyriaci legatis benigne a se susceptis certiorem reddidit, hæc inter alia adnotans. *Eumdem fratrem, & Consacerdotem meum studiose admonere curavi, ut si habere pacem omnium, concordiamque desi-*

desiderat, *ab stulti vocabuli se appellatione compescat*, ac maximi momenti quæstionem esse significat, etsi de nomine tantum Imperatori esse videretur. Ad Anastasium etiam Antiochenum, a quo per Sabinianum Apocrysarium Romam redeuntem litteras acceperat, scribens Gregorius, de gravissima agi quæstione admonuit. *Vos tamen eamdem causam nullam esse dicere non debetis: quia si hanc æquanimiter portamus, universæ ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim quanti non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi. Et ut de honoris vestri injuria taceam, si unus Episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit levitas ab auribus meis. &c.* Hæc ad Anastasium Gregorius. Cumque in sua ad Gregorium epistola de Romanæ ecclesiæ dignitate multa addidisset Eulogius Alex. Episcopus, eidem respondens, gratias plurimas S. Pontifex reddidit, etsi se indignum, ut in ea sederet fateatur. *Suavissima*, inquit, *mihi sanctitas vestra, multa in epistolis suis de S. Petri Apostolorum Principis cathedra locuta est, dicens, quod ipse in ea nunc usque in suis successoribus sedeat. Et quidem ego indignum me esse non solum in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium agnosco. Sed cuncta quæ dicta sunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri Cathedra locutus est, qui Petri cathedram tenet. Et cum me specialis honor nullo modo delectet, valde tamen lætatus sum, quia vos Sanctissimi, quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principe soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? &c.* In fine autem epistolæ de acceptis ab eo muneribus addit. *Suscepi benedictionem S. Marci juxta brevem vestris epistolis insertum. Sed quia colatum, ac virtheum non libenter bibo, præsumens cognidium requiro, quod in hac urbe, post multa tempora vestra innotescere transacto anno sanctitas fuit. Nam nos hic a negotiatoribus nomen cognidii, & non substantiam comparamus.* Quid per Colatum Virtheum, atque Cognidium debeat intelligi, Medicorum est inquirere, vina tamen ad corroborandum stomachum utilia fuisse, vix dubitari potest. Munuscula etiam ad Eulogium ipse Gregorius misit; unde: *Parvulam benedictionem de amatoris vestri S. Petri ecclesia sex*

JESU CHR. AN. 597.

minora Aquitanica pallia, & duo Oraria transmisi, quia enim multum diligo etiam de parvis præsumo. Hæc Gregorius, qui plurimi faciebat Eulogium, utpote qui his temporibus Alex. ecclesiam sanctitate, & doctrina mirifice illustrabat, ac maximo Dei beneficio acciderat, ut post tot tenebras, quæ Alexandrinam ecclesiam obtenebrarant, insurgeret Eulogius, qui eamdem ab apro silvestri depastam, atque desolatam, optimi pastoris, & agricolæ munera adimplens, ad primævam fœcunditatem redderet: nam hæreticos ibi inventos, ad fidem catholicam revocare conatus est. Cui ob eamdem caussam, Gregorius hæc habet: *Debitum autem salutationis alloquium persolvens, indico, quia magno gaudio exulto, quod vos contra hæreticorum latratus, assidue laborare cognovi: atque Omnipotentem Dominum deprecor, ut beatitudinem vestram sua protectione adjuvet, quatenus per linguam vestram de sinu Sanctæ Ecclesiæ omnem radicem amaritudinis evellat, ne rursum germinans impediat multos: & per illam coinquinentur multi &c.*

Sabinianus CP. revocatur.

3. Cum vero Sabinianus Romanæ ecclesiæ Diaconus, qui hactenus Apocrysarii munere CPoli functus fuerat, hoc anno Romam rediisset, plures ad S. Gregorium litteras detulit, quarum una, cum Gregoria quædam nobilissima fœmina petiisset, se certiorem ab eo esse velle, quod sua peccata sibi remissa essent; Rem inutilem, & difficilem se postulasse respondit: *Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare &c.* Theotistæ quoque Patritiæ, quæ inter hominum tumultus vivens, lectioni nihilominus, & orationi vacabat, respondens, his eam verbis alloquitur. *Quod in tanto tumultu caussarum vestra excellentia posita, sacri verbi ubertate plena, atque ad æterna incessanter gaudia suspirat, magnas Omnipotenti ego gratias ago: quia hoc in vobis impletum video: quod electis Patribus scriptum est: Filii autem Israel ambulaverunt per siccum, per medium mare.* Cumque Augustæ semper adesset, ac filiorum Mauritii Imp. curam ageret, ut in eorum sancta educatione invigilaret, his verbis admonuit. *Peto autem, ut parvulos Do-*

Exod. 13. psalm. 68.

Dominos, quos nutritis præcipue moribus instruere curetis, & gloriosos Eunuchos, qui eis deputati sunt, admonete, ut ea illis loqui debeant, quæ eorum mentes in charitate circa se invicem, & erga subjectos in mansuetudine compungant: ne si quid odii modo inter se conceperint, in aperto postea erumpant. Verba siquidem nutrientium, aut lac dant, si bona sunt; aut venenum, si mala. Talia ergo nunc eis suggerant, quæ postmodum ostendant, quam bona fuerint, quæ a nutritorum suorum ore suxerunt; ac tandem pro triginta libris auri ad se pro redemptione captivorum missis, gratias agit, ac vicissim clavem S. Petri dono misit, quam Autharit Longobardorum Rex Arianus Romam miserat ad Pelagium Papam, ut suo loco anno scilicet 585. diximus.

JESU CHR. AN. 597. De Educatione Filiorum Imp.

Clavis S. Petri miraculo illustrata.

4. Alia S. Gregorii epistola extat ad Andream clarissimum virum, qua eum consolatur, ac ut spretis seculi vanitatibus, totum se Deo rebusque divinis daret, hortatur. Ad Theodorum vero Imperatoris medicum scribens, pro eleemosinis Romam missis pro redemptione captivorum, gratias agit: at grave sibi esse in his incumbere addit. *Et quidem mihi, fateor, triste est aliena expendere, & super eas, quas de substantia ecclesiastica habeo, adhuc etiam de rebus sanctissimi filii Domni Theodori rationes ponere*. Misit quoque ad eum clavem S. Petri habentem intus limaturam de catenis ipsius. Ad Narsetem quoque Patricium, hominem valde pium, alias dedit epistolas, quibus eum in tribulationibus positum consolatur, xeniaque transmittit. Ad Anastasium presbyterum Monasterii, quod Neas appellabatnr alias litteras dedit hortans eum, ut cum Hierosolymorum Episcopo pacem haberet, ac dissidia sopiret. *Quæ inter Patrem ejusdem monasterii, & Pastorem Hierosolymorum ecclesiæ esse consueverunt*. Ad Anastasium Antiochenum Episcopum, de quo supra, in fine hujus anni indictione prima currente, litteras dedit; confirmans eum in tribulationibus, quas ab hæreticis patiebatur, ac post multa addit. *His autem diebus (sicut invenio) nova hæreticorum bella consurgunt, de quibus vestræ beatitudini, jam ante scripsi, ita ut Prophetas, Evangelia, & dicta Patrum omnia evacuare moliantur. Sed permanente vita vestræ Sanctitatis, in protectoris nostri gratia speramus, quod eorum ora citius obmutescant, quæ contra soliditatem veritatis aperta sunt: quia & quamlibet acuti gladii mittantur*,

Gregorius Anastasium Antioch. Episc. consolatur.

JESU CHR. AN. 597.

tur, cum saxum feriunt, fracti resiliunt &c. Hæc, & alia S. Gregorius. Quinam autem fuerint, hi hæretici, nobis incompertum est, ac tandem quanta a Longobardis ipse pateretur exponit. Unde intelligimus pacem diu quæsitam, sæpe petitam, Exarchi perfidia, & avaritia cum Longobardis nondum sancitam fuisse.

Gregorii cura pro Occidentalibus ecclesiis.

5. Dum tantam Orientalium ecclesiarum curam gereret Gregorius, Occidentalium sollicitudinem non prætermittebat, & ut monachos suæ professionis desertores, ad meliora vota perduceret, Dominico Carthaginensi Episcopo litteras dedit. Ad Brunichildem vero Francorum Reginam scribens, cum ea primum se excusat, quod Pallium ad Syagrium Augustodunensem non miserit; eo quod enixe petitum ab eo non fuisset. *Nam*, inquit, *prisca consuetudo obtinuit, ut bonor pallii, nisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulanti dari non debeat.* Deinde ut eos, qui ob tria capitula ab unitate ecclesiæ recesserant, ad ecclesiæ communionem redire compelleret, hortatur. *Præterea hos, quos ab unitate ecclesiæ schismaticorum error dissociat, ad unitatem pro vestra mercede studeat revocare concordia. Nam non ob aliud in ignorantiæ suæ hactenus cæcitate volvuntur, nisi ut Ecclesiasticam fugiant disciplinam, & perverse babeant, ut voluerint, vivendi licentiam: quia nec quid defendant, nec quid sequantur, intelligunt. Nos autem Chalcedonensem Synodum, de qua illi sibi pestifere nebulas excusationis assumunt, per omnia veneramur, & sequimur; & si quis de fide ejus minuere, aut addere aliquid præsumpserit, anathematizamus. Sed ita illos erroris labes imbibit, ut ignorantiæ suæ credentes, universam Ecclesiam, atque omnes quatuor Patriarchas non ratione, sed malitiosa mente tantummodo refugiant, ita ut is qui ad nos a vestra excellentia missus est, cum quæreretur a nobis, cur ab universali Ecclesia separatus existeret, se ignorare professus sit: sed neque quid diceret, neque quid aliud audiret, voluit scire*; (seu valuit.) Deinde ut excrescentes in Galliarum ecclesiis corruptelas emendare curaret, admonuit, præcipue præposteras laicorum ordinationes, & Simoniacam labem. His adjecit, ut idolatriæ reliquias omnino extirparet. Quænam essent hæc monasteria adhuc vigentia, his verbis docet. *Hæc quoque pariter hortamur, ut & ceteros subjectos vestros, sub disciplinæ debeatis moderatione*

Gregorii ad Brunichildem epist. de simoniaca labe, & idololatria extinguenda

tione restringere, ut idolis non immolent, cultores arborum non existant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant: quia pervenit ad nos, quod multi Christianorum, & ad Ecclesias occurrant, & (quod dici nefas est) a culturis demonum non discedant. &c. Nec mirum videri debet Idololatriæ reliquias, in Galliis adhuc viguisse; nam in Italia etiam, ac prope urbem, hoc tempore a nonnullis revocatam fuisse, idem Gregorius, ad Agnellum Terracinensem Episcopum scribens testatur.

Augustinus cum sociis Angliam ingreditur, quid ibi gesserit.

6. Augustinum cum sociis in Angliam proficiscentem anno proximo vidimus; nunc qua fortuna exceptus ibidem fuerit, quidve gesserit, dicendum restat. Qui Gregorii exhortatione roboratus in finibus Edilberti Cantiorum Regis appulit cum sociis. *Ut fertur*, ait Beda, *cum sociis ferme quadraginta, & mittens ad Edilbertum, mandavit se venisse de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui sibi obtemperantibus æterna in Cœlis gaudia, & regnum sine fine cum Deo vivo, & vero futurum, sine ulla dubitatione promitteret. Qui hæc audiens, manere illos in ea, quam adierant insula, & necessaria ministrari, donec videret quid eis faceret, jussit: nam & antea fama ad eum Christianæ religionis pervenerat, utpote qui & uxorem habebat Christianam de gente Francorum regia, nomine Bertham; quam ea conditione a parentibus acceperat, ut ritum fidei, ac religionis suæ cum Episcopo, quem ei adjutorem fidei dederant, nomine Luidhardo, inviolatam servare, licentiam haberet. Post dies ergo aliquot venit ad insulam Rex, & residens sub dio, jussit Augustinum cum sociis ad suum ibidem advenire colloquium. Caverat autem, ne in aliquam domum ad se introirent, veteri usus augurio, ne superventu suo, si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperent. At illi non demoniaca, sed divina virtute præditi veniebant, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & Imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, litaniasque canentes, pro sua simul, & eorum propter quos, & ad quos venerant, salute æterna Domino supplicabant. Cumque ad jussionem Regis residentes, verbum ei vitæ una cum iis, qui aderant ejus comitibus prædicarent; respondit ille, dicens: Pulchra sunt quidem verba, & promissa quæ affertis: Sed quia nova sunt & incerta, non his possum assensum tribuere, relictis eis, quæ tanto tempore, cum omni Anglorum gente ser-*

De conversione Anglorum.

JESU CHR. AN. 597.

servavi. Verum quia de longe huc peregrini venistis, & ut ego, mihi videor perspexisse, ea quæ vos vera, & optima credebatis, nobis quoque communicare desideratis; nolumus molesti esse vobis, quin potius benigno vos hospitio recipere, & quæ victui vestro sunt necessaria, ministrare curamus: nec prohibemus, quin omnes quos potestis fidei vestræ religionis prædicando societis. Dedit ergo eis mansionem in Civitate Dorovernensi, quæ Imperii sui totius erat Metropolis, eisque ut promiserat, cum administratione victus temporalis, licentiam quoque prædicandi non abstulit. Fertur autem, quod appropinquantes civitati more suo, cum Cruce sancta, & imagine magni Regis Domini nostri Jesu Christi, hanc litaniam consona voce modularentur. Deprecamur te Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus, & ira tua a Civitate ista, & de domo Sancta tua, quoniam peccavimus. Alleluja.

In hæreticos AnglosRom ecclesiæ justa querela.

7. Atque hæc narrantes, Anglos a fide catholica devios a Romanæ ecclesiæ sinu, Apostoli verbis compellare liceat. *Ipsi de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos, & quomodo conversi estis, ad Deum a simulacris servire Deo vivo, & vero, & quomodo evangelium nostrum non fuit, in sermone tantum, sed in virtute, in Spiritu Sancto, in plenitudine multa*: ac in memoriam revocent, se a Romano Pontifice, Monachorum opera, præcedente Crucis vexillo, & imagine Salvatoris evangelium suscepisse, utcum Apostolo dicere possit: *Per evangelium ego vos genui*. Quibus etiam cum Isaia Propheta exprobrari potest. *Attendite ad petram, unde excisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos. At ubi*, sequitur Beda, *sibi datam mansionem intraverunt, cœperunt Apostolicam primitivæ Ecclesiæ vitam imitari, orationibus videlicet assiduis, vigiliis ac jejuniis serviendo; verbum vitæ quibus poterant prædicando; cuncta hujus mundi velut aliena spernendo; ea tantum, quæ victui necessaria videbantur, ab eis quos docebant accipiendo, secundum ea quæ docebant ipsi per omnia vivendo; & paratum ad patiendum adversa quæque, vel etiam ad moriendum pro ea, quam prædicabant veritate animum habendo. Quid? Crediderunt nonnulli, & baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ, & dulcedinem doctrinæ eorum cælestis*. Atque in antiqua ecclesia, quæ in honorem San-

Beda hist. Angl. lib. 1. cap. 26.

Sancti Martini antiquitus erecta erat, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, in qua Regina, quam Christianam fuisse, diximus, orare consueverat, Missas facere, prædicare, baptizare, & orare perseverabant. Cum vero Rex ipse fidem suscepisset, ac baptizatus esset, majori cum frequentia, cujuscumque ordinis, aut sexus christianam fidem susceperunt, ut suo loco dicturi sumus.

Anglicanæ ecclesiæ primordia miraculis illustrantur.

8. Cumque infidelibus signa dari testetur Apostolus, tanta tunc facta fuisse scimus, ut Apostolorum tempora rediisse viderentur, ac Anglicana ecclesia, tanto fidelium numero aucta est, ut anno proximo, in festo Nativitatis Domini Jesu Christi decem millia baptizati fuerint, ut narrat S. Gregorius ad Eulogium Alex. Episcopum scribens. *Quoniam vero in bonis, quæ agitis, scio quod & aliis congaudetis, vestræ vobis gratiæ vicem reddo, & non dissimilia nuncio. Quia dum gens Anglorum in mundi angulo posita, in cultu lignorum, ac lapidum perfida hucusque remaneret, ex vestræ mihi orationis adjutorio placuit, ut ad eam monasterii mei monachum in prædicationem transmittere, Deo auctore, debuissem. Qui data a me licentia, a Germaniarum Episcopis Episcopus factus, cum eorum quoque solatiis ad prædictam gentem in finem Mundi perductus est; & jam nunc de ejus salute, & opere ad nos scripta pervenerunt: quia tantis miraculis vel ipse, vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, ut Apostolorum virtutes insignis, quæ exhibent, imitari videantur. In solemnitate autem Dominicæ Nativitatis, quæ hac prima indictione transacta est, plusquam decem millia Angli ab eodem nunciati sunt a fratre Coepiscopo nostro baptizati.* Hactenus de his Gregorius, dum vero ab Germaniarum Episcopis Augustinum ordinatum scribit, per Germanias Galliæ sunt intelligendæ, quia ut Cointius hoc anno num. 12., aliique adnotarunt, ab antiquis Germani sæpissime dicti sunt, utpote ex Germanis progeniti. Ceterum a Vigilio Arelatensi Episcopo, Augustinum ordinatum fuisse certum est. Edilbertum vero Cantiorum Regem anno proximo baptizatum fuisse, cum Augustinus & socii in festo Nativitatis Domini J. C. decem millia Anglorum sacro baptismate abluerunt, vero proximum est; etsi variæ eo de argumento eruditorum sint opiniones, ut apud Usserium Vilkins; aliosque de Anglicanæ ecclesiæ primordiis, agentes videre quisque potest.

Greg. lib. 8. epist. 30.

9. Quia

Jesu Chr. an. 597. Britannia in septem Regna distincta

9. Quia vero Magna Britannia a Saxonibns, & Anglis occupata, in septem regna distracta fuerat, quorum Reges diversis temporibus, post missionem Gregorianam Christi fidem amplexi sunt, & tam de Regibus illis, quam de regnis sæpius nobis mentio facienda erit; ut Annales Ecclesiasticos majori cum fructu illustremus, *Heptarchiæ*, seu septem illorum regnorum divisionem hoc loco exponimus. *De Jutarum itaque origine sunt Cantuarii, & Vectuarii hoc est ea gens, quæ Vectam tenet insulam*, inquit Beda, & hi regnum *Cantii* instruerunt, cujus primaria Urbs Durovernum, sive Cantuaria. *Ædilbertus* seu *Æthelbertus primus ex Cantii Regibus fuit, qui ab idolis ad Christi castra hoc anno transiit, fuitque potentissimus; nam ad confinium, usque Humbri fluminis maximi, quo Meridiani, & Septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines Imperii tetenderat*, ut scribit Beda lib. 3. cap. 25. *Saxones* tria Regna instituerunt, Regnum Orientalium Saxonum, Meridionalium Saxonum, & Occiduorum, *Sebertus*, sen Saberĉthus primus ex Orientalibus Saxonibus Rex extitit, qui regnum illud baptismo illustravit anno DCIV., ut eo anno ostendam. *Edilvvachius* Rex Meridianorum, seu Australium Saxonum, qui etiam dicti sunt *Westsaxones*, & eorum Provincia Westsaxia, ultimus e Regibus Heptarchiæ fidem amplexus est, idque anno DCLXI.. *Cynigilsus* Occidentalium Saxonum seu Gevissarum Rex anno DCXXXV. Christum professus est.

De divisione Regnorum Angliæ.

10. Angli tria pariter regna instituerunt, Regnum Orientalium Anglorum, Regnum Merciorum seu Anglorum Mediterraneorum, & Regnum Nordanhymbrorum, *Carpualdus* seu *Erpenvvaldus* Orientalium Anglorum Rex baptismo lustratus est anno DCXXVIII., aut insequenti. *Merciis* anno DCLIII. christianæ fidei Sol illuxit, *Peada* Principe ad Christum converso. In Northumbriam *Eduinus* Rex fidem Christianam intulit anno DCXXVII.: Dum porro surgebat Anglo Saxonica Ecclesia, & suæ lucis radios longe, lateque proferebat, Britanni in *Cambriam*, seu *Walliam* retrusi, & miseriis ac calamitatibus oppressi fidem Christianam conservabant; sed in ritu de *Paschate*, aliisque quibusdam ab universali Ecclesia dissidebant. Quia vero in fide antiquiores, & totius insulæ vere Domini, nec nisi Saxonum injuria pulsi, regnoque & provinciis exuti fuerant, ita ab illis abhor-

re-

rebant, ut non solum manum cum Augustino jungere, & docere Anglos recusarint, sed etiam fidem illis, & sacramenta inviderint, ut Beda lib. 1. cap. 22. ceterique Scriptores Angli narrant.

Concilium Tolet.

11. Hispanias nunc invisamus, ubi Toleto synodus quarta, sub die 16. Kal. Junias, anno Reccaredi duodecimo celebrata est. Concilio interfuere Episcopi numero tredecim, quorum nomina leguntur in subscriptionibus; duos canones condidere, quorum primo Presbyteris, Diaconisque continentia imponitur, qui eam violaverit, dejectus gradu, Deo amplius non ministret, sed monasterii claustro inclusus, ceteros suos corrigat exemplo. Secundo, ne reditus ecclesiarum, quas laici ædificarunt, Episcopus accipiat; sed in Presbyteri commodum cedant, qui in ea ministrat. Si prædia Presbytero non sufficiant, instituatur Diaconus: si census adeo tenuis est, ut ne vel Diacono sufficiat, Ostiarius a Sacerdote eligatur, *qui nitorem infra sinus Sanctæ ecclesiæ faciat, qui & sanctarum reliquiarum luminaria, omni subsequenti nocte accendat.*

apud Labb. tom. 5. pag. 1604.

De obitu Antiochi Anachoretæ.

12. Hoc tempore Antiochus Anachoreta sanctitate eximius, functus legatione ad Mauritium Imperatorem, re bene gesta ad suos rediens, ex hac vita migravit. Cujus mentio in actis S. Theodori Siceotæ occurrit. *Eo tempore hospitio suscepit S. Theodorus divinum, & sanctum virum Eremitam Antiochum, qui Constantinopoli in Orientem revertebatur: venerat enim Legatus ad Mauritium Imperatorem, ut illi Synophrim oppidum a barbaris direptum commendaret.* Magnæ hic inter omnes Orientales sanctitatis fama vigebat, quem idem auctor ita describit: *Erant huic supercilia densa, atque conjuncta, cana barba, & capitis coma lanæ instar candida, & ad ilia usque protensa, similiter & barba, ungues perlongi. Ad centesimum annum pervenerat: Sexaginta annorum spatio nec vinum, nec oleum, nec aliud hujusmodi gustaverat: triginta jam annis panem non comederat: oleribus crudis cum sale, & aceto vescebatur: aquam bibebat. Hujus fama ad Theodorum, & Theodori ad ipsum pariter, Deo patefaciente, pervenerat. Et justus ille quidem dicebat discipulis suis de Sancto Theodoro Episcopo, se talem virum Sanctum ad eum, usque diem non invenisse, sibi enim ipsius vitæ instituta esse a Deo patefacta.*

apud Surium die 22. Apr. apud Boll. dicta die in vita S. Theodori Siceotæ cap. 9.

JESU CHR. AN. 597.

Eta. Beatus Theodorus vicissim, ita de ipso cum Fratribus loquebatur, ut in tota Orientis Eremo, tam dignum Dei servum vidisse, aut audisse se diceret neminem. Atque hæc de sancto viro dixisse sufficiat; quem paulo post, dum ad sua rediret, post multa obiisse addit.

De S. Getheo Episcopo, & martyre. *Bolland. act. Sanctor. die 15. Junii.*

13. Hoc quoque anno floruit in Occidente S. Getheus Episcopus Amiterni, celeberrimæ olim urbis prope Aquilam in Vestinis, cujus gesta Bollandiani referunt, ac eum temporibus Gregorii Magni, ac Faroaldi Ducis Spoleti Episcopum fuisse traditur, qui cum crudelitatem Alais, ac Umboli Longobardorum Ducum fugeret; Romam apud S. Gregorium se receperat: at a suis revocatus ad ecclesiam suam rediit, Paulopost tamen cum apud Regem perduellis cujusdam causam ageret, ut ei veniam impetraret, tamquam criminis particeps in Flumen *Pescara* præcipitatus, Martyris gloriam adeptus est, ut ibidem videre est. At de his fides apud auctorem sit; scimus etenim Bollandistarum volumina sagenæ missæ in mari comparari, bonos, & malos pisces congreganti.

Mauritii Imp. infirmitas & testamentum

14. Antequam de rebus anni hujus dicendi finem faciamus, addimus hoc anno Mauritium Imperatorem gravi correptum morbo, cum in vitæ discrimine esset, condito testamento Imperium filiis suis divisisse, ac Theodosio filiorum natu maximo Orientis Imperium destinavit. Tiberio Romam veterem cum Italia, & insulis in mari Tyrrheno. Ceteras Romanæ ditionis provincias inter reliquos filios distribuit, quibus utpote minoribus, Domitianum cognatum suum, ecclesiæ Melitensis Antistitem, virum rebus agendis idoneum, tutorem dixit. Hæc in 15. annum Mauritii refert Theophilatus. Convaluit tamen Imperator, qui una cum filiis suis tristiori tragœdiæ reservabatur.

S. Domitianus Melitenes Episc. floret, ejus mors.

15. Quoad Domitianum Melitenes Episcopum Imperatoris cognatum, de quo in testamento Mauritii fit mentio, colitur is in Græcorum Menœis die decima mensis Januarii, quo eum ad Deum migrasse creditur. Theophanes enim anno incarnationis secundum Alexandrinos 594. Kal. Septembris anni Christi 601. inchoato ait: *Januario mense Domitianus Melitenes Episcopus Imperatoris consanguineus, diem extremum obiit, & a Cyriaco Patriarcha ad SS. Apostolorum sepultus est, Senatu universo funebribus honoribus memoriam ejus prosequente.* Quare S. Domitianus vitam cum mor-

morte commutavit, mense Januario anni 602., non vero 603., ut suspicatus est Bollandus, referens ejus elogium historicum; at ex Græcorum Menæis, & Theophilato. S. Gregorius Papa ad eumdem scribens, ejus eruditionem, prudentiam, & zelum mirifice commendat: at de his hactenus.

JESU CHR. AN. 598.

Boll. ad diem 10. Januarii

Greg. lib. 3. epist. 67.

JESU CHRISTI AN. 598. GREGORII PAPÆ 9.
MAURITII IMP. 17. AGILULPHI REGIS LONGOB. 9.

1. Hoc Christi anno quingentesimo nonagesimo octavo, S. Gregorius Papa cum gravi adhuc infirmitate detineretur, acceptis ab Eulogio Alex. Episcopo, litteris quibus de conversione hæreticorum admonebatur, æger in hæc verba respondit. *Communis filius, præsentiam lator Sanctitatis vestræ scripta deferens, ægrum me reperit, ægrum reliquit. Qua ex re contigit, ut ad largam vestræ beatitudinis fontem, brevis epistolæ me vix parva potuisset aqua resudare. Superni autem muneris fuit, ut in dolore corporis positus suavissimæ vestræ sanctitatis scripta susciperem, quæ me doctrina Alexandrinæ Ecclesiæ, de conversione hæreticorum, de concordia fidelium sublimiter lætificaret: quatenus ipsa mentis lætitia, immanitatem mihi molestiæ temperaret. &c.* Atque ut vicem redderet, de conversione gentis Anglorum ad christianam fidem, Eulogium certiorem reddidit. Quia tamen Eulogius, se Cyriaco CP. Episcopo Œcumenici titulum negasse addiderat; sicuti sibi a Gregorio jussum fuerat, ac Gregorio in epistolæ inscriptione tribuerat, nec sibi, nec aliis Œcumenici nomen convenire adnotat, nec se Dominum vocari velle addidit. *Indicare quoque vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ non ex veritatis radice prodierunt, nimirum cum scriberet ad Cyriacum Episcopum Constantinopolitanum, titulum non apponere Universalis. Et mihi loquitur, dicens: Sicut jussistis. Quod verbum jussionis, peto, a meo audita, removere: quia scio quis sum, & qui estis, moribus patres. Non ego jussi, sed quæ utilia visa sunt indicare curavi.* Hæc quidem Gregorius submisse nimis, humiliterque de se ipso scribens. Quod vero ceteris, & dignitate & juribus, præstaret Episcopis, & ipsius toto Pontificatus tempore gesta, & epistolæ satis aperte testantur, ut cecutire dicendum sit eos, qui Gregorium in tota ecclesia Primatum non

S. Gregorius de conversione hæreticorum cum Eulogio gratulatur.

Gregorius Dominum appellari non patitur.

Jesu Chr. an. 598.

non agnovisse, dicunt; quos vel sola epistola Pontificatus sui initio, ad Patriarchas data, errasse evincit; qua inter plurima hæc leguntur. *Rursus cum me ad considerandum confero, qualis in humilitate, qualisque esse rector debeat in districtione, perpendo quoniam necesse est, ut & bene agentibus sit per humilitatem socius, & contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus: quatenus & bonis in nullo se præferat, & cum pravorum culpa exigit, prioratus sui potestatem agnoscat: ut & bonore suspenso, æqualem se subditis bene viventibus deputet, & contra perversorum culpas ex zelo justitiæ excrescat. &c.* Et iterum de Romani Pontificis, supra ceteros Episcopos potestate in epistola ad Joannem Syracusanum Episcopum. *Quod se dicit Sedi Apostolicæ subjici: si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subditus non sit: cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt.* Hæc quidem Gregorius humilitatis æque, ac potestatis exempla exhibens.

De origine & usu Martyrologii Romani. *Greg. lib. 8. epist. 29.*

2. Epistola altera a Gregorio petierat Eulogius Alex. Episcopus, ut sibi commentaria Eusebii Cæsariensis de martyribus transmitteret; at ea neque in Rom. ecclesiæ archiviis, aut bibliothecis invenire potuit Gregorius. Quod vero de Martyribus, tunc temporis Romana legeret ecclesia, his verbis indicat Gregorius. *Nos autem pene omnium martirum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non tamen ita eodem volumine, quis, qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus, & dies passionis ponitur.* Ex his autem Gregorii verbis, quantæ antiquitatis sit Martyrologium, quo Romana ecclesia utitur, satis apparet, cujus etiam meminit, Synodus Clovesoniensis anno 747. habita, in qua legitur, *Ut per gyrum totius anni natalitia Sanctorum, uno eodemque die juxta Martyrologium Ecclesiæ Romanæ, cum sua sibi conveniente psalmodia, & cantilena venerentur.* Martyrologiorum origo ab ecclesiarum fastis repetenda est. Singulæ enim habebant martytum suorum, aliorumque Sanctorum catalogum, in quorum memoriam, festi dies celebrabantur; hinc Cyprianus. *Denique*, inquit, *& dies eorum, quibus excedunt annotate: ut commemorationes eorum inter memorias martyrum cele-*

S. Cyprianus epist. 12. nov. ed.

celebrare possimus. De Martyrologiorum origine, antiquitate studiosus lector Præfationes, & notas ad Romanum Martyrologium Cæsaris Cardinalis Baronii consulat, qui eo de argumento tanta cum laude scripsit, ut alia in eam rem addere superfluum videatur. Henrici tamen Valesii opinioni subscribere non possumus, qui dissertatione singulari de Martyrologio Romano inscripta, ac post Eusebii historiam edita, probare conatus est, nullum Romanam ecclesiam proprium habuisse Martyrologium ante tempora Sixti Quinti; cum illud Baronii opera vulgatum, ac illustratum fuit, sua nihilominus Calendaria, suosque fastos Romanam, sicut & ceteras ecclesias, habuisse ait, quibus propriorum martyrum, ac Sanctorum Episcoporum nomina inscripta continebantur, nulla tamen martyrologia: *Quæ non unius*, inquit, *loci propria, sed totius ecclesiæ fuere communia, quippe quæ totius Orbis martyres, Confessoresque generaliter continerent*. At si attentius Gregorii verba considerentur, constabit profecto, ea ætate Romæ adfuisse Martyrologium, quo omnium fere totius orbis martyrum nomina continebantur. *In quo*, ait Pontifex, *pene omnium martyrum distinctis per singulos dies passionibus collecta nomina*. Ut autem de martyribus, ubique terrarum passis agi ostendat, subdit: *In eodem volumine... nomen, locus, & dies passionis ponitur. Unde fit ut multi ex diversis terris, atque provinciis, per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur martyrio coronati*. Romanum porro Martyrologium octavo seculo in Anglia notissimum, atque in usu fuisse, Clovisoniensis synodus supracitata docet.

Gregorii sollicitudo pro custodia civitatum. *Paul. Diac. lib.* 4. 13. *Greg. lib.* 9. 4.

3. Interea cum aliqualem, cum Agilulpho Longobardorum Rege pacem iniisset Gregorius, aut saltem ad tempus inducias cum eo fecisset, ne pacis tempore, aliquid adversus Rempublicam Longobardi tentarent, sollicitus erat Gregorius, ac ut caute loca Imperio subdita custodirentur, admonuit; Inter alios ad Januarium Calaritanum in Sardinia Episcopum scribebat hoc anno. *Cognoscatis autem Abbatem, quem ad Agilulphum ante multum jam tempus transmisimus, pacem cum eo, Deo propitio (quantum nobis ab excellentissimo Exarcho scriptum est) ordinasse. Et ideo quousque pacta de confirmatione pacis ipsius conscribuntur (ne forte hostes nostri in hac dilatione ad partes illas iterum velint accedere) murorum vigilias, & sollicitudinem in locis omnibus facite adhi-*

adhiberi. Et confidimus in Redemptoris nostri potentia, quia adversariorum nobis incursus, vel insidiæ denuo non nocebunt. Agnellum vero Terracinensem Episcopum, ut civitatem diligenter custodiendam curaret, non solum admonuit, sed etiam ut cunctos ad murorum custodiam compelleret, etiam ecclesiæ servitio addictos, admonuit. *Quia vero comperimus, multos se a murorum vigiliis excusare: sit fraternitas vestra sollicita, ut nullum neque per nostrum, vel Ecclesiæ nomen, aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur, quatenus cunctis vigilantibus, melius, auxiliante Domino, civitatis valeat custodia procurari.* Hæc Gregorius exemplo suo, & auctoritate docens, Episcopos non solum, quæ animarum curam spectant, curare debere; sed etiam corporum, aut publicam tranquillitatem, si necessitas urgeat, ac charitas dictet. Conciliandæ pacis cum Agilulpho Rege Probum Abbatem delegaverat S. Gregorius, virum tantæ prudentiæ, ut eum Abbatem designaverit, cum nondum monachus esset, unde in libello oblato ajebat. *Quadam die, dum inter alios ad obsequium Domini mei fuissem ingressus, subito atque inopinato introire in monasterium, atque ut onera Abbatis debuissem suscipere, præcepistis.*

De Probo Abbate pacis sequestre

Gregorii epist. ad Eusebium Thessal. Episc.

4. Cum vero didicisset S. Gregorius, Lucam, & Petrum Thessalonicensis ecclesiæ presbyteros, non sine fidelium scandalo, Chalcedonense concilium perfricta fronte rejicere, ne latius tale venenum serperet, data epistola Eusebium Thessalonicensem Episcopum admonuit, ut vel talia putrida membra a suo corpore abjiceret, vel ad sanitatem reduceret; Paulum vero Africæ Episcopum accusatum, sed innoxium repertum, suæ reddidit sedi, quem etiam Columbo Numidiæ Episcopo, atque Adeodato, ac Maurentio Africanis Episcopis commendavit.

De Judæorum conversione Gregorii sollicitudo.

5. In Judæorum quoque salute procuranda, quantum sollicitus esset Gregorius, ejusdem epistolæ testantur. Hoc anno Faustinum Rom. ecclesiæ defensorem Agrigentum abire jussit, ut communicatis cum Episcopo consiliis, Judæorum plurimos, baptizandos curaret; cujus hæc sunt verba. *Hujus auctoritatis tenore præcipimus, ut omni excusatione submota, ad prædictum locum pergere, & desiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adjuvare festines. Quibus tamen si lon-*

longum, vel triste videtur solemnitatem sustinere Paschalem, & eos nunc ad Baptismum festinare cognoscis: ne (quod absit) longa dilatio eorum retro possit animos revocare, cum fratre nostro, & Coepiscopo loci loquere, ut pœnitentia, ac abstinentia quadraginta dierum indicta, aut die Dominico, aut si celeberrima festivitas fortassis occurrerit, eos Omnipotentis Dei misericordia protegente, baptizet. Quia, & temporis qualitas propter eam, quæ sibi imminet cladem impellit, ut desideria eorum nulla debeant dilatione differri. Quoscumque vero ex eis pauperes, & ad vestem, sibi emendam non sufficere posse cognoscis, te eis vestem, quam ad baptisma habeant, comparare volumus, ac præbere &c. Etsi autem in eorum conversione, tam anxiam sollicitudinem gereret, invitos tamen non esse cogendos, nec ea de causa vexandos jubebat. Unde cum Neophitus quidam nomine Petrus post susceptum baptisma in Judæorum synagogam Calaris in Sardinia, satellitio stipatus irruisset, ut in ecclesiam converteret, atque ibidem Sanctissimam Crucem, & imaginem Virginis Deiparæ collocasset; ad Januarium Calaritanum Episcopum scribens Gregorius, ut cum debita reverentia Crucem, & B. Virginis imaginem ibidem auferret, ac Judæis synagogam restitueret, jussit; eademque ad Victorem Panormitanum Episcopum scribens præcepit.

JESU CHR. AN. 598.

6. Hoc etiam anno Romanæ ecclesiæ Defensores honore, ac dignitate adauxit: *Ut sicut in schola notariorum, atque Subdiaconorum per indultam longe retro Pontificum largitatem sunt Regionarii constituti, ita quoque in Defensoribus septem . . . . bonore Regionario decorentur.* Hæc Gregorius ad Bonifacium inter defensores primum. Ii autem Rom. ecclesiæ, vel alterius cujus erant defensores, negotia, ac præcipue pauperum curam gerebant, in Diaconorum quodammodo locum substituti, quos in eleemosinis ecclesiæ erogandis ordinatos fuisse, narrant Apostolorum acta, eosque in diversas provincias mittebat Romanus Pontifex, ut Rom. ecclesiæ negotia gererent; ut ex pluribus Gregorii epistolis liquet. Formula autem, qua inter defensores inscribebantur, hæc erat. *Ecclesiasticæ utilitatis intuitu, id nostro sedis arbitrio, ut si nulli conditioni, vel corpori teneris obnoxius, nec fuisti clericus alterius civitatis, aut in nullo tibi canonum obviant statuta, officium Ecclesiæ defensorum accipias: ut quidquid*

De officio, & dignitate defensorum Rom. ecclesiæ. *Greg. lib. 8. epist. 14.*

quid pro pauperum commodis tibi a nobis injunctum fuerit; incorrupte, & vivaciter exequaris; usus hoc privilegio, quod in te habita deliberatione contulimus: ut omnibus quae tibi a nobis fuerint injuncta, complendis, operam tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus tuis sub Dei nostri judicio rationem. Hanc autem epistolam Paterio notario Ecclesiae nostrae subscribendam dictavimus. Qua ratione injunctum officium gerere deberent in caussis Episcoporum, epistola ad Vitalem defensorem his verbis docet. *Si cujusquam clerici, ut assolet culpae casus emerserit, in qua te sibi petere debeat adjutorem, ad eumdem Episcopum reverenter accede: & sicut causae meritum cognoveris, apud eum non defensor culpae, sed potius intercessor existe, ut hac provisione, & poscenti feras auxilium, & jura Praepositi non turbentur. Si qui vero sunt, qui justa poposcerint, eis per te auxilium Sedis Apostolicae non est negandum: sed tamen ita servandum est, ut uniuscujusque Episcopi reverentia, & Clericorum disciplina per defensionis tuae experientiam minime solvatur.* Quanta judicii maturitate oppressis, & opem ecclesiasticam implorantibus subvenire deberent, epistola altera ad Romanum data, scimus. *Patrocinia*, inquit, *ecclesiastica (sive mea suscipiatis scripta, sive etiam minime fuerint directa) sub tanto moderamine debetis impendere, quatenus hi, qui in furtis publicis implicati sunt, a nobis non videantur injuste defendi; ne opinionem male agentium ex indiscretae defensionis ausu, in nos nullo modo transferamus: sed quantum decet Ecclesiam admonendo, & verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, ut & illis opem feratis, & opinionem Sanctae Ecclesiae non inquinetis.* Haec Gregorius, qui alibi Romanum defensorem arguit, eo quod ad se Clericorum caussas evocaret, spreto Episcopali judicio. *Si sua*, inquit, *unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur.*

Gregorius Monachorum quieti consulit.

7. Quantam vero pro monachis, monasteriorumque incolumitati, vel quieti sollicitudinem gereret Gregorius, & dicta superius, & dicenda demonstrant. Hoc anno Classense monasterium prope Ravennam SS. Joannis, & Stefani, ab Ravennatis Episcopi jurisdictione substraxit. De monasterio Castelliensi, ab Cassiodoro Senatore extructum, ac optime insti-

institutum, Secundino Tauronomitano Episcopo in Sicilia scribens, admonuit, ne illud a laicis invadi permitteret; Scillitano autem Episcopo, ut ejusdem monasterii privilegia illæsa servaret, Monachorum vitæ invigilaret, Monasterii jura tueretur, & donatum sibi ab Abbate agrum restitueret, præcepit.

JESU CHR. AN. 598.

8. Dum monasticæ disciplinæ, ac monachorum quieti, ac incolumitati consuleret Sanctus Gregorius, Episcoporum quoque crimina coercere non dubitavit, ut ejusdem epistolæ ad Januarium Calaritanum Episcopum datæ, testantur. Is zelo quodam, seu potius furore percitus, ut ecclesiæ suæ jura tueretur, die Dominico antequam missarum solemnia celebraret, ad secandam segetem Donati cujusdam perrexit. Sacro peracto ibidem rediens, terminos ejusdem possessionis evulsit. Ad hæc adeo indigna homini christiano, nedum Episcopo vehementer exarsit Gregorius, ac in eum censuram tanto facinore dignam exercuisset, nisi ejus ætatis decrepitæ rationem habuisset: a communione tamen eos suspendit, quorum consilio id egerat Januarius, eum vero graviter reprehendit; eo quod tantum facinus perpetrasset, ac se sanctiorem existimaret, quo res ecclesiæ, quovis posset modo, studiosius conservaret; nam: *Non terrenarum rerum curam, sed animarum te ducatum suscepisse cognoscas. Ibi ergo cor figere, ibi sollicitudinem, ibi totum debes studium adhibere, atque de earum lucro diligentius cogitare*. Regula sane pastoribus animarum perutilis, ac tanto digna Pontifice.

Gregorius Januarium Episc. arguit

9. Acceperat hoc anno Gregorius a Leontio exconsule viro pio, una cum epistolis, munuscula, Oleum scilicet Sanctæ Crucis, & lignum Aloes, eique rescribens ajebat. *De hoc etiam valde gaudemus, quod munera quæ transmisistis, vestris moribus dissimilia non fuerint. Oleum quippe S. Crucis: & Aloes lignum suscepimus: unum quod tactum benedicat; alium quod incensum bene redoleat*. Quod ad Oleum Crucis pertinet, adnotat Baronius dici oleum S. Crucis illud, quod arderet ante prætiosum lignum Sanctæ Crucis Hierosolymis, sicuti oleum martyrum a Theodoreto illud dicitur, quod fideles accipere consueverant, ex lampadibus, quæ ad martyrum confessiones ardere solebant, quo oleo piissimi viri utebantur ad morbos curandos. Aliam tamen interpre-

S.Gregorius acceptis muneribus Clavem Sepulchri S. Petri mittit.

Greg. lib. 8. epist. 35. Bar. hoc anno num. 13. Theodoret. hist. SS. Patrum in Jacob. cap. 21.

Jesu Chr. an. 598.

Beda de locis Sanctis c. 20.

tationem ex Beda desumptam libentius ibidem amplectitur, nam Beda sermonem habens de ligno S. Crucis Hierosolymis Constantinopolim translato sub Heraclio, hæc habet: *De nodis enim ligni Sancti liquor odorifer oleo similis profluit, cujus si etiam modica particula contingat, omnem ægritudinem sanat*; de hoc liquore ex S. Crucis nodis emanante intelligi facile potest. Si plura cupis lege Gretzerum, qui hunc S. Gregorii locum explicat. Porro Gregorius Leontio epistolas reddens, pro muneribus acceptis, munera reddidit; eique clavem Sepulchri S. Petri unacum ramentis ex catenis ipsius misit, ut ibidem videre est.

Gretzerus de Cruce lib. 1. cap. 81.

De S. Theodoro Siceota

10. Vivebat hoc tempore S. Theodorus Siceota, ex monacho, Episcopus Anastasiopolitanus in Galatia, cujus vitam scripsit Eleusius, qui etiam Gregorius dictus est, per annos duodecim vitæ socius. Theodori Episcopatus initium anno 590: alligavit Baronius, currenti vero ejusdem abdicationem. Gregorius narrat capite undecimo, ac eum ob molestias, & sollicitudines, ac injurias illatas, Episcopatum abdicasse, ac ad monasterium suum rediisse addit, postquam Clero, civibusque convocatis, hanc habuit orationem. *Vos me Fratres, invitum, ut scitis, & abstractum hoc jugum subire coegistis. Et quamvis me, ut ad illum ferendum minime aptum, excusarem, vos tamen audire me noluistis, sed vestræ cupiditati maluistis indulgere. Undecimus igitur jam annus est, ex quo ego vos affligo, & affligor a vobis. Quamobrem obsecro vos, ut Pastorem vobis paretis, qui & vobis placere, & res vestras curare possit. Ego enim posthac Episcopus vester non ero: sed ut abiectus monachus, ad mansionem revertar meam, ubi in omni mea vita Deo servire constitui*. Paulo post subdit Eleusius: *Porro cum Beatus vir accepisset, Episcopum esse Anastasiopoli, gaudens, & laudans Deum, ad monasterium rediit, & Dei gratia multa fecit miracula in ægrotos qui accedebant*, ex quibus Eleusius plurima refert. Annus tamen susceptæ, ac depositæ dignitatis incertus est. Cum tamen *annos undecim* eam gesserit, si anno DXC. Episcopus factus est, ut putat Baronius, ejus abdicatio in annum circiter sexcentesimum primum rejicienda esset. Pastorali itaque abjecta cura, eum ad monasterium suum rediisset, ut ibidem quietam imposterum vitam ageret, inde egredi coactus est, ac CPolim pergere, quo eum

Theodorus miraculis claret.

Cy-

Cyriacus Constantinopolitanus Patriarcha, ac Mauritius Imperator vocavit, ubi dum moraretur ingentia per eum Deus miracula eddidit, ac cœcis visum reddidit, ac variis morbis affectos, aut a Dœmone obsessos liberavit, ut pluribus Georgius vitæ, & itineris socius ibidem narrat, quæ ibidem videri possunt.

Obitus S. Anastasii Antiocheni Episc.

11. Anastasium Antiochenum Episcopum, hoc anno obiisse indicat S. Gregorii epistola 49. libri noni, ad Anastasium juniorem data, sub indictione secunda, quæ a Kal. Septembris hujus anni initium duxit. Hic porro Anastasius senior dictus, ut ab Anastasio successore distinguatur, vir fuit ob vitæ sanctitatem præclarus, & S. Gregorio carissimus, qui cum ab eo librum de cura pastorali accepisset, illum in Græcum sermonem transtulit, ac Orientali ecclesiæ legendum tradidit; ac ab utraque ecclesia undecimo Kal. Maii inter Sanctos anniversaria commemoratione receptus est. Successorem in Antiochena sede alterum Anastasium habuit, qui junior dictus est. Cumque non semel acciderit, hunc cum altero Anastasio a viris doctis confundi, aut alterutrum cum Anastasio presbytero, & Monacho Sinaita; hinc de tribus Anastasiis ex Pagio ad annum 599., nonnulla adnotanda sunt, ut quæ sua sunt unicuique tribuantur, & gestorum confusio vitetur.

De Anastasio monacho Sinaita, ejusque operibus.

12. Prior itaque Anastasius monachus in monte Sinai fuit, unde Sinaitæ nomen habuit, cujus memoria apud Græcos die XX. Aprilis recolitur. Quantum pro Ecclesia Dei, usque ad senectutem laboraverit, ostendunt varia ejus scripta, quæ Baronius, aliique Viri doctissimi, a Nicephoro lib. 8. cap. 44. in errorem abrepti, adscripsere *Anastasio seniori* Patriarchæ Antiocheno, quem perperam *Sinaitam* vocant, & unum eumdemque cum Anastasio Sinaita esse arbitrantur. Nam Allatius in Diatriba *de Simeonum scriptis*, & ex eo Henschenius ad diem XXI. mensis Aprilis in vita Sancti Anastasii Sinaitæ, & Sancti Anastasii Patriarchæ Antiocheni, aliique recentiores doctissimi, tam Catholici, quam Protestantes, utrumque ab invicem separandum esse docuere. Libri XI. *Anagogitarum contemplationum in Hexameron*, fœtus sunt *Anastasii Sinaitæ*, non vero Anastasii Antiocheni Episcopi; citantur enim in annalibus Michaelis Glycæ viginti circiter vicibus, ibique numquam Episcopus, aut Patriar-

JESU CHR. AN. 598.

triarcha Antiochenus appellatur, ſed ſæpius *Anaſtaſius Sinaites, vir divinus, & vir eximius*. Liber cui titulus: *Reſponſio Anaſtaſii Epiſcopi ad orthodoxorum aliquorum Chriſtianorum interrogationes de diverſis Capitibus eccleſiaſticis*, qui a Baronio Anaſtaſio Sinaitæ tribuitur, neque Anaſtaſio Epiſcopo Antiocheno, neque Sinaitæ monacho tribui poteſt, cum Græcorum recentiorum erroribus ſcateat, citenturque in illis *Olympiodorus*, qui decimo ſæculo floruit, & alii juniores ſcriptores. Liber inſcriptus *Dux viæ, adverſus Acephalos* eo fine elucubratus, ne orthodoxi inciderent in laqueos, & retia Hæreticorum, præſertimque Severianorum, tribuitur a Nicephoro, & a Baronio Anaſtaſio Sinaitæ Epiſcopo Antiocheno, ſed fœtus eſt *Anaſtaſii Monachi Sinaitæ*; titulus enim in codice MS. hujuſmodi eſt: *Exordium libri S. Anaſtaſii Monachi Sinaitæ*. Et cap. 4. hic titulus legitur: *Anaſtaſii minimi Presbyteri Sancti Montis Sina opus de fide, œconomia Chriſti Dei filii ad Sanctam Catholicam Eccleſiam Babylone ſcriptum, fratribus noſtris in ea Chriſti ſtudioſis, & orthodoxis petentibus*. Hic autem Anaſtaſius Monachus montis Sinai, uſque ad ultima Heraclii tempora vixiſſe, & circa annum 640. obiiſſe conſtat. Falſo autem ſcribunt Albertinus, Dalleus, aliique Proteſtantes, *Anaſtaſium* Sinaitam credidiſſe Euchariſtiam eſſe meram figuram Corporis Chriſti, virtutis ejus, & efficaciæ plenam. In libro enim, cui titulus, *Viæ dux*, aliiſque eidem attributis Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam credidit, cum tota ſæculi ſeptimi Eccleſia; quamvis errore ſibi proprio in explicandis hujus myſterii circumſtantiis lapſus ſit, dum Corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe corruptibile, & affectiones, quæ conveniunt accidentibus, ſcilicet frangi, dividi, dentibus conteri, ſtomacho digeri, alterari, corrumpi, Corpori Domini convenire tradat. Verum proprius hic illi error fuit, & privata opinio, circa circumſtantiam quandam myſterii, non circa ſubſtantiam ipſius. Qua de re legenda Epiſtola De-Marcæ Archiepiſcopi Pariſienſis ad Lucam Dacherium, lib. 7. Tom. 1. Arnaldus Doctor. Pariſienſis, de perpetua fide Catholicæ Eccleſiæ circa Euchariſtiam cap. 2., & Natalis Alexander in ſexto Eccleſiæ ſæculo cap. 4. part. 13., ubi Anaſtaſii Sinaitæ mens egregie explicatur. Oratio *de Sacra Sinaxi*, & expoſitio in *Pſalmum ſextum*, quæ a Baronio tri-

De Marca epiſt. ad Lucam Dacheſium lib. 7. tom. 1. Arnaldus de perpetua eccleſiæ fide cap. 2. Nat. Alex. hiſt. eccleſ. c. 4. ſecul. 6.

tribuuntur Anastasio Episcopo Antiocheno *Anastasii Sinaitæ* inscribi debent, & notis illustrantur a Combefisio Tomo 2. Bibliothecæ Græco latinæ Sanctorum Patrum. Refert ibidem Combefisius, orationes tres *Anastasii Archiepiscopi Antiochiæ*. Prior est de *Annunciatione Beatissimæ Virginis*; sicuti & secunda; tertia vero de *Transfiguratione Domini nostri Jesu Christi*. Præterea Colonienses veterum Patrum Bibliothecæ auctores inseruerunt *Orationes quinque dogmaticas* Anastasii Sinaitæ, quæ fœtus sunt Anastasii senioris Episcopi; extant enim MSS. in Bibliotheca Cæsarea, ut refert Lambecius Tomo 7. Commentariorum de eadem Bibliotheca pag. 267. Ubi Anastasius non dicitur *Sinaita*, sed tantum *Episcopus Antiochenus*. Et tamen Lambecius titulum illarum orationum in linguam latinam vertens, vulgari errore occupatus, in versione sua eum *Sinaitam* appellat, sicuti & quando mentionem facit Opusculorum ejusdem Anastasii Episcopi Antiocheni, quæ ibidem manuscripta habentur, nomen *Sinaitæ* versioni suæ semper inserit; cum tamen ex illorum opusculorum titulis, in quibus Anastasius dicitur tantum *Episcopus Antiochenus*, manifeste pateat, *Sinaitæ* cognomen nonnisi per errorem illi attributum fuisse. Supersunt varia Manuscripta Græca in variis Bibliothecis sub nomine *Anastasii Sinaitæ*, vel Anastasii Episcopi Antiocheni, de quibus hic agendi locus non est, ait Pagius not. 3. ad 7. anni 599.

Jesu Chr. an. 598.

13. His igitur dictis data occasione ex obitu Anastasii Senioris, ad ipsius successorem Anastasium alterum transeamus: qui ubi creatus est Antiochenus Episcopus, more majorum, de ordinatione sua certiorem reddidit Romanum Pontificem, fideique professionem ad eumdem misit. Non extat illa, sed ex epistola S. Gregorii id constat, qua hæc narrat. *Fraternitatis tuæ scripta suscepi, professionem fidei recta servantia: magnasque Omnipotenti Deo gratias retuli, quod & immutatis gregis sui Pastoribus, fidem, quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit*. Affirmat autem Gregorius jam mutatos esse Pastores, eo quod seniori Anastasio junior successerat, & iterum in fine epistolæ: *Quia vero pervenit ad nos in Orientis Ecclesiis nullum ad sacrum ordinem: nisi ex præmiorum datione pervenire: si ita esse vestra fraternitas agnoscit, hanc primam oblationem Omnipotenti Deo offerat, ut a subiectis sibi Ecclesiis*

Anastasius Anastasio succedit.

Greg. lib. 9 epist. 49.

siis

Jesu Chr. an. 599. *fiis errorem simoniacæ hæreseos compescat. &c.* Quæ quidem ad Seniorem Anastasium jam tempore Justiniani creatum Episcopum referri non possunt, ut primam hanc oblationem suæ pastoralis curæ offerret, sed ad juniorem Anastasium hoc anno recens electum. Ad eum ergo Gregorius scribens, plura de exacta exhibenda gregi cura pastorali commemorat, quæ ibidem videri possunt.

Oscensis synodus. *Tom. 5. concil. p. 1604.*

14. Anno labenti in provincia Tarraconensi Oscense concilium celebratum est, anno 13. Regni Reccaredi, æra sexcentesima trigesima sexta. Canones duos hæc synodus edidit. Quorum primo decernitur, ut annuis vicibus quilibet Episcopus Abbates Monasteriorum, Presbyteros, & Diaconos congreget, ut in ecclesiasticis regulis eos edoceat. Secundo, ut quammaxima diligentia, in vita Clericorum inquiratur, & an eorum vita sit pura, & casta, ne videlicet quovis modo, de eis aliqua suspicio oboriri posset; hicque finis sit de rebus hoc anno gestis.

JESU CHRISTI an. 599. Gregorii Papæ 10.
Mauritii Imp. 18. Agilulphi Longobard. Regis 10.

De Pace, cum Longobardis inita Gregorii epistolæ.

1. Anno Redemptionis quingentesimo nonagesimo nono, optata diu pax cum Agilulpho Longobardorum Rege, tandem firmata fuit, ad breve sane tempus duratura, idest usque ad annum 601., ut epistola S. Gregorii anno sequenti ad Innocentium data indicat, qua hæc leguntur. *Sollicitudinem vestram desiderato nuncio relevamus, indicantes cum Longobardorum Rege, usque ad mensem Martium futuræ quartæ indictionis de pace, propitiante, Domino convenisse. Quæ si retineatur ignoramus: quia idem Rex obiisse postea nunciatus est, licet adhuc habeatur incertum.* At etsi per biennium tantum duratura foret, pro magno tamen beneficio eamdem Gregorius habuit, gratiasque agens ad Regem Longobardorum hæc scripsit. *Gratias Excellentiæ vestræ referimus, quia petitionem nostram audientes, pacem quæ utrisque esset partibus profutura (sicut de vobis confidentiam habuimus) ordinastis. Ex qua re excellentiæ vestræ prudentiam, & bonitatem valde laudavimus, quia pacem diligendo, vos Deum, qui ipsius est auctor, amare monstrastis. Nam si (quod abesse gaudemus) facta non fuisset, quid aliud agi debuit, nisi ut*

eum

cum peccato, & periculo partium, miserorum rusticorum sanguis, quorum labor utrisque proficit, funderetur? Sed ut prodesse nobis eamdem pacem, quemadmodum a nobis facta est, sentiamus: paterna charitate salutantes, petimus, ut quoties se occasio dederit, Ducibus vestris per diversa loca, & maxime in his partibus constitutis, vestris præcipiatis epistolis, ut hanc pacem (sicut promissum est) summopere custodiant; & occasiones aliquas non quærant, unde aut contentio quædam, aut seditio aliqua; aut ingratitudo nascatur: quatenus voluntati vestræ amplius agere gratias valeamus. Latores vero præsentium, sicut re vera homines vestros, in eo quo decuit affectu suscepimus: quia justum fuit, ut viros sapientes, & qui pacem factam, Deo propitio, nunciarunt, cum charitate & suscipere, & dimittere deberemus.

Arnulphi Ducis suspecta fides, & pax

2. Hanc tamen pacem, quam Agilulphus Rex juraverat, adjectis quibusdam conditionibus, acceptam habuit Arnulphus Spoleti Dux; quapropter in suspicionem Gregorio venit, ne invitus eidem subscripsisset, ac dolose agens, insidias meditaretur, quare Theodorum Ravennæ curatorem, ut caveret, admonuit. *Indicamus*, ait, *itaque Arnulphum de servanda pace, non ut Rex ipsius juravit; sed sub conditione, si sibi in quoddam excessum non fuerit, aut si nullus contra Arogis exercitum ambulaverit, sacramenta præstitisse. Quod quia omnino iniquum & dolosum est, nos tamquam si non jurasset habemus: quia in aliquid parum facilem sibi excedendi occasionem inveniet, & plus nos, si de eo suspecti non fuerimus, decipiet. Vvarnilfrida vero ad cujus consilium idem Arnulphus cuncta agit, omnino jurare despexit. Et id contingit, ut ex pace, quam multum desideravimus, nos in his partibus nullum remedium habere possimus, quia de iisdem hostibus, de quibus suspecti nuncusque fuimus, adhuc & impostерum suspecti sumus. Cognoscat præterea gloria vestra, homines Regis, qui huc transmissi sunt, imminere, ut in pacto debeamus subscribere: sed recordantes eorum, quæ Agilulphus a Basilio viro clarissimo convicia super nos in Beati Petri dixisse fertur injuriam, quamvis hoc penitus idem Agilulphus negaverit, a subscriptione tamen abstinere prævidimus: ne nos, qui inter eum, & excellentissimum filium nostrum domnum Exarchum petitores sumus, & medii, si quid forte clam sublatum fuerit, falli in aliquo videamur, & ao-*

Jesu Chr. an. 599.

nostra ei promissio in dubium veniat: & si qua de futuro (quod absit) necessitas fuerit, occasionem inveniat, qualiter nostræ petitioni consentire non debeat. Et ideo petimus, ut sicut, & a prædicto filio nostro excellentissimo poposcimus, gloria vestra, ea quæ nobis charitate unita est, peragat, quatenus antequam homines ipsi ab Aroge revertantur, Rex eis sub festinatione scripta transmittat, quæ tamen ad nos deferantur, in quibus eis præcipiat; ut nos subscribere non petant. Sed si tantum est, Gloriosum fratrem nostrum, vel de Episcopis unum, aut certe Archidiaconum subscribere faciemus. Hæc Gregorius. An vero pax ubique servata fuerit, ignoratur; ex Gregorio tamen constat, sub Longobardorum gladiis eum ingemuisse; nam Eulogio Episcopo Alexandrino scribens ajebat. *Peto autem, ut pro me enixius vestra Sanctitas orare debeat: quia & podagræ doloribus, & barbarorum gladiis, & curarum afflictionibus incessanter premor*. Dicendum itaque, vel pacem non fuisse a Longobardis servatam, vel (quod vero similius est) eam epistolam ad hunc annum non pertinere, ut notatum est a Muratorio.

Gregorii epist. ad Joannem Siracusanum Episc.

3. Cumque Bizacenæ provinciæ Episcopi, Primatem suum apud Gregorium accusassent, atque is adversus eum sententiam dicturus esset, uti Mauritius Imperator edixerat, Theodorus militum in Africa magister, auri libris decem acceptis, ne Romani Pontificis judicio Africæ Primas se sisteret, effecit; ut in Epistola ad Joannem Syracusanum Episcopum his verbis narrat S. Gregorius. *Causam tamen de qua agitur, necdum Sanctitas vestra subtilius agnovit. In quodam enim crimine Byzacenus Primas fuerit accusatus, & piissimus Imperator eum juxta statuta canonica per nos voluit judicari. Sed acceptis decem auri libris, tunc Theodorus magister militum obtinuit, ut minime fieret. Tamen piissimus Imperator admonuit, ut transmitteremus, & quidquid esset Canonicum faceremus. Sed videntes contrarietates hominum, eamdem causam inire noluimus. Nunc autem idem Primas aliqua de consilio suo loquitur: & valde dubium est, utrum pure an certe quia a Coepiscopis suis impetitur, nobis modo talia loquatur. Nam quod se dicit sedi Apostolicæ subjici: si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit: cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt*. Hæc Gregorius, qui ad eum-

Episcopi omnes Rom. Pontifici subsunt.

eumdem Joannem hoc anno scribens jussit, ut Lucillum Melitæ Insulæ Episcopum ob admissum crimen. *De Episcoporum ordine sine ambiguitate deponeret*. Sacerdotes, & Diaconos in crimine socios gradu suo deijceret, Laicos vero sacra privaret communione, ac Melitenses ut alterum sibi Episcopum eligerent, admoneret.

Gregorius Cyriaco Œcumenici titulum dari vetat.

4. Cum vero Imperatoris præcepto synodum CPoli indictam fuisse accepisset Gregorius, ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum, qui ad eam vocatus fuerat, litteras dedit S. Pontifex, quibus monebat, ne in ea quidquam, inconsulta Romana Sede statuendum permitteret, neque Cyriaco CP. Episcopo profanum Œcumenici titulum dari permitteret, unde ajebat. *Pervenit ad nos, quod Fraternitas vestra ad urbem Constantinopolim sit convocata, Et quamvis piissimus Imperator noster agi illic illicita non permittat, tamen ne perversi homines conventus vestri occasione reperta, aut pro hujus nominis superstitione locum surreptionis requirant, aut ob aliam rem facere Synodum cogitent, quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducat: quamvis sine Apostolicæ Sedis auctoritate, atque consensu, nullas quæcumque acta fuerint vires habeant: verumtamen coram Omnipotenti Deo contestor, & admoneo, ut nullus vestrum illic quibuslibet suasionibus, quibuslibet blandimentis, quibuslibet præmiis, quibuslibet terroribus teneatur assensus: sed pro æterni judicii consideratione adversus prava desideria salubriter, & unanimiter vos exhibete, & pastorali constantia, atque Apostolica auctoritate suffulti, prædonem irruentemque lupum excludite, & in discissionem Ecclesiæ sævienti non cedite, ne de hac re quacumque surreptione Synodum patiamini, quæ neque legitima quidem, nec Synodus dicenda est celebrari. Hoc quoque pariter admonemus, ut si forte nil actum de hujus perversi nominis mentione fuerit, sed de alia re Synodus forte colligitur: omnino sitis cauti, circumspecti, vigilantes, atque solliciti, ne quid illic circa locum aliquem, vel personam præjudicialiter sive illicite adversus canones censeatur: sed si quid incidentis utilitatis causa tractandum est, sic causa, de qua agitur, formam accipiat, ut statuta vetera nulla convellat. Unde iterum coram Deo, & Sanctis ipsius admonemus, ut hæc omnia summo studio, & tota mentis intentione servetis. Nam si quis (quod non credimus)*

JESU CHR. AN. 599.

dimus) scripta præsentia aliqua in parte neglexerit, a Beati Petri Apostolorum Principis pace se noverit segregatum. Hactenus Gregorius ad Orientis Episcopum, ex quibus satis colligitur quanta in Romano Pontifice potestas, & auctoritas esset.

De conversione Schismaticorum Insulæ Caprulæ.

5. Dolorem, quo vel ex barbarorum incursionibus, vel podagræ doloribus, hoc tempore afflictabatur S. Gregorius, Capritanæ insulæ ad ecclesiæ unitatem reditus, aliquantulum lenivit, in quam rem plures extant, ejusdem epistolæ hoc anno datæ. Cum itaque Istriæ, & Venetiarum Episcopi, eorum plebibus, in schismate ob tria capitula conflato; hactenus perseverassent Caorlitani, Romani Exarchi protectione muniti, Gregorii exhortationes & preces spreverant. At mortuo Romano, cum in Exarchatus administratione Gallinicus hoc tempore successisset, ad ecclesiæ unitatem redire cupientes, ne id exequi a schismaticis prohiberentur, legatos suos CPolim Caorlitani miserant; quos S. Gregorius Anatolio Rom. Sedis Apocrysario, his verbis commendavit. *Latores præsentium, qui de Histricorum schismate ad unitatem ecclesiæ Deo miserante reversi sunt, multa de pravitate Episcoporum, qui in illis partibus sunt, conqueruntur. Et quia ea pro re Constantinopolim festinantes tua sibi petunt adesse debere solatia: Dilectionem tuam his hortamur affatibus, ut ei salva ratione solatiari debeat, atque concurrere; quatenus te opitulante, & minus illic fatigari, & quod justum est facilius valeant adipisci.* Gallinicum vero Exarchum rogaverat Gregorius, ut Caorlitanis ad ecclesiæ unitatem redire cupientibus opem ferret. Cumque is Mauritii Imperatoris decreto prohiberi respondisset; Imperatorem quidem jussisse, ne inviti ad ecclesiam redire cogerentur, numquam vero ne sponte redeuntes prohiberentur, his verbis adnotavit Gregorius. *Quod autem exemplar jussionis, quæ ad vos pro schismaticorum defensione transmissa est, mihi ostendi voluistis, pensare sollicite dulcissima mihi vestra excellentia debuit, quia quamvis jussio ipsa subrepta est, non tamen in ea vobis præceptum est, ut venientes ad unitatem ecclesiæ repellatis, sed ut venire nolentes, hoc incerto tempore non compellatis.*

Caprulanis catholicus Episcopus ordinatur.

6. Utque Caprulani, seu Caorlenses ab schismaticorum fraudibus, & insidiis in ecclesiæ unitate perseverare pos-

possent, eos a Concordiensis Episcopi jurisdictione, cui suberant, avulsos, proprium Episcopum habere mandavit; ac Mariniano Ravennatensi Episcopo scribens S. Gregorius jussit, ut catholicum ibidem Episcopum ordinaret, quem eidem subesse voluit, usquedum Istriæ Episcopi, eorumque Metropolitanus Aquilejensis Episcopus ad ecclesiæ unitatem rediret. *Eamque insulam*, inquit, *in sua diœcesi habeat, quousque ad fidem catholicam Istrici Episcopi revertantur, ut & unicuique ecclesiæ suæ Diœceseos jura servemus, & destituta a pastore, populo non desit protectio, & cura regiminis*. Atque hæc sunt Caprulani Episcopatus initia, ut ad rem adnotat Cardinalis Norisius, ac tardius, quam par est, ea usque ad annum 615. circiter locasse Daudulum in chronico, cui Ughellus subscripsit, adnotant viri docti. Caprulanos interea incolas, ut in unitate perseverarent, gravioribus litteris hortatus est S. Gregorius, atque post aliqua. *Qui in vobis nunc ex desiderio vestro gestum esse superni respectus illustratione cognoscimus, qui Schismaticorum inter quos habitatis, pertinaciam refutantes, coadunari ovili Dominico mentem promptissimam, ipsa rei operatione monstratis. Quibus enim scissura displicet, sanos se velle esse testantur, & reprobantes errorem, ostenditis vos amare quod rectum est, deviare quod devium*.

Card. Noris. de synodo quinta §. 5. Ughell. Italia sacra tomo 5. Greg. lib. 9. epist. 10.

7. Ad Gulfarem vero magistrum militum, qui pro tollendo schismate laboraverat, hæc habet: *Latores præsentium de Istriæ ad nos partibus venientes tanta nobis bona gloriæ vestræ retulerunt, ut in reddendam nos vobis gratiarum actionem vehementer accenderent. Cognovimus namque, quod inter curas injunctæ vobis gubernationis illarum partium, præcipuam de animarum lucris sollicitudinem habeatis, & ista errantium corda ad unitatem festinare vos Ecclesiæ revocare, ut (quantum ad desiderium vestrum pertinet) nullum illic ab Apostolica segregatum remanere velitis Ecclesia; tantasque vos B. Petri Apostolorum Principis amor accenderit, ut ovile ipsius, cui a Domino omnes creaturæ sunt traditæ, summo redintegrare cum desiderio cupiatis. Habe, gloriose fili ex tanto talique opere præfixam de divina retributione fiduciam, in qua vos non solum nostra adhortatio, sed & Apostolicus quoque sermo confirmat: quia is qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a mor-*

Magistri militum studium in convertendis schismaticis.

Jac. 5.

Jesu Chr. an. 599.

morte, & operiet multitudinem peccatorum. Quantalibet enim sit temporalis affluentia, vel certa prosperitas, habet finem suum, terminum mortis: hoc vero quod de animarum lucris apprehendistis studium, tenet fixam spei suæ certitudinem æternæ scilicet vitæ retributionem. Quapropter præmisso paterno salutationis affectu, hortamur gloriam vestram, ut pro unitate sanctæ fidei zelum, quem vobis ipse unitatis auctor tribuit studiosius peragatis, & quosque potueritis, in sinum matris Ecclesiæ ab schismatis sui revocantes errore, adhortatione continua foveatis. Hoc etiam peragentes, ut & quos per vos Dominus suo ovili redintegrari concesserit, ita defensionis vestræ solatiis protegatis, ut non sit, quo hi, qui adhuc in errore sunt positi, revertentes ad salubre consilium valeant applicare. Dum enim vos causas Dei in terra agitis, ipse & hic actus vestros protectionis suæ feliciter ope disponit, & in æterna vobis vita, quam cupitis, pro tanto bono vestra retributio existet. Hucusque Gregorius ad militum magistrum. Ita Deus seculares viros, aut etiam milites aliquando excitavit, qui Christiano æstuantes zelo, prælia Domini præliati sunt, & tamquam murum pro Domo Israel, irruentibus hæresibus sese strenue objicientes, pro fide validissime dimicarunt, nobilesque de iis triumphos retulere. Id enituit in SS. Prospero, & Hilario viris laicis, quorum opera, scriptisque pravitas Pelagiana, ac Semipelagiana in Galliis detecta fuit, atque profligata. Id in Marcellino Militum Tribuno, qui in Africa a Donatistis, ejus rectissimo judicio causa dejectis, interfectus est, cum inde tamen ipse pro aperta veritate, & errantium animarum salute libenter obiens immensam in cœlis sibi felicitatem comparaverit, & de errore devicto trophæum super astra erexerit immortale. Hinc tot laudum præconiis extollitur ab Augustino. Alia plura suppetunt hujusmodi præclarissima exempla, quæ missa facimus.

Gregorii ep. ad Secundinum monachum.

8. Dum hæc S. Gregorius ageret, tantis podagræ doloribus angebatur, ut ad Secundinum monachum scriberet. *Scire te necesse est fili carissime, quia tantis podagræ doloribus, tantisque curarum tumultibus premor, ut quamvis numquam me aliquid fuisse reminiscar, valde tamen me videam non esse qui fuerim.* Tanta quippe ubique Secundini fama erat, præcipue inter Longobardos, & apud Theodolindam Reginam, ut Paulo teste, Adoloaldum Theodolindæ filium e sa-

e sacro fonte suscipere meruerit. Cumque pia fœmina etsi schismaticos non foveret, adhuc tamen hæreret, nec Gregorii Papæ adhortationibus aut precibus adduci potuisset ut trium capitulorum condemnationi subscriberet, eodemque luto Secundinus Abbas hæreret, ut suam tueretur sententiam, suumque excusaret errorem; libellum scripsit, quem Theodolinda ad sanctum Gregorium misit, rogavitque, ut ad singula Secundini argumenta responderet, quem laborem libentissime suscepit S. Pontifex, dummodo per podagræ dolores, quibus tunc temporis vexabatur, liceret. *Illud autem quod excellentia vestra scripsit, ut dilectissimo filio nostro Secundo Abbati, ad ea quæ scripsit subtilius respondere deberemus: quis petitionem illius, vel vestra desideria quæ multis esse profutura cognoscit, si ægritudo non obsisteret, duceret postponenda? Sed tanta nos podagræ infirmitas tenuit, ut non solum non dictare, sed etiam ad loquendum vix possemus assurgere, sicut & præsentium portitores legati vestri cognoverunt, qui nos & venientes infirmos invenerunt, & discedentes in summo vitæ periculo, atque discrimine reliquerunt. Sed si Omnipotenti Deo disponente convaluero ad cuncta quæ mihi scripsit subtiliter respondebo*, id tamen perficere, ob assiduas infirmitates S. Pontifex numquam potuit.

Gregorii ep. ad Theodolindam.

9. Ad Gregorium vero scribens Secundinus, quæstiones nonnullas proposuerat, num scilicet Orientales ecclesiæ epistolam S. Leonis Papæ susciperent, ac in condemnatione trium capitulorum perseverarent, quibus satisfaciens S. Gregorius certiorem reddidit; Orientales ecclesias una cum quatuor conciliis S. Leonis epistolam quoque admittere, ac Quintam Synodum cum damnatione trium capitulorum; De animæ quoque origine ut sibi scriberetur, petierat Secundinus, Gregorius vero de obscura difficilique quæstione, nil definiendo respondit, id docere sat habens, homines cum Originali peccato nasci: ad id vero, quod addiderat Secundinus se quamvis quinquagenario majorem, juvenilibus adhuc desideriis teneri, ac carnis tentationibus vexari, quod cum molestissime ferret, ac pene animo desponderet, mirari non debere ajebat Gregorius cum ea pateretur. *Tanto quippe ille deprecationis molimina ardentius exquirit*, inquit, *quanto te cælestis patriæ ferventius inhiare cognoscit... & nos quidem qui inter homines vivimus, sæpe per homines a callido hoste ten-*

Greg. responsio ad quæstiones a Secundino Abbate propositas.

Jesu Chr. an. 599.

tentamur. Vos autem qui viam vitæ præsentis, extra hominum frequentiam ducitis, tanto majora certamina pati necesse est, quanto ad vos ipse tentationum magister accedit. Cetera prætereo etsi utilia a Clericis, & monachis assidue legenda, ne securitatem sibi ex professione sua promittant, unde socordia nascitur; hinc majori studio ipsis vigilandum esse docet

Gregorius mittit cum aliis muneribus sacras etiam imagines.

10. Sacras etiam imagines a Gregorio Secundinus petierat, quas Pontifex mittens, quo cultu ac veneratione habendæ essent, eumdem his verbis admonet. *Imagines, quas tibi dirigendas per Dulcidum Diaconum rogasti, misimus. Unde valde nobis tua postulatio placuit: quia illum toto corde, tota intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum, ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus imaginem videre desideras. Abs re non facimus, si per visibilia invisibilia demonstramus. Sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsa amans videre conatur, si contigerit eam ad balneum, aut ad Ecclesiam ire, statim per viam incedendi se preparat, ut de visione ejus hilaris recedat. Scio quidem quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ut recordatione Filii Dei in cujus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur: & dum nobis ipsa pictura quasi scriptura in memoriam filium Dei reducit, animum nostrum, aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Ideoque direximus tibi surtarias duas, imaginem Dei Salvatoris, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli continentes per supradictum filium nostrum diaconum, & unam Crucem, clavem etiam pro benedictione a sanctissimo corpore Petri Apostolorum Principis, ut per ipsum a maligno defensus permaneas, cujus signo munitum te esse credis. Et superius eadem epistola: Aloem vero, thimia, styracem, & balsamum sanctorum martyrum corporibus offerenda, latore præsentium deferente, transmisimus.* Hactenus Gregorius de imaginum usu & cultu, quæ pars epistolæ, etsi in omnibus fere Codicibus manuscriptis desit, ut notatum est a Maurinis ad hunc locum; laudatur tamen hic de imaginibus locus a Gregorio Se-

Secundo in concilio Romano, tum ab Hadriano primo epistola ad Carolum Magnum pro Nicæna synodo secunda. Ad eumdem Secundinum duos homiliarum libros, quas in Ecclesia habuerat misit, una cum veste monachali, quibus muneribus tantum virum sibi demereri voluit, quem sciebat tantæ auctoritatis esse apud Longobardos, ut eosdem in communione catholica continere posset.

De Imaginum cultu S. Gregorii sententia.

11. Ex Gregorii porro epistola mox relata constat fideles tunc temporis ante imagines prosterni consuevisse, & per ipsas Deum precari, & adorare; quod etiam confirmatur ea epistola, anno superiori ad Januarium scripta, qua jussit, ut e synagoga Judæorum Crucem & Dei Genitricis imaginem, *cum ea qua dignum est veneratione, auferret*. Verum ne religio in superstitione declinaret, aut ne manufacta christianus coleret, admonitionem adjunxit, in quam sententiam hæc adnotat ad Serenum Massiliensem Episcopum scribens. *Indico dudum ad nos pervenisse, quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores adspiciens, easdem ecclesiæ imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari possit, habuisse laudavimus: sed frangere easdem imagines non debuisse, judicavimus. Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas, & illa servare, & ab eadem adoratu populum prohibere debuit: quatenus & litterarum nescii haberent, unde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minime peccaret*: eadem repetit S. Doctor alia ad eamdem Serenum data epistola, ubi iterum ait. *Perlatum*, inquit, *ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus Sanctorum imagines, sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisse, omnino laudavimus: fregisse vero reprehendimus. Dic, Frater, a quo factum Sacerdote aliquando auditum est quod fecisti. Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ut despectis aliis fratribus, solum te Sanctum & esse crederes sapientem: aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere*, infra docet *imagines antiquitus in ecclesia habitas*, unde ait Sereni facinus gravissimum in Ecclesia scandalum generasse, ita ut maxima filiorum pars ab ejus

se

JESU CHR. AN. 599.

se communione suspendisset. *Proinde hortamur*, addit, *ut vel nunc studeas esse sollicitus, atque ab hac te præsumptione compescas, & eorum animos, quos a tua disjunctos unitate cognoscis, paterna ad te dulcedine, omni adnisu, omnique studio revocare festines. Convocandi enim sunt dispersi ecclesiæ filii, eisque scripturæ sacræ est eis testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorari non licet; quoniam scriptum est. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Ac deinde *subjungendum quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes litteras ipsam historiam intendentes, quod actum sit discerent, quia transisse in adorationem videras: ideo commotus es, ut eas imagines frangi præciperes.* Ex quibus hactenus dictis constat primo S. Gregorium imaginum usum laudasse tamquam antiquitus in ecclesia receptum. Secundo S. Doctorem per adorationem, quam imaginibus exiberi vetat, Iconolatras damnare, qui scilicet supremum cultum Deo debitum iisdem exhibent, unde profert illud testimonium *Dominum Deum tuum adorabis &c.* quem cultum imaginibus catholici omnes, omnique tempore semper negarunt, ac si quandoque ab ipsis adorandas imagines dictum invenias, de impropria adoratione dictum est, relata, scilicet, ad prototypa adoratione. Audiatur scholæ magister S. Thomas, *Sanctorum imagines non absoluta adoratione, etiam inferiori, sed respectiva tantum possunt, & debent adorari, sed adorari non dicuntur proprie, nec dici consueverunt antiquo usu*. Ceterum Gregorii mens erga cultum sanctarum imaginum agnosci quoque potest, ex singulari veneratione, quam sacris reliquiis exibendam ubique docet, etiam linteis, & pannis, qui super Sanctorum Apostolorum, aut martyrum tumulos positi fuerant; Augustinus ejusque socii, ut supra dictum est, Crucem, & imaginem Salvatoris pro sacro vexillo detulerunt, dum Doroberniam ingressi sunt, facta discipulorum, argumenta sunt doctrinæ magistri.

Lucæ 4. vers. 8.

De imaginum usu & veneratione S. Greg. sententia.

S. Thom. 2. 2. quæst 94. art. 2. ad primum.

Greg. lib. 4. epist. 30. l. 7. 26. lib. 9. epist. 122.

12. Hanc S. Gregorii de imaginum cultu sententiam, quam ecclesia catholica semper retinuit, quamque concilium Tridentinum confirmavit, Basnagius reformatæ religionis prejudiciis præoccupatus, ut liberius catholicæ ecclesiæ doctrinam de imaginum cultu in invidiam traheret, non aliam a Massiliensibus venerationem, imaginibus exhibitam fuisse ait,

Basnagii in catholicos calumnia refellitur. *Concil. Trident. sess. 25.*

ait, quam hodie a catholicis probetur, sicque a S. Gregorio eam improbatam fuisse. quam Tridentini Patres probarunt. *Hinc distimus, vel in ecclesiæ christianæ sinu imaginum cultores extitisse. Neque fingendum animo, Massilienses illos, quos Gregorius, quos Serenus culpavit, aliam pupis suis venerationem impendisse ab illo cultu, qui hodie imaginibus defertur. Thus scilicet, & Cereos eis offerebant, oscula figebant, genua ponebant. Gregorius sane a Tridentinorum sententia diversus abiit, utpote qui censeat, ad usum dumtaxat historicum imagines comparatas esse.* Hæc tamen falsitatis, æque ac temeritatis facile arguimus; ac primo Basnagium interrogamus, unde probet Messilienses iisdem signis, quibus fideles etiamnum suam profitentur erga imagines venerationem, iisdem inquam signis usos fuisse, cum de his altum ubique silentium servetur. Sed etsi concedamus eadem fuisse signa adhibita, in veneratione imaginibus præstanda, quis ignorat, non ex actu externo, exempli gratia, genuflexione; thuris delatione, Cerei oblatione, sed ex fine, seu actu interno metiendam esse venerationem, quam his signis præstamus? Eadem sint signa a Massiliensibus adhibita, sed dum imagines tamquam Deum adorabant, reprehensione digni erant, eadem adhibeant Catholici, non imagines, ut Deos adorantes, sed in signum venerationis, omni culpa carent, hinc genuflectimus Deo, quandoque genuflectimus hominibus, S. Pontifici, Episcopis, quandoque Sacerdotibus, rectene argumentari potest, ex iisdem signis, eumdem reddi cultum Deo, & hominibus, ne ipse quidem tam stupidus erit, ut hæc admittat. Ceterum in imaginum cultu superstitiosiores fuisse Massilienses, cultumque Deo debitum iisdem tribuisse, clare indicant Gregorii verba, dum adorandas imagines negat, rationem reddens, quia scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Prohibet ergo Gregorius imaginibus cultum præstari, quem Deo præstamus, de veneratione debita imaginibus ibidem nihil habet, sed in epistola ad Januarium, aliisque locis supra relatis, suam satis clare mentem aperit, dum ait: *cum ea qua dignum est veneratione auferret.* Crucem scilicet, & imaginem Salvatoris e synagoga. Fallitur ergo, aut nos fallit Basnagius, dum ait nullam ex Gregorio venerationem imaginibus habendam esse, ac mendacium mendacio cumulat, dum scribit

JESU CHR. AN. 599.

Tridentinos Patres diversam a S. Gregorio sententiam docuisse. Quid Tridentini Patres decreverint circa imaginum cultum, ex eorumdem verbis patebit, dum sessione 25. hæc habent. *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas; eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda: veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.* Deinde: *Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis: tum vero ex sacris omnibus imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ a Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur; ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam, moresque suos componant; excitenturque ad adorandum, & diligendum Deum, ac ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit. In has autem sanctas, & salutares observationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri, sancta Synodus vehementer cupit: ita ut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur. Quod si aliquando historias, & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, doceatur. &c.* Integrum ferre capitulum transcripsimus, ex quo luce clarius patet, non aliam fuisse S. Gregorii, ac Patrum Tridentinorum mentem, ita ut cæcutire necesse sit eos, qui aliam Gregorii, & Tridentinæ synodi mentem fuisse scribunt, ac proinde commiseratione magis, quam confutatione digni.

Quid Tridentini Patres doceant circa cultum imaginum.

13. Cum

JESU CHR. AN. 599. S. Gregorii humilitas in sedandis querelis circa ritus, & voces exortis.

13. Cum nonnullos adversus seipsum obmurmurasse a Joanne Siracusano Episcopo audisset Gregorius, quasi in Missarum celebratione, ritus aliquot ex CPolitana ecclesia in Romanam transtulisset, tamquam is, qui Apostoli exemplo sapientibus, & insipientibus debitor erat, ut omnibus fidei suæ rationem redderet, hanc pro se ipso Apologiam vulgavit. *Veniens quidam de Sicilia mihi dixit, quod aliqui amici ejus vel Græci, vel Latini, nescio, quasi sub zelo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ de meis dispositionibus murmurarent, dicentes: quomodo ecclesiam Constantinopolitanam disponit comprimere, qui ejus consuetudines per omnia sequitur? Cui cum dicerem: Quas consuetudines sequimur? respondit: quia Alleluja dici ad Missas extra Pentecostes tempora fecistis: Quia subdiaconos spoliatos procedere: Quia Kyrie eleison dici: Quia orationem Dominicam mox post canonem dici statuistis. Cui ego respondi; Quia in nullo eorum aliam Ecclesiam secuti sumus. Nam ut alleluja hic diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex Beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum. Et ideo magis in hac sede illam consuetudinem amputavimus, quæ hic a Græcis fuerat tradita.* Cum enim contingeret sæpe Græcos homines Ecclesiam Romanam habere Pontifices, ab eisdem aliqua ex Græcorum ritibus illata in eam fuisse creduntur. Sed pergit: *Subdiaconos autem, ut spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit. Sed quia placuit cuidam nostro Pontifici; nescio cui, qui eos vestitos procedere præcepit: nam vestræ Ecclesiæ numquid traditionem a Græcis acceperunt? Unde habent ergo hodie, ut Subdiaconi lineis in tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt? Kyrie eleison autem nos neque diximus, neque dicimus sicut a Græcis dicitur. Quia in Græcis simul omnes dicunt: apud nos autem a Clericis dicitur, & a Populo respondetur, & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem missis, alia quæ dici solent, tacemus: tantummodo Kyrie eleison, & Christe eleison dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur. Orationem vero Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam scho-*

JESU CHR. AN. 599.

scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus, & sanguinem non diceremus. Sed & Dominica oratio, apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo Sacerdote. In quo ergo consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparavimus, aut novas & utiles constituimus, in quibus tamen alios non probamur imitari? Ergo vestra charitas cum occasio dederit, ut ad Catanensem civitatem pergat, vel in Syracusana Ecclesia, eos quos credit, aut intelligit quia de hac re murmurare potuerunt, facta collatione doceat, & quasi alia ex occasione eos instruere non desistat. Nam de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam? quod & piissimus Domnus Imperator, & frater noster ejusdem Civitatis Episcopus assidue profitentur. Tamen si quid boni, vel ipsa, vel altera Ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultum est enim, qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit, discere contemnat.

De cantu Alleluja.

August. epist. 55. nova edit.

14. Hactenus de his Gregorius, hacque occasione adnotare juvabit, non unam fuisse de cantu Alleluja ecclesiarum consuetudinem, unde Augustinus. *Ut autem Alleluja per illos solos dies quinquaginta in ecclesia cantetur, usquequaque non observatur; Nam & in aliis diebus variis cantatur alibi, atque alibi. Ipsis tamen diebus ubique*, ac plura de cantu, & usu Alleluja adnotat eruditissimus Bona de divina psalmodia cap. 16. paragrafo 17.. Quoad Dominicam orationem ex liturgiis omnibus constat, eam in universa ecclesia, etiam ante Gregorii tempora recitatam fuisse, ut testes sunt Cyrillus Hierosolymitanus, Hieronymus, & Augustinus qui sermone 227. *Post sanctificationem*, inquit, *Sacrificii dicimus orationem Dominicam*. De Gallicanis ecclesiis constat ex Gregorio Turonensi. Igitur nihil aliud circa orationem Dominicam statutum fuit, nisi ut quæ jam recitabatur, statim post consecrationem caneretur, ut ejusdem indicant verba: *Orationem vero Dominicam, idcirco mox post canonem dicimus, &c.* ut ad rem adnotat Hugo Medardus, dum vero ait S. Pontifex *ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam Apostolos consecrasse*, evangelica verba *Hoc est &c.* non excluduntur, (sed aliæ orationes) a temporibus tamen fere Apo-

Cyrillus Hierosol. cath. mystagogica 5. Hieronymus lib. 3. adversus Pelagium. August. hom. 42. inter 50. Greg. Turon. lib. 2. de mirac. S. Martini cap. 30., & de vitis Patrum cap. 16.

Apostolicis constat, longas preces in liturgiæ celebratione fuisse recitatas, ut testatur Justinus Martyr, his verbis. *Eucharistiam .... prolixe exequitur, atque ubi ille preces, & gratiarum actiones absolvit, populus qui adest omnis fausta approbatione clamat dicens amen .... Præsidem vero (Episcopus) postquam gratiarum actionem perfecit (Eucharistiam) .... qui apud nos vocantur Diaconi, atque ministri distribuunt*. Orationem Dominicam ad consecrandum Christi Corpus, & Sanguinem sufficere, ex his Gregorii verbis docuerat Amalarius, de ecclesiasticis officiis lib. 4. cap. 26., quod in retractatione operis ab illo emendatum fuisse observat Mabillonius.. De Canonis auctore lege Cardinalem Bona de rebus liturgicis lib. 2. cap. 11.

Hugo Medard. in notis 83. & 84. ad Sacrament. S. Gregorii. *Justinus Martyr. Apolog. 2. in fine.*

Mabill. comment. in ord. Rom. c. 12.

15. Sciens autem Pontifex in Gallis vitia quamplurima grassari, simoniam scilicet, præposteras ordinationes, ac clericorum cum mulieribus contubernia, Galliarum Episcopos suis litteris excitavit, ut iis malis mederentur, litterasque suas ea occasione scriptas, ad Brunichildem Francorum Reginam, ac ad Theodebertum, & Theodoricum Regem Cyriaco Abbati deferendas dedit, quem etiam in Hispaniam transire jussit, quem Claudio viro illustri commendavit, cujus viri pietatem erga Deum, & fidelitatem in Regem, his verbis celebrat. *Quia unguenti more bonorum fragrat opinio, vestræ gloriæ de Occidentalibus partibus, huc usque odor tetendit. Cujus profecto aure suavitate respersus, multum, fateor, quem nesciebam dilexi, atque intra sinum cordis amoris manu te rapui: nec jam eum nesciens diligebam, cujus bona cognoveram. Qui enim mihi magna intentione notus, sed corporis visione manet incognitus, de eo procul dubio veraciter dicere possum, quia personam illius scio, sed domum nescio. Magnæ autem vestræ laudis datur assertio, quod excellenti Gothorum Regi vestra gloria sedulo adhærere perhibetur: quia dum malis boni semper displiceant, bonos vos esse certum est, qui bono placuistis. Propterea debitum salutationis alloquium solvens, opto vos in his quæ cœpistis, exerceri: ut in vobis compleatur veridica Salomonis illa sententia, quæ ait, Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem*; post aliqua. *Præterea dilectissimum filium nostrum Cyriacum monasterii nostri patrem, vestræ gloriæ commendamus, ut peractis, quæ ei injun-*

S. Gregorius Gallicanis Episcopis scribit de synodis frequentandis.

Claudius vir insignis.

Prov. 4.

JESU CHR. AN. 599.

juncta sunt, nulla illum remeandi mora præpediat. Omnipotens Deus cœlestis vos brachii protectione tueatur, & nunc gloriosos inter homines, & post longa annorum curricula inter Angelos esse concedat. Hactenus de Claudi laudibus Gregorius. Porro ob eumdem finem in Hispanias, missum Cyriacum satis constat, ut scilicet Episcopos ad celebrandas synodos provocaret, quibus grassantia in clero, & populo vitia emendarentur.

Concilium Barcinonense.

16. In Hispania hoc anno Barcinonense concilium celebratum est, in ecclesia S. Crucis Kal. Novembris, anno decimoquarto piissimi Domini Reccaredi Regis; eique Asiaticus Tarraconensis Episcopus præfuit, deinde Ugnus Barcinonensis, cum aliis decem Episcopis, cujus concilii quatuor extant canones, quorum duo primi simoniam damnant. Secundo, pro Chrismate nil accipiatur. Tertio, nulli laicorum ad ecclesiasticos ordines ascendere liceat, nisi servato tempore a canonibus statuto; qui aliter gesserit, deponatur, etiamsi in præposteræ ordinationis excusationem proferantur, vel Regis epistolæ, vel plebis desiderium, vel Episcopi consensus. Quarto, cautum est. *Ut si qua virgo propria voluntate, abiecta laicali veste, devotorum more induta, castitatem servare promiserit, vel si qui hominum utriusque sexus, pœnitentiæ benedictionem expetendo a Sacerdote perceperint, & ad terrena connubia sponte transierint, aut violenter abstractæ feminæ a violatore pudicitiæ se sequestrare noluerint: utrique ab ecclesiarum liminibus expulsi, ita ab omnium catholicorum communione sint separati, ut nulla prorsus eis, vel colloquii consolatio sit relicta*. Cum tantum crimen impunitum reliquissent Galliæ Episcopi; eorum oscitantiam excitavit S. Gregorius, ac datis ad Vigilium Arelatensem, & ad Syagrium Augustodunensem Episcopos litteris, ne eam in ecclesiis labem tolerarent, his verbis admonuit. *Commissi officii qualitas, me fratres charissimi, in in vocem cogit doloris erumpere*. Deinde: *Pervenit autem ad nos, Syagriam quamdam, vitam religiosam, mutatis etiam vestibus assecutam, posteaque marito violenter esse (quod dici iniquum est) sociatam, & nullo vos in ejus defensione dolore permotos. Quod si ita est, vehementius ingemisco, ne apud Omnipotentem Dominum (quod absit) mercenarii officium, & non pastoris meritum habeatis, quippe qui in ore lupi*

In Syagriam admissum facinus.

lupi ovem laniandam sine certamine reliquistis. Quid enim dicturi, quamve rationem futuro estis Judici reddituri, quos stupri scortatio non commovit? quos ad defendendum favor, nequaquam religiosi habitus excitavit? Quos ad tutandam pudicitiæ integritatem sacerdotalis consideratio non erexit? Vel nunc ergo neglectus ad memoriam redeat, hujus recordatio culpæ sollicitet &c.

Reccaredus munera mittit ad S. Petrum.

17. Gregorii sollicitudinem pro ecclesiastica disciplina tuenda, moribusque in Hispania reformandis adjuvabat Regis Reccaredi pietas, qui hoc anno ad Gregorium viros religiosos, cum muneribus misit, cui respondens S. Pontifex, ejusdem pietatem his verbis laudavit. *Beatus vero Petrus Apostolorum Princeps, quam libenter munera excellentiæ vestræ susceperit, ipsa cunctis liquido vita vestra testatur. Scriptum quippe est: Vota justorum placabilia.* (Prov. 15.) *Neque enim in Omnipotentis Dei judicio, quid datur, sed a quo datur, aspicitur: Hinc est enim quod scriptum est: Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain autem, & ad munera ejus non respexit.* (Genes. 4.) *Dicturus quippe, quia Dominus respexit ad munera, præmisit sollicite, quia respexit ad Abel. Ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens a muneribus, sed munera ab offerente placuerunt? Vestra itaque oblatio quam sit grata, ostenditis, qui daturi aurum, prius ex conversione gentis subditæ animarum munera dedistis. Quod vero transmissos Abbates, qui oblationem vestram beato Petro Apostolo deferebant, vi maris dicitis fatigatos ex ipso itinere ad Hispanias remeasse: non munera vestra repulsa sunt, quæ postmodum pervenerunt, sed eorum qui transmissi fuerant, constantia est probata, an scirent sancto desiderio obiecta pericula vincere, & in fatigatione corporis mente minime lassari. Adversitas enim quæ bonis votis objicitur, probatio virtutis est, non judicium reprobationis. &c.* Ut vero par pari referret, ad eumdem munera Gregorius misit, reliquias scilicet Sanctorum, de quibus, post præclaras laudes eidem datas ob conversionem gentis Gothorum, ejus opera & exemplo obtentam, post saluberrima monita, addit. *Clavim parvulam a Sacratissimo B. Petri Apostoli, corpore vobis pro ejus benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis ejus inclusum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat. Crucem quoque dedi latori*

Gregorius Reccaredo munera mittit.

Jesu Chr. an. 599.

tori præsentium vobis offerendam, in qua Lignum Dominicæ Crucis inest, & capilli beati Joannis Baptistæ: ex qua semper solatium nostri Salvatoris per intercessionem Præcursoris ejus habeatis. In fine epistolæ: *Præterea transmisimus clavim aliam a Sacratissimo Beati Petri Apostoli corpore, quæ cum digno honore reposita quæque apud vos invenerit, benedicendo multiplicet.* Hæc Gregorius ad Reccaredum Hispaniarum Regem.

Basnagii objectionibus respondetur.

18. At inquit ad hunc locum Basnagius Calvinista. *Dura sunt auribus verba Gregorii a ferro Petrinarum catenarum Reccaredi collum ab omnibus peccatis solvi*, sed dura sunt duris corde, & obcœcatis, qui Judæorum exemplo, dum Jesus Christus Redemptor noster dixerat. *Hic est panis, qui de Cælo descendit, & qui manducat hunc panem vivet in æternum. Multi audientes dixerunt durus est hic sermo, & quis potest eum capere*, sicque Basnagio dura erunt alia Evangelii verba *date eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis*, quibus (si ad verba tantum attendas) peccatorum remissio eleemosinam dantibus promittitur, nulla facta mentione de cordis conversione, & contritione, de novæ vitæ inchoatione, aliisque, quæ peccatorum remissionem præcedere, & comitari debent. At hæc subintelliguntur, ita ut sicuti per eleemosinam cordis contritio, atque conversio obtinetur, ita per delationem, & venerationem catenarum Apostoli Petri, a Deo impetrare possumus, veram cordis contritionem, morumque emendationem, quibus peccatorum remissio sequatur, addito sacramento, vel in re, vel voto, sed hæc sufficiant ad tollendum Basnagio scrupulum, seu potius litigandi pruriginem. Litteras quoque ad S. Leandrum dedit, a quo prius acceperat, misitque una cum litteris, pallium, eumque podagra laborantem sublevare conatus est, ac se quoque occupationibus, & doloribus afflictum fuisse, in fine epistolæ his verbis narrat. *Ego autem quanta occupatione deprimor, & debilitate, brevis attestatur epistola, in qua ei quem multum diligo, parum loquor.*

Joann. 6.61.

S. Gregorius finem Mundi adesse suspicatus est.

19. Epistola autem altera ad Venantium, uxoremque ejus Italicam, ex ingruentibus undique calamitatibus, quibus totus orbis obruebatur, finem Mundi instare suspicabatur. Quanta autem ipse pateretur, his verbis exponit. *Peccatis meis*, inquit, *facientibus, ecce jam undecim menses sunt, quod*

quod valde rarum est, si de lecto surgere aliquando potuero: tantis enim podagræ, tantisque molestiarum doloribus premor, ut vita mea mihi gravissima pœna sit. Quotidie enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando suspiro. In clero vero hujus Urbis, & populo tanti febrium languores irruerunt, ut pene nullus liber, nullus servus remanserit, qui esse idoneus ad aliquod officium, vel ministerium possit. De vicinis autem urbibus strages quotidie mortalitatis nobis nunciantur. Africa autem qualiter mortalitate, & languoribus vastetur, quanto viciniores estis, tanto credo quod subtilius cognovistis. De Oriente vero qui veniunt, graviores desolationes nunciant &c. In epistola autem ad Eulogium Alexandrinum Episcopum data per biennium, se podagræ doloribus ita vexari ait; ut vix lectulo surgere posset. *Ecce jam biennium pene expletur, qua lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus festis, usque ad horarum trium spatium surgere valeam, Missarumque solemnia celebrare. Mox autem cum gravi compellor dolore decumbere, ut cruciatum meum possim interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus est, interdum nimius: Sed neque ita lentus, ut recedat, neque ita nimius, ut interficiat. Unde fit, ut qui quotidie in morte sum, quotidie repellar a morte: nec mirum, quia peccator gravis, talis corruptionis carcere diu teneor inclusus. Unde compellor exclamare: Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.* In his angustiis positus, quo magis corpore erat infirmus, tunc spiritu potentior erat, ut quæ Pastoralis officii erant nihil ommitteret, ut fidem faciunt ab eo scriptæ epistolæ, hoc & sequentibus annis, de scriptis hoc anno jam fortasse brevitatis limites excessimus, etsi multa omisimus.

Psalm. 141.

20. Quia vero audierat pestem in Africa grassari, Dominico Carthaginensi Episcopo scribens, quo animo suscipiendum sit pestilentiæ flagellum, quis fructus ex ea colligendus, qua ratione consolandi sint, qui in ea periclitantur, his verbis edocet. *Quanta in Africanis partibus lues irruerit, jampridem cognovimus: & quia nec Italia de hac cladis percussione est libera, geminati in nobis sunt dolorum gemitus.* Subdit deinde (ut in homiliis, & litteris inculcare consueverat) mundi finem imminere, tot enim plagis, tamque assiduis Mundum urgeri videns, ipsius instare finem

Pestis Africam depopulatur.

JESU CHR. AN. 599.

sibi persuadebat; hinc Carthaginensem Episcopum admonet, ut pro grege suo tamquam bonus pastor vitam poneret. *Vestra*, inquit, *eos lingua sicut & credimus magis, ac magis a pravi operis perpetratione coerceat, bonorum proemia, malorum pœnas edisserat: ut qui bona minus diligunt, saltem mala pertimescant, & ab his se, quæ sunt plectenda contineant. Nam inter flagella positos flagellis digna committere, contra ferientem est specialiter superbire, & sævientis acrius iracundiam irritare. Atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam a malis suis juste quiescere, & Deum injuste a sua velle ultione cessare: Sed quoniam in his divino adjutorio opus est, injunctis, dilecte Frater, precibus, Omnipotentis Dei clementiam exoremus, ut & nos digne ista tribuat exhibere, & populorum ad hæc operanda misericorditer corda compungat.*

S. Gregorii epistolæ in gratiam Ursicini Taurinensis Episc.

21. Ad S. Pontificem confugerat Ursicinus Taurinensis Episcopus, ejusque patrocinium imploraverat, ut parochias suæ jurisdictioni subtractas recuperaret, nec officiis defuit S. Gregorius, sed irrito conatu. Querebatur merito Ursicinus Taurinensis Episcopus, eo quod creato Mauriennæ novo Episcopatu, ex suis Parochiis, inter quas & ipsa Maurienna erat, teste Gregorio Turonensi; insuper, alias Segusiensis Provinciæ parochias, Maurianensi fuisse addictas. Scripsit pro Ursicini causa S. Gregorius ad Syagrium Augustodunensem Episcopum, & ad Francorum Reges Theodoricum, & Theodebertum, ut restituerentur Taurinensi Episcopo ablatæ Parochiæ, sed nihil omnino profuit. Gumtramnus enim Burgundiæ Rex, cum eas provincias occupasset, noluit amplius Taurinensi subesse Episcopo, quia hæc urbs erat in Longobardorum ditione; itaque tunc temporis proprium habere cœpit Episcopum urbs Maurienna, ac Tarantasiensi Metropolitano, deinde Viennensi subdita fuit.

Greg. Tur. de gloria Martyrum lib. 1. cap. 14.

JESU CHRISTI AN. 600. GREGORII PAPÆ 11.
MAURITII IMP. 19. AGILULPHI LONGOB. REGIS 11.

Chaganus Dalmatiam populatur.

1. Sexcentesimo Christi anno, Chaganus Avarorum Dux, rupto repente fœdere, quod cum Romanis inierat Dalmatiam aggressus plures in ea urbes occupavit, ac totam fere excursionibus suis, incendio, cœdibus vastavit; paulopost tamen

tamen a Prisco, & Guidone Romanorum Ducibus ex improviso adortus, ad sua redire compulsus est, ad arma tamen non multo post rediit, ejusque belli exitum Mauritio Imp. infaustum fuisse sequentibus annis videbimus. Eodemque tempore Sclavos Illyricum ingressos ad Italiæ, usque fines penetrasse, narrat S. Gregorius ad Maximum Salonitanum Episcopum scribens. *Ad Romanam veniens urbem communis filius Presbyter Veteranus, ita me podagræ doloribus debilem reperit, ut fraternitatis tuæ epistolis per me respondere nullatenus valuissem. Et quidem de Sclavorum gente, quæ vobis valde imminet, & affligor vehementer, & conturbor; affligor in his, quæ jam in vobis patior, conturbor, quia per Istriæ aditum, jam Italiam intrare cœperunt.*

Eulogius Agnoetarum errores confutat ad S. Greg sua scripta examinanda mittit.

2. Interea inter tot vepres, tribulosque, quibus Orientalis ecclesiæ ager repletus erat, nova Agnoetarum hæresis exorta est. Docebant Agnoetæ Christum secundum humanam naturam multa ignorasse, ac præsertim diem judicii, eo Evangelii loco abutentes. *De die illa nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater.* Nascentem hæresim scriptis suis confutaverat S. Eulogius Alex. Episcopus, ac scripta sua Gregorio Pontifici examinanda, ac probanda miserat, Pauli exemplum secutus, qui Hierosolymam transierat, ut cum Petro Evangelium suum conferret. Gregorius vero Eulogii litteris, & scriptis acceptis, ejusdem zelum, & doctrinam laudavit, his verbis. *In multis enim eamdem vestram epistolam ita reperi, ac si contra prædictam hæresim scripta Latinornm Patrum legerem, & quantum potui de sanctissimo fratre meo amare, & laudare bonum perpendite, in cujus ore venerando, Patres, quos multum diligo recognovi. Sit ergo illi laus, sit in ecclesiis gloria, cujus dono adhuc in sede Petri clamat vox Marci, de cujus effusione spiritus cum Sacerdos ad perscrutanda, scilicet ad sancta sanctorum intrat, in sancta ecclesia velut in tabernaculo ex verbis prædicationis spiritalia tintinnabula resonant. Recta itaque, & valde laudabilis est vestra prædicatio. Sed Omnipotentem Dominum deprecamur, ut diu vos etiam in hac vita custodiat; ut de Dei organo, quod estis, in hoc Mundo latius vox veritatis sonet. Pro me autem, peto intercedite, ut hujus peregrinationis via, quæ mihi asperior facta est, cum celeritate finiatur: quatenus qui ex meis non valeo; ex vestris meri-*

Matt. 24. 36.

Jesu Chr. an. 600.

meritis possim ad æternæ patriæ promissa pertingere, & cum Cœli civibus gaudere. Inutilem servum præ humilitate se existimans, breviorem sibi vitam optat, dum aliis longiorem desiderat. Epistola altera ad eumdem data; idem retractans argumentum, fusiori stilo eamdem hæresim S. Pontifex confutat, ac Agnoetarum argumentis respondet. At Romæ vix interpretem reperiri posse, qui ex Græco in latinum scripta converteret, testatur. *Dum enim non sunt, qui sensum de sensu exprimant, sed transferre semper verborum proprietatem volunt, omnem dictorum sensum confundunt: Unde agitur, ut ea quæ translata fuerint, nisi cum gravi labore intelligere nullo modo valeamus*. Plurimos alios libros contra alias hæreses scripserat Eulogius; scilicet contra Novatianos libros sex, librum alterum pro epistola S. Leonis tuenda contra Timotheum, & Severum, aliosque Eutychianos, de quibus apud Phot. bibl. Cod. 182. 208. 225. 226. 226.

De obitu Constantii Mediol. Episcopi.

3. Ex morte Constantii Mediolanensis Episcopi Gregorii doloribus luctus accessit. Optimi quippe Pastoris vices semper impleverat, ut ad Clerum, & populum Mediolanensem scribens, his verbis testatur. *Quantus nos de obitu Fratris, & Coepiscopi nostri Constantii mæror afficiat, paginali explere locutione non possumus, sed quam multa bona partes illæ in uno homine perdiderunt, utinam vicinæ repentina calamitate non sentiant. Nam quemadmodum sollicitus in ecclesiasticæ regula disciplinæ, vel quam fuerit vigilans, in tuitione civitatis vestræ, non habemus incognitum*. De successore quippe eligendo sollicitus præcipue erat Gregorius, timebat enim ne Agilulphus Rex Longobardorum (cui Mediolanensium civitas suberat) aut suæ sectæ Arianum, vel indignum ordinandum curaret: at non eo animo erat Agilulphus etsi Arianus, ut ecclesiam religionis causa vexare vellet, ac plenam in successore eligendo, libertatem Clero, populoque Mediolanensi reliquit, Gregorius interea Clero, populoque scribens, ut dignum sibi pastorem eligerent, his verbis hortatus est. *Illud autem, quod vobis ab Agilulpho indicastis scriptum, dilectionem vestram non moveat. Nam nos hominem, qui non a catholicis, & maxime a Longobardis eligitur nulla præbemus ratione consensum. Nec si alicujus præsumptionis usurpatione factus fuerit, in locum vel ordinem illum sacerdotis suscipimus: quia vicarius S. Ambrosii*

brosii indignus evidenter ostenditur, si electus a talibus ordinatur. Nec enim est, quod vos hac ex causa deterreat, vel aliquam vobis necessitatem incutiat, quia unde possunt alimenta S. Ambrosio servientibus Clericis ministrari, nihil in hostium locis, sed in Sicilia, & in aliis Reipublicæ partibus, Deo protegente consistit. Juxta Gregorii votum communi Cleri, populique Mediolanensis suffragio, Deusdedit ejusdem ecclesiæ Diaconus in Constantii locum electus est; quæ ubi Gregorio perlata sunt, Pantaleoni Notario scripsit. *Ut facta de ejus moribus diligenti inquisitione, num nihil esset, quod ei ex anteacta vita per sacros posset canones obviare*, mandavit inquam, ut Episcopum solemniter ordinandum curaret. Ex his porro de ordinatione Deusdedit in Episcopum Mediolanensem adnotatis, manifesti mendacii, ac impudentiæ arguitur Gothefridus, dum asserere non erubuit Mediolanensis, & Romanæ ecclesiæ æqualem eo tempore fuisse dignitatem, cum luce clarius pateat, cum ceteris totius orbis Mediolanensem quoque ecclesiam Romano Pontifici subiectam fuisse. Ad fabulas quoque relegandum est, singulare privilegium Mediolanensibus Episcopis a Sancto Gregorio concessum, quo, deficiente Longobardorum stirpe, Mediolanensis Episcopus, cum suæ provinciæ Episcopis Regem sibi eligere possent, potestatem dabat.

Gothefridus hæterodoxi mendacium exsufflatur de æqualitate Mediol. ecclesiæ cum Romana.

4. Hoc etiam anno, etsi continuis atrocibusque podagræ doloribus vexaretur Gregorius, nil tamen de pastorali sollicitudine remisit; quin tamquam in specula constitutus, si quid in Episcoporum gestis, vel moribus emendatione dignum sciebat, verbo & scriptis epistolis emendare non destitit. Cumque relatione accepisset Lucullum Melitensis olim ecclesiæ Episcopum, ob crimina suo gradu dejectum, bona nihilominus ecclesiæ adhuc retinere, Romano Siciliæ defensori scripsit, ut eum cogeret bona ecclesiæ restituere. *Nihil proficit Sacerdotum culpas ulcisci, & commissa dejectione crimina vindicare, si eis qui convincente facinore deponuntur, amisso honoris solatium, & casus sui cœperit esse compendium. Questus itaque nobis est frater, & Coepiscopus noster Trajanus Lucillum, quomdam Insulæ Melitensis Episcopum, flagitiis suis iniquitate perterritum, non solum res Ecclesiæ, cujus non rector, sed inimicus potius extitit, abstulisse; verum etiam plurima cum ejusdem Ecclesiæ competentia, de præ-*

Plura in Episcopis reprehendit Gregorius.

Jesu Chr. an. 600.

præteritis retinere. Quippe qui in fabricam, vel sarta tecta ipsius, nihil pertulit expendere, sed mente sacrilega suis totum studuit compendiis applicare. Et quia grave nimis, ac contra Deum est, ut sua illi dejectio non sit pœna, sed commodum, experientia tua eum districte commoneat, ut quidquid abstulit, vel apud se de præteritis retinet, sine mora restituat. Qui si indicta sibi nequitia negare fortasse voluerit, quia facile dicitur posse convinci, una cum Reverendissimo fratre, & Coepiscopo nostro Joanne Syracusano residens, subtili inquisitione hujus rei veritatem rimare; quatenus probatione habita, quidquid eum tulisse, vel suppressisse claruerit, palam verecundia confusus restituat, quod inverecunde clam abstulit. Petrum autem prædicti Lucilli filium, similiter tui studii sit admonere, ut quia & ipse supradictæ Ecclesiæ tulisse plurima perhibetur, honesta ea consideratione restituat: alioquin vestro, & ipse est judicio præsentandus, ut præcedente subtili inquisitione, utrorumque causa valeat uno fine concludi. Marinianum vero Ravennæ Episcopum gravibus verbis admonuit, ut Monialem e claustris suis eductam, intra claustra revocaret. Basilium etiam Episcopum, forenses causas actitantem, & apud Præfectos diu immorantem, inde pelli, ac ultra quatuor dies in Sicilia morari non permittat, Romano Defensori mandavit. *Perlatum est ad nos Reverendissimum fratrem nostrum Basilium Episcopum velut unum de laicis in causis secularibus occupari, & Prætoriis inutiliter deservire. Quæ res quoniam, & ipsum vilem reddit, & reverentiam Sacerdotalem annichilat: statim ut experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad revertendum districta executione compellat: quatenus ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat: ne si quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiseris, cum ipso apud nos graviter incipias esse culpabilis.* Sicque Gregorius abusum improbavit, ut Episcopi pastorali cura prætermissa, e suis Diœcesibus absentes, in Principum aula longas traherent moras, ita ut non semel Aulici Episcopi magis, quam Apostolorum successores dici meruerint, gravissimi criminis rei, utpote officii sui desertores, & residentiæ, cui jure divino devincti sunt, violatores, ut viri clarissimi non semel demonstrarunt. Leonem quoque Catanensem Episcopum increpavit, eo quod pateretur monachos cum mulie-

S. Greg. Episcopos redarguit Curiam, vel Palatium frequentantes.

lieribus conversari, quem hujusmodi urget dilemmate. *Aut enim*, inquit, *hæc fieri nescisti, & culpa neglectus vehementer argueris: aut certe factum recognovisti, & graviorem erga te videris indignationem exigere, cur tantum facinus ultione districtissima non punisti.*

JESU CHR. AN. 600.

5. Quia vero, ex Prælatorum negligentia, crebra exoriebantur scandala, præcipue ex immatura monachatus professione, absque diligenti examine, ne inposterum hæc fierent S. Gregorius, & ut biennio probarentur, ii, qui monachalem tonsuram petebant, jussit; Milites vero absque Episcopi consensu in monasteriis admitti prohibuit. Januarium vero Calaritanum Episcopum admonuit, ne violentiam pati fineret, eos qui ad ecclesiam confugiebant, neque infirmiores a potentioribus opprimi. Innocentio Africæ Præfecto scribens, cum eodem de Præfectura gratulatur, quam illi æternæ mercedis occasionem esse peroptat; ac de induciis cum Longobardorum Rege initis certiorem reddidit. Quia vero petierat ipsius Gregorii libros ideſt expositiones in Job, eas mittens, quam humiliter de se ipso, rebusque suis sentiret, his verbis indicat. *Quod vero in expositionem S. Job transmitti vobis codicem voluistis, de vestro omnino studio gaudemus, quoniam illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foras vos exire permittat, & ad cor iterum secularibus curis dispersos recolligat. Sed si dulcioso cupitis pabulo saginari, Beati Augustini Patriothæ vestri opuscula legite, & ad comparationis siliginis illius, nostrum furfurem non quæratis.* Hæc ipse: *Sane quidem* (inquit Baronius) *e religiosorum manibus neuter horum liber excidere, aliquando deberet, cum ex illis veluti quibusdam funibus retrahatur homo ab exterioribus distractionibus ad sui considerationem, efficiaturque sui habitator, licet ad diversa peregrinari cogatur.*

Gregorii cura in monachi disciplina servanda.

Joann. Diac. lib. 4. c. 73.

6. Mortuo hoc anno Fortunato Episcopo Neapolitano, cum de successore eligendo ageretur, factum est, ut alii Joannem Diaconum eligerent, alii vero Petrum; at Gregorius utrumque ea sede indignum judicans, ut alterum eligerent, Clero, nobilibus viris, ac civibus Neapolitanis scribens jussit; nam ajebat, *Joannem, qui ab altera parte electus est, parvulam habere filiam ex quorumdam relatione cognovimus. Unde si rationem voluissent attendere, nec alii eum eli-*

De ordinatione Paschasii Episcopi Neapol.

JESU CHR. AN. 600.

eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam qua præsumptione ad Episcopatum audet accedere, qui adhuc longam sui corporis continentiam, filiola teste, convincitur non habere? Petrus autem item Diaconus, quem a vobis electum asseritis, omnino quantum dicitur, simplex est. Et nostis quia talis hoc tempore in regiminis debeat arce constitui, qui non solum de salute animarum, verum etiam de extrinseca subjectorum utilitate, & cautela, sciat esse sollicitus; Nam de eo insuper ad nos pervenisse cognoscite, quod solidos dederit ad usuras, quod vos oportet cum omni subtilitate requirere, etsi ita constiterit, alium eligite, & ab hujusmodi vos personа sine mora suspendite. His duobus rejectis, Paschasius ad Episcopatum electus fuit, per quem voluit clericis, & pauperibus pecunias erogari, quas decessor illius detinuerat, distributionem hoc modo fieri præcipiens. *Volumus, ut secundum distributionem præsentibus scriptis insertam, coram Anthemio Subdiacono nostro, sine difficultate aliqua, Fraternitas vestra debeat erogare. Præbendi itaque sunt Clericis vestris per singulos, sicut prospexeritis, simul omni summa solidi centum: Præjacentibus, quos centum viginti sex esse cognovimus, dandi sunt solidi sexaginta tres, idest medium solidi per singulos: Presbyteris, ac Diaconis, & Clericis peregrinis solidi quinquaginta; hominibus honestis, ac egenis, quos publice petere verecundia non permittit, solidi centum quinquaginta; itaut quidam eorum ad singulos tremisses, quidam ad singulos solidos, vel si visum fuerit amplius dimittantur. Reliquis vero pauperibus, qui eleemosinam publice petere consueverunt, solidos triginta sex. Ecce nos quantum vel dari debeat, distribuimus. Sed quia, sicut prævidimus, non omnibus æqualiter est præbendum, necesse est, ut una cum prædicto Subdiacono, prout prævideritis, dare singulis debeatis, atque id modis omnibus studeatis: quatenus hoc, quod alter injuste detinuit, vos devote ac celerius impendendo, ad vestram possitis applicare mercedem.* Hæc Gregorius exemplo, & auctoritate sua docens, in quos usus ecclesiæ redditus impendi debeant.

De bonorum ecclesiæ distributione

De synodo Senonensi qua Colombani sententia de Paschate rejicitur.

7. Epistolis suis tum ad Francorum Reges, & Reginam Brunichildem, cum ad Virgilium Arelatensem Episcopum, aliosque Galliarum Antistites datis, eos S. Gregorius, ut synodorum celebratione cleri, populique vita corrigerent, excita-

citavit, cui ut morem gererent Gallicani Episcopi, Senonensem synodum hoc anno celebrarunt, cujus vix memoria in epistola Colombani Abbatis ad S. Gregorium scripta superest, qua testatur, anno duodecimo post ejus in solitudinem Vosagi transitum, qui sexcentesimo respondere videtur, Gallicanos Episcopos in unum congregatos fuisse. *De fidei, & bonorum operum veritate tractaturos*. Deinde addit, sui quoque gratia in unum convenisse. *Deo gratias, quod vel pro me de Paschate discutiendo occasio vobis sanctæ facta est synodi*. Contendit in ea epistola Colombanus, in Paschate celebrando Scotorum ritum præferendum esse, juxta Anatolii Alex. Episcopi cyclum, Victorii vero, quem Gallicana, & Romana ecclesia sequebatur, omnino rejiciendum, aut saltem ut sibi, suisque suam consuetudinem retinere liceret, exoptat; plures deinde quæstiones Gregorio proponit; num scilicet communicare liceret, cum Episcopis per simoniam ordinatis; aut cum iis, qui post Diaconatum in crimen lapsi fuerant, aut cum monachis, qui professionem suam abjecerant, laudat deinde librum Regulæ pastoralis, ab eoque petiit expositiones in Ezechielem, & in Cantica. Senonensem vero synodum Colombani ritum in celebratione Paschatis condemnasse, altera Colombani epistola ad Bonifacium tertium anno 606. scripta indicat, qua rogat. *Ut ritum Paschæ sicut acceperat, per Pontificis judicium posset in sua peregrinatione observare, utpote in desertis locis viventes nulli molesti; id maxime habentes in votis, ut inter Gallos, sibi liceret vivere cum ecclesiasticæ pacis unitate, sicut Sancti Patres Polycarpus, & Anicetus Papa eam inter sese servaverant*. Hac de causa e Galliis pulsus Colombanus Abbas, tum etiam fortasse, quia damnationi trium capitulorum subscribere recusabat (ut ex ejusdem epistolis constat) ad Agilulphum Longobardorum Regem anno 612. perrexit, ac Bobiense monasterium fundavit; ut ibidem dicturi sumus. Interea de celeberrimi viri initiis, usque ad hunc aunum nonnulla adnotamus.

De Colombani vita & gestis usque ad annum 600.

8. Colombanus itaque Colomba etiam dictus in Hibernia circa annum 556., in provincia Lincentrensi natus, ab adolescentia humanis divinisque litteris a Sileno quodam edoctus, ad Benchoriense Monasterium transiit, ubi ab Congale seu Fausto, ejusdem monasterii Abbate, & Fundatore

exceptus, in monastica disciplina, & divinarum litterarum studio, eousque profecit, ut & Monachorum pater, & Monasteriorum fundator evaserit. Cumque in Bencoriensi monasterio, usque ad annum 590. circiter perseverasset, in Gallias cum duodecim e Bencoriensibus monachis transiit, ubi a Childeberto Austrasiæ, & Burgundiæ Rege summa cum clementia exceptus, in Vosagensem solitudinem pedem fixit, inter Lotharingiæ, & Burgundiæ confinia, vetus castellum, quod *Anegrates*, nunc *Anaigraje* dictum, cum monachis suis habitavit. At crescente monachorum numero, qui undique ad eum confluebant, ob vitæ sanctitatem, & miraculorum famam pertracti; Colombanus Luxovium pertransiit, ubi alterum ædificavit Monasterium, cui etiam paulo post tertium, ob aquarum copiam, ad Fontes dictum addidit, non longe a Luxovio dissitum, ac trium monasteriorum solus Colombanus Luxovii degens Abbas fuit; in duobus aliis Priores, qui Monachis præessent destinavit, ac supra sexcentos Monachos, in his tribus monasteriis habitasse fertur, quibus regulam S. Colombanus scripsit, duabus quodammodo partibus constantem, quarum prima de monachorum vita agit; Altera de pœnitentiis, quibus monachi pro gravioribus delictis, aut etiam levioribus culpis subjiciebantur. Quænam Colombani, ac Monachorum ejus in celebrando Paschatis festo disciplina esset, quantaque constantia, (ne pertinaciam dicam) Hibernensis ecclesiæ ritum retinuerint; ita ut contra universalis ecclesiæ traditionem, cum Judæis aliquando Paschatis festum celebrarent, quando cum luna decimaquarta Dominica dies incidebat, supra jam diximus, cum de Gallicanorum concilio, deque ejusdem Colombani epistola ad S. Gregorium scripta paucis egimus; atque in sententia sua, usque ad obitum perseverasse scimus. Interea cum in Galliis, usque ad annum 610. perseverasset; Theodorici Regis, & Brunichildis iram declinans, ac inde ejectus, in Italiam transiit; ac Bobiense monasterium fundavit, ut ibidem dicturi sumus.

Colombanus Luxoviense monasterium ædificat.

Codex regularum tom. 1. pag. 170.

Historia literar. Galliæ tom. 3. pag. 505. ad 510.

9. Ad hunc annum pertinet concilium Romanum, quod tertium dicimus, etsi quartum ab conciliorum editoribus, aliisque dictum sit, eoque damnatus est Andreas quidam qui ab Oriente Romam venerat; ibique monachali indutus tunica, hæreticus & falsarius detectus est; de quo hæc Gre-

Concilium Rom. tertium.

Gregorius in epistola ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum. *Nam inter alia, quæ Andreas pessime cogitavit, & fecit, eum quam ad nos misistis epistolam ita falsavit, ut quicumque eam legeret, vos nec catholicæ, nec recte sapere evidenter argueret. Ex qua re contigit, ut dum veritatem studiose quærimus, ejus quæ latebat iniquitas vulgaretur, & tanta in eo reperta sunt, quanta nec de scelerato quocumque laico crederentur.* Insuper in eo concilio concessa est testandi facultas Probo Abbati Monasterii S. Andreæ ad Clivum Scauri a S. Gregorio constructi, vel alterius monasterii Sanctorum Andreæ, & Luciæ, ut habetur in libello supplici a Probo oblato S. Pontifici. Probus itaque hujus monasterii Abbas supplici postulavit libello, ut sibi facultas tribueretur condendi testamentum, eoque narrabat, se ante hos annos, ex laico ad religiosam transiisse vitam, eo animo, ut in privata cella solitariam vitam ageret, nihilque de bonis suis statuisse, cum filium suum sibi hæredem futurum speraret. At paulo post monasterium ingredi, ac Abbatis onus suscipere coactus fuit; Unde ne quod ex obedientia fecerat, sibi filioque suo detrimentum afferret, nunc sibi Abbati condendi testamentum facultatem petebat, justæ autem expostulationi satisfactum est, ac ut testamentum conderet, facultas eidem a synodo tributa est.

S. Greg. testandi facultatem concedit Probo Abbati.

Andreas hæreticus incorrupticola. *Phot. biblioth. Cod. 162.*

10. Quænam autem errores Andreas pseudomonachus teneret, ex Photio scimus, qui de Eusebii Thessalonicensis Episcopi scriptis contra Andream hæc adnotat. *Eusebii Episcopi contra Andream quemdam libri decem, deinde lecti sunt Eusebii cujusdam, ut dignitate Episcopi, sic & fide orthodoxi, decem libri adversus Andream quemdam inclusum, qui horum illi scribendorum causam dedit &c.* Ex incorrupticolarum, seu Aphthardocetarum secta Andreas erat. Ii autem, ut alias supra adnotavimus, contendebant corpus Christi natura sua incorruptibile fuisse, quem Eusebius Thessalonicensis Episcopus decem libris confutavit, ac quatuor ejusdem hæresis præcipua capita fuisse demonstrat. Primum dum docebat corruptionis vocabulum peccato tantum convenire. Secundo, Corpus Christi, ex ipsa cum verbo conjunctione immortale, impatibile, & incorruptibile factum fuisse. 3. Adami corpus ante lapsum non fuisse natura mortale, & corruptibile. 4. Mundum incorruptibilem esse, & interitus expertem.

JESU CHR. AN. 600.

tem. Addit Photius, Andream multa Sanctorum Patrum dicta adulterata, in suam detorsisse sententiam, erroremque suum ex illis confirmasse, ac denique hæreticorum dicta quædam compilasse, eaque sanctis Patribus temerario ausu inscripsisse. Hoc autem concilium hoc anno celebratum fuisse ex inscriptione constat, præfixa libello a Probo Abbate oblato, his verbis. *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi Imp. D. N. M. Mauritio Tiberio. PP. Aug. anno XIII., eodemque Dom Cons anno XI., sub diem tertium nonarum Octob. indictione IV.*. Quæ mense Octobri, & Novembrii in cursu erat.

Gregorii pro Amicis Repetendarum crimine accusatis intercedit.

11. Hoc tempore Mauritius Imperator Romam Leontium Exconsulem misit ad exigendas rationes ab iis, qui publicas pœcunias distribuendas acceperant, huncque Domitianus Melitinæ Metropolitanus, Imperatoris cognatus S. Gregorio commendavit, rogans insuper, ut in iis, quæ eidem pro publica utilitate commissa fuerant, adjuvaret, quod libentissime se facturum pollicitus est S. Pontifex, Domitiano rescribens. Hinc factum, ut cum Gregorius Expræfectus, aliique, qui repetundarum accusabantur, in septa ecclesiastica se recepissent, S. Gregorius eis persuasit, ut exirent, rationes suas redditusi. Qui egressi ab ecclesiæ asilo, Marco Scriboni traditi sunt, accepta cautione, quod nullam violentiam passuri essent. Gregorium etiam Expræfectum amicitia sibi conjunctissimum S. Gregorius commendavit Leontio Exconsuli, & Episcopis Siciliæ; eumque nullam in honore, vel in rebus suis injuriam passum fuisse constat ex epistola, quam post biennium, idem Expræfectus S. Pontifici dedit. At non ita res cessit Libertino, quondam Siciliæ Prœfecto, & S. Gregorii amico, etsi hunc quoque S. Pontifex Leontio commendasset. Nam Leontius Exconsul, vir nimiæ severitatis misit ad Gregorium exemplar cujusdam cautionis plane execrabilis, qua fidem faciebat perversa mente Libertinum ad Præfecturam accessisse. Tacite Gregorio exprobrans, quod sceleftum hominem commendasset; cui S. Pontifex respondit, se de nemine umquam scripsisse, nisi ut protectionem suam præstaret *favente justitia*. Ceterum quis esset, aut quales causas haberet, quidve ad impacta crimina responderet, sibi prorsus esse ignotum. *Unum tamen*, inquit, *hoc bene, atque constanter novi; quia etsi quam*

S. Greg. judicem flectere conatur ad clementiam.

quam in rebus publicis fraudem fecit, substantia ejus cedi debuit, non libertas. Nam in hoc quod liberi ceduntur, ut taceam quod Deus Omnipotens offenditur, ut taceam quod vestra opinio vehementer gravatur: Piissimi tamen Imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter Reges gentium, & Imperatores Romanorum distat: quia Reges gentium Domini servorum sunt, Imperator vero Romanorum Dominus liberorum. Unde & vos quidquid agitis, prius quidem servata justitia, deinde custodita per omnia libertate agere debetis. Nimiam deinde ejus austeritatem increpat, ad eamque emolliendam sanctissima suggerit documenta hoc modo. *Quod vultis faciant vobis homines, hoc facite illis.* post aliqua: *Metuamus quod iterum dicit: in qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Quid autem gloria vestra existimat, quia si superbe, si crudeliter agimus, despecto Deo, nobis homines placamus? Nullo modo*; & inferius: *Si autem dicitur, quod sine verberibus, sine terroribus fraudes publicæ inveniri non possunt: hoc admittere poteram, si in ratiociniorum causa Dominus Leontius non venisset. Nam verum est quia illi solent in manibus excedere, qui in sensu & lingua deficiunt: de qua re se mihi vestra gloria non valet excusare. Nam quæ auditis, vel quæ dicitis, subtiliter exquirens, inveni quia homines sine causa cæditis, qui, auxiliante Deo, verbis agere omnia potestis.* His alia addit, ut eum in discutiendis rationibus mitiorem redderet, & ab ira se se temperaret.

JESU CHR. AN. 600.

Matt. 7. ibidem.

12. Libertinum vero fortunis omnibus exutum, S. Gregorins liberalitate sua recreare & fovere satagens, his eum verbis ad patientiam hortatus est. *Quantæ vos seculi hujus premant angustiæ, incognitum non habemus. Sed quia in summa tribulatione positis sola est consolatio misericordia Creatoris, in eum spem vestram ponite, ad ipsumque tota vos mente convertite, qui & juste cum vult, permittit affligi, & confidentem in se misericorditer liberat. Ipsi ergo gratias agite, & patienter quæcumque illata sunt sustinete. Nam rectæ mentis est, Deum non solum in prosperis benedicere, sed etiam in adversitatibus collaudare: In his igitur quæ patimini, nullum contra Deum murmur cordi vestro surrepat; quia ad quid hoc Creator noster operetur, ignotum est. Forsitan enim magnifice fili, aliquid illum in prosperis positus offendisti, unde te*

Libertinum fortunis, honoribusque exutum consolatur S. Greg.

te non frangat afflictio, nec rerum damna discrucient: quia si in adversis gratias referens, Deum tibi patientia feceris esse placabilem, & quae amissa sunt multiplicata redduntur, & super haec gaudia aeterna praestantur. Peto autem ne injuriosum ducatis, quod viginti annuos vestitus ad pueros vestros per Romanum defensorem scripsimus praeberi: quia de B. Petri Apostoli rebus, quamvis parva sint, quae offeruntur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt: quoniam & hic vobis valebit majora impendere, & apud Omnipotentem Deum beneficia aeterna praestare. Hæc ad Libertinum Gregorius, unde patet S. Pontificem, nihil umquam prætermisisse, quod ad animarum salutem conducere poterat. Hinc alios, quos noverat prosperis uti, & nulla afflictione premi, ad bonorum temporalium contemptum, & æternorum amorem magis, ac magis accendebat. Ita ad illustrem fœminam Adeodatam scribens, postplurima adnotat. *Reducite ad animos prosperitates temporum, multitudinem hominum, dignitatum pompas, matronarum gloriam, divitiarum abundantiam. Attendite haec omnia, ubi vel quid facta sunt; & ex hoc pensate quam nulla sint, & quia qui ista diligit, somnium vigilans videt.* Amicorum quoque vitia numquam dissimulavit S. Gregorius, sed data occasione paternam correptionem exercuit, sicque Clementinam Patriciam, plus satis odio indulgentem, admonuit, ut injuriarum oblivisceretur. *Nunciatum siquidem mihi est, quod si quando vos quisquam offenderit, dolorem irremissibiliter retinetis. Quod si verum est (quia quantum vos diligo, tantum contristor) peto, ut hoc a vobis vitium nobiliter excludatis, & secus boni operis segetem, inimici semen crescere non sinatis.* Plurima addens de oblivione, & remissione injuriarum.

Monita salutis dat S. Greg. amicis.

S. Gregorius Miraculo adstruit fidem Eucharistiæ. *Ex Paulo Diac. vita S. Greg. n. 23. tom. 4. operum S. Greg. pag. 10.*

13. Gestis S. Gregorii hujus anni finem imponimus, percelebri historia, ad Eucharistiæ fidem promovendam satis apta, quam in ejus vita refert Paulus Diaconus, quamque ad hoc tempus revocare libet. *Nobilis Matrona Romana* (inquit) *cum quadam Dominica die, ex more communionem de manu Pontificis acciperet, ad haec verba, quae in porrigenda Eucharistia Gregorius proferebat, Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in remissionem peccatorum omnium, & vitam aeternam, subrisisse fertur. Quod cum S. Pontifex animadvertisset, sacram illi communionem dare distulit, & my-*

mysteriis peractis, facti adeo indecori rationem ab ea quæsivit. At illa, quæ oblationes suas ipsa facere, & offerre consueverat respondit, se agnovisse particulam illam, quam Pontifex corpus Christi diceret, ex ea oblatione fuisse, quam ipsa manibus propriis confecerat, ob idque risisse, quod eamdem Corpus Christi Pontifex appellasset. Tum vir sanctus mulieris incredulitatem miseratus, frequentem populum hortatus est, ut preces ad Deum pro ea effunderet, scilicet ut ad multorum fidem corroborandam aliquo insigni ostento probaret, quod mulier incredula mentis oculis, & fidei lumine suscipere debuisset. Oratum est: & pallam corporalem, qua Eucharistiæ sacram particulam obvolverat, revelat Pontifex, & universo populo, ipsaque muliere contuente, Carnem Christi conspicuam ostendit, partemque digiti auricularis sanguine cruentam advertit. Tum mulieri dixit Gregorius (ait Paulus:) *Disce veritati, vel jam credere contestanti, panis quem ego do, caro mea est, & sanguis meus vere est potus. Sed præscius Conditor noster infirmitatis nostræ, ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne semper virginis, operante Sancto Spiritu, fabricavit; panem & vinum aqua mistum, manente propria specie, in carnem, & sanguinem suum ad catholicam precem, ob reparationem nostram Spiritus Sancti operatione convertit.* Quæ quidem verba, sive Gregorii sint, sive Pauli Diaconi, catholicam de Eucharistia fidem, ante Paschasii Radberti tempus mirifice probant. Post hæc, fusis denuo precibus, vir Sanctus sacram particulam in speciem solitam restituit, eamque mulieri jam credenti, & pœnitenti præbuit. Ex quo insuper intelligas, (ut notatum a Mabillonio) fideles non ex solido, & integro pane, sed ex particula, ex integro pane decerpta, tunc temporis communionem accepisse. Locum hunc Frodoardus in vita metrica Gregorii Magni his versibus descripsit.

Mabill. ann. Bened. pag. 261.

Ridentes mystica vultus
Perculit, atque oculis mysteria sanguine pandit
Rosea, carnalique sacra carnea cordi,
Triticeamque docet mutari in carne farinam,
Ac ligno certum converti in sanguine vinum.
Hæc carnis promens oculis ubi pectora firmat;
In priscam reparat divina litamina formam.

Sic

JESU CHR. AN. 600.

Sic S. Pontifex catholicam fidem asserens, dictis, & factis confirmavit.

Theodebertus. & Theodoricus victumClotharium maxima parte Regni privant.

Aimonius lib. 3. c. 88.

Fredegarius in chron. cap. 20.

14. In Galliis Francorum Reges Theodebertus, & Theodoricus memores injuriarum, quas a Fredegunda, ejusque filio Clothario passi fuerant, in Patruelem arma convertentes, Clotharium facili negotio vincendum esse sperabant, nec sua frustrati sunt spe, nam commisso prælio cum Clothario, juxta fluvium *Avaonem*, ejusdem exercitum profligarunt, eumque in fugam dederunt. Hæc referunt Aimonius, & Fredegarius, qui ait: *Ibi exercitus Clotharii gravissime trucidatus est, ipsoque cum his, qui remanserunt, in fugam verso, pagos & civitates ripæ Sequanæ, quæ se ad Clotharium tradiderant, depopulantur & vastantur, civitates ruptæ nimis, pluribus captivorum ab exercitu Theodorici, & Theodeberti exinde deductis. Clotharius oppressus vellet nollet, per pactionis vinculum firmavit, ut inter Sigonam, & Ligerim, usque ad mare Oceanum, & Britannorum limitem, pars Theoderici haberet, & per Sigonam & Isaram Ducatum integrum Dentelini, usque Oceanum mare Theodebertus reciperet. Duodecim tantum Pagi inter Isaram & Sigonam, & mare littori Oceani Clothario remanserunt.* Verba sunt Fredegarii ex editione Andreæ Duchesne.

Fortunati EpiscopiPictaviensis obitus.

Paulus de gestisLongob. lib. 2. c. 13.

15. Circa hujus seculi finem, vel sequentis initio, Venantius Fortunatus Pictaviensis primum presbyter, deinde Episcopus vivere desiit. Is porro etsi inter Gallicanos Episcopos, pietate & doctrina floruerit, italus tamen fuit; nam ut de eodem adnotat Paulus Diaconus. *Fortunatus natus quidem in loco, qui Duplavilis dicitur, fuit. Qui locus haud longe a Cenitensi castro, vel Tarvisiana distat civitate, sed tamen Ravennæ nutritus, & doctus in arte grammatica, sive etiam metrica clarissimus extitit. Hic cum oculorum dolorem vehementissimum pateretur, & nihilominus Felix iste ipsius socius pari modo oculos doleret, uterque ad basilicam B. Pauli, atque Joannis, quæ intra eamdem urbem sita est, perrexerunt, in qua etiam altarium in honorem B. Martini Confessoris constructum propinquam habet fenestram, in qua lucerna ad exhibendum lumen est constituta, de cujus oleo mox sibi isti, Fortunatus scilicet, & Felix, dolentia lumina tetigerunt. Illico dolore fugato sanitatem, quam optabant, adepti sunt.* Hinc orta veneratio, qua Fortunatus Martinum per-

perpetuo prosequutus est: nec semel prodigii hujus meminit.

JESU CHR. AN. 600. *Fortunat. vita S. Martini lib. 4.*

Quo procul ut tetigi benedicto lumen olivo;
Igneus ille vapor marcenti fronte recessit,
Et præsens medicos blando fugat unguine morbos.

Ob Sancti Martini devotionem, & reverentiam patria relicta, Turonos primum, deinde Pictavos transiit; ubi Episcopus ordinatus, cum hoc tempore e vivis excessisset. in suburbana basilica S. Hilarii sepultus est, ad cujus tumulum cum Paulus ipse orationis gratia advenisset, ejus epitaphium composuit, rogatus ab Apro ejusdem loci Abbate, quod Paulus historiæ suæ inseruit, his versibus.

Ingenio Clarus, sensu Celer, ore Suavis,
Cujus dulce melos pagina multa canit.
Fortunatus, apex vatum venerabilis actu,
Ausonia genitus, hac tumulatur humo,
Cujus ab ore sacro Sanctorum gesta priorum
Discimus: hæc monstrant carpere lucis iter;
Felix quæ tantis decoraris Gallia gemmis,
Lumine de quarum non tibi tetra fugit. &c.

Plurimorum sanctorum vitas ab oblivione vindicavit Fortunatus, multaque tum soluta oratione, cum versibus scripsit; præcipue S. Martini Turonensis Episcopi vitam, quam Gregorio Turonensi amico suo dicavit, ut apud Dupinium, Caveum, aliosque videre est.

Jesu Chr. an. 601.

SECULI SEPTIMI PROSPECTUS.

FElicioribus ecclesiæ seculis hactenus emensis, ad tristiora nunc accedimus. Quam enim ipso sexto ineunte seculo, vel humanæ naturæ conditio, quæ ad inferiora semper prolabitur, vel barbarorum irruptio, per omnes Occidentis provincias invexerant morum corruptelas, ac ecclesiasticæ disciplinæ relaxationem, eousque hoc labente seculo septimo excrevit, ut in aliam plane a pristina mutata Ecclesiæ facies videri possit, adeo quippe litterarum, bonarumque artium studium elanguit, ut vix umbram remanserit; Non defuere tamen istis quoque temporibus, vel Romani Pontifices, vel aliarum Ecclesiarum Episcopi, qui pietatis ac doctrinæ laude florerent, cujusmodi fuisse novimus, exempli causa, in Hispania Isidorum Hispalensem, Braulionem Tarraconensem, Idelfonsum, Julianumque Toletanos Episcopos; inter Orientales vero Sophronium, Joannem Moschum, Maximum, aliosque plures, quos deinceps loco, & tempore suo memorabimus. Itaque labentem quidem Ecclesiæ disciplinam in pristinum revocare, corruptosque Cleri, & Populi mores pro viribus emendare Episcoporum plurimi conati sunt, atque in Italia, Galliis, Hispania, alibique, conciliis pluribus hoc labente seculo celebratis, est factum, ne in deterius res prolaberentur: Britanniarum præterea Ecclesia, nova Evangelii luce hoc tempore perfusa, sanctis viris, & miraculorum gratia illustrata adeo fuit, ut hoc eodem, & proximo seculo, virorum Apostolicorum opera, qui ex ea prodierunt, vicinis barbarisque gentibus Christiana fides innotuerit, ut ex dicendis infra constabit. At Orientalis Ecclesia, quæ jamdiu multarum hæresum, Nestorianæ potissimum, ac Euthichianæ vepribus fœdata jacebat, nova hæresis progenie concussa fuit, ut in ea Joannis Apostoli in Apocalypsi maledictio impleretur: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*, etenim obstetricante Cyro Alexandrino Episcopo, ac faventibus Sergio, Pyrrho, Paulo CPolitanis Episcopis, Monothelitarum hæresis, nova Eu-

Euthychianorum Soboles, quæ unicam in Christo voluntatem profitebatur, circa annum 630. erupit; quæ Heraclii Imperatoris, & Constantis, seu Constantini filii ejus patrocinio suffulta totum pene Orientem invasit, ac impune pervagata est usque ad annum 680.; quo tandem in Concilio CPolitano, inter Æcumenica sexto, anathemate perculsa fuit. Rursum eodem fere tempore, idest circa annum 620. infaustum, seu potius nefandum Machummetis nomen ab Inferis erupit, cui tanquam singulari apro Orientalis Ecclesia in direptionem, vastationemque data fuit. Hic ex Judæorum, Arianorum, Nestorianorum dogmatibus, ac novis commentis suis, nova impurissimaque secta inducta, legis suæ librum, quem Alcoranum Manhumentani dicunt, tamquam Cælo delapsum asseclis suis dedit, & Arabiam primum armata manu subegit, ac in Alcorani verba Arabes jurare, eique subscribere coegit. Eo autem post utrasque Arabias, finitimasque regiones Imperio suo subactas, anno 632. e vivis erepto, maximam Orientis Imperii partem Abubechrus primus Mahumetis, Omarque Abubechri successor, cæterique in Arabum, seu Saracenorum Caliphatu successores, tanta felicitate occuparunt, ut hoc eodem septimo seculo nondum exacto, Syriam, Palestinam, totamque Ægyptum, non sine maxima religionis christianæ eversione, christianique nominis ignominia, Saracenico Imperio subjecerint, ut infra suo loco dicturi sumus.

Jesu Chr. an. 601.

JESU CHRISTI an. 601. Gregorii M. Papæ an. 12. Mauritii Imp. 20. Agilulphi Longob. Regis 12.

S.Gregorius Reliquias Sanctorum Mariniano mittit.

1. Itaque Christi anno sexecentesimo primo, qui Gregorii Papæ duodecimus fuit, Mariniano Ravennæ Episcopo ipse Gregorius scribens, ac reliquias Sanctorum ab eo petitas mittens, tantis se doloribus podagræ vexari narrat, ut vivere etiam tæderet. Unde ajebat: *Latore huc præsentium Candido Abbate pro petendis reliquiis, quæ & concessæ sunt, veniente, quanto de fraternitatis tuæ nutrimento lætatus sum, quod in eo studium tuæ fraternitatis apparuit, tanto contristatus sum, quod ejus, ut volui, præsentia uti non potui, quod ægrotum reperit, & discedens in infirmitate adhuc positum dereliquit. Multum enim jam tempus est, quod surgere de lectulo non valeo, nam modo me podagræ dolor cruciat, modo nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit: & fit plerumque, ut uno me tempore ardor cum dolore affligat, & corpus in me, animusque deficiat. Quantis autem aliis necessitatibus, extra hæc quæ retuli, infirmitatis afficiar, enumerare non valeo. Sed breviter dico, quia sic me interfectio noxii humoris imbibit, ut vivere mihi pœna sit, & mortem desideranter expectem, quam gemitibus mei solam esse credo posse remedium. Proinde Frater sanctissime, divinæ pro me pietatis misericordiam deprecare, ut percutionis suæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiam tolerandi concedat, ne nimio, (quod absit) tædio in impatientiam cor erumpat, & ea quæ bene curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure.* Hæc Gregorius ad Marinianum, cui eam reddiderunt epistolam Maurini editores, quæ olim Maximiano Arabiæ Episcopo inscribebatur, Epistola altera Marinianum hortatus est S. Pontifex, ut dispositis ecclesiæ suæ rebus, Romam contenderet, ut ibidem quietus ipso Gregorio curante, a sanguinis vomitu, sanari possit. Atque ut a jejuniis, vigiliis, concionibus abstineret, jussit, alienæ magis, quam suæ valetudinis anxius, hæc eidem scribebat. *Veniente quodam Ravennate homine, gravissimo mærore percussus sum, quia Fraternitatem tuam de vomitu sangui-*

S. Gregorii infirmitas exasperata.

Gregorii sollicitudo pro salute Mariniani Ep. Ravenn.

guinis retulit ægrotare. Ex qua re sollicite, & singillatim, eos quos hic doctos lectione novimus medicos, fecimus inquiri, & quid singuli senserint, quidve dictaverint, Sanctitati vestræ scriptum transmisimus. Qui tamen quietem, & silentium præ omnibus dictant: quam si tua Fraternitas in sua Ecclesia possit habere, valde sum dubius. Et ideo videtur mihi ut ordinata illic Ecclesia, vel qui missarum solemnia explere valeant, vel qui Episcopi curam gerere, hospitalitatemque, & susceptiones possint exhibere, quive monasteriis custodiendis præesse, tua Fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire, ut ægritudinis tuæ ego specialiter, in quantum valeo, curam geram, quietem tuam custodiam: quia huic ægritudini æstivum tempus medici vehementer dicunt periculosum. Et valde pertimesco, ne si curas aliquas cum adversitate temporis habueris, amplius ex eadem molestia pericliteris. Ego etiam ipse valde sum debilis, & omnino est utile, ut cum Dei gratia janus ad tuam redeas Ecclesiam: aut certe si vocandus es, inter tuorum manus voceris: & ego qui me proximum morti video, si me Omnipotens Deus ante te vocare voluerit, inter tuas manus transire debeam. Si autem qualitas temporis ad veniendum præpedierit, aliquo parvo exenio dato, apud Agonem agi potest, ut ipse vobiscum hominem suum usque Romam transmittat. Si igitur eadem ægritudine gravari te sentis, & venire disponis, cum paucis tibi veniendum est: quia mecum in Episcopio manens, quotidiana obsequia de hac Ecclesia habebis. Præterea nec hortor, nec admoneo, sed districte præcipio ut jejunare minime præsumas; quia dicunt medici huic molestiæ valde esse contrarium, nisi forte si grandis solemnitas exigit, quinquies in anno vicibus concedo. A vigiliis quoque temperandum est, & preces, quæ super cereum in Ravennati civitate dici solent, vel expositiones Evangelii, quæ circa Paschalem solemnitatem a Sacerdotibus fiunt, per alium dicantur: Et tua dilectio contra virtutem, laborem sibi minime imponat. Hæc autem dixi, ut si te melius senseris, & venire distuleris, scias quid debeas ex meo mandato custodire. Vidisti lector, quid facit charitas, dum ipse Gregorius doloribus undique premitur, innumerisque curis, ac sollicitudinibus angitur, ne brevissimum quidem tempus otii, ac quietis sibi indulget; idem ipse vero ægrotanti Fratri, Coepiscopo suo, charitatis viscera dilatans, eumdem rogat,

ut

Jesu Chr. an. 601.

ut quieti vacaret, ac jubet, ne negotiis, vigiliis, jejuniis, concionibus indulgeret, eademque epistola altera ingerit.

S. Gregorius Rusticianam consolatur. Greg. lib. 11. epist. 44.

2. In aliis etiam epistolis de adversa valetudine lamentur S. Gregorius. Unde ad Rusticianam patriciam, dum eamdem podagra laborantem consolatur, hæc habet: *De podagræ autem molestia, quam vobis evenisse signastis, & contristatus vehementer sum, & lætatus: lætatus, quia humor noxius inferiora petens, superiora perfecte deseruit; contristatus vero, quia in tam tenuissimo corpore dolores vos nimios perpeti pertimesco. Ubi enim caro deest, quæ virtus esse poterit doloribus resistens? Me etenim, quem qualis fuerim nostis, ita amaritudo animi, & assidua exacerbatio, atque præter hoc podagræ molestia affecit, ut corpus meum tanquam in sepultura, ita siccatum sit: unde fit, ut jam de lectulo raro surgere valeam. Si ergo mei molem corporis in tantam ariditatem podagræ dolor redegit; quid de vestro corpore sentiam, quod nimis siccum ante dolores fuit?* Miserat Rusticiana ad Basilicam B. Petri oblationes, vela scilicet super ejus venerandum corpus ponenda; ac eleemosinam pro monasterio S. Andreæ, cui gratias agens, quam humiliter de seipso sentiret, his verbis indicat. *Excellentiæ vestræ scripta suscepi, quæ me in gravissima ægritudine positum de salute, de devotione, ac de dulcedine sua omnino relevarunt. Unum vero ægre suscepi, quia in eisdem epistolis ad me (quod semel esse poterat) sæpius dicebatur, Ancilla vestra, Ancilla vestra. Ego enim qui per Episcopatus onera servus sum omnium factus, qua ratione se illa mihi ancillam dicit, cujus ante susceptum Episcopatum propinquus fuit. Et ideo rogo per Omnipotentem Deum, ne hoc verbum aliquando ad me in scriptis vestris inveniam.*

Rusticianæ oblatio ad S. Petrum missa.

3. De muneribus vero ejus ad Basilicam S. Petri delatis subdit. *Ea autem quæ ex purissimo sincerissimoque corde beato Petro Apostolorum principi munera transmisistis, præsente omni clero suscepta, atque illic suspensa sunt. Filius enim meus vir memorandus domnus Symmachus, quia ægrotum me ex podagræ dolore, & pene desperatum reperit, scripta vestra mihi dare distulit, & post multum temporis, quam vela suscepta sunt, dedit. Postmodum vero inscriptis excellentiæ vestræ invenimus, ut cum litania ad B. Petri Ecclesiam portari debuissent. Quod ideo minime factum est, quia (sicut præ-*

prædixi) ante vela quam scripta suscepimus. Tamen prædictus vir cum omni familia domus vestræ, hoc fecit, quod nos cum Clero facere voluistis. &c.

Jesu Chr. an. 601.

Monachus fur arreptus a Demone.

4. *De eleemosyna vero, quam B. Apostoli Andreæ monasterio fecistis, quid necesse est me aliquid dicere, cum scriptum sit: absconde eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit, &c.* De quo etiam monasterio mira quædam, quæ iisdem temporibus acciderunt, enarrat, *Indico autem, quia ob tanta miracula, tanta cura, tanta custodia monachorum in eodem monasterio ejusdem Apostoli est, ac si specialiter Abbas monasterii ipse sit. Nam ut pauca de multis loquar, quæ Abbate ac Præposito monasterii narrantibus agnovi, edicam. Quadam die duo exinde fratres transmissi sunt, qui aliquid emere pro monasterii utilitate debuissent: unus junior, qui prudentior videbatur: alter senior qui custos junioris esset. Perrexerunt utrique, & de prætio quod acceperunt, ipse qui custos missus fuerat, nesciente altero, de eodem prætio furtum fecit. Qui mox ut ad monasterium sunt reversi, atque ante Oratorii limen venerunt, arreptus a Demonio is, qui furtum fecerat, cecidit, & vexari cœpit. Dimissus autem a Demonio, concurrentibus monachis, requisitus est, num forsitan de eo quod acceperat, furtum fecisset, negavit. Iterum vexatus est. Dimissus, atque iterum requisitus, negavit, atque iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negavit, octo vicibus est vexatus. Post octavam vero negationem, nec non vexationem, confessus est quantos nummos furto abstulerat; & agens pœnitentiam prostratus, se peccasse testatus est. Ulterius vero ad eum Demonium non accessit.* His plura addit de monachis, qui cum fugam e monasterio meditarentur, aut obcœcati, ac a demone obsessi & vexati fuerant; duo vero, qui aufugerant, miro modo inventos fuisse narrant; ut ibidem videre est.

S. Gregorii constitutum seu decretum pro monachis.

5. Ut Monachorum indemnitati, & quieti consuleret S. Gregorius synodum Romæ hoc anno celebravit, cui Episcopi viginti circiter, cum Presbyteris, & Diaconis adfuerunt, eaque decretum, seu constitutum vulgatum est, quo Episcopis prohibuit, ne se in administratione rerum monasteriorum immiscerent, neque in Abbatum electione, qui a monachorum congregatione eligendi erant, monachos etiam ordinare, vel apud se retinere, vel quolibet prætextu e monasterio

Jesu Chr. An. 601.

sterio revocare prohibuit; aut in monasteriorum ecclesiis cathedras suas erigere, & missas celebrare, absque Abbatis permissu, aut precibus; ac tandem. *Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam statuimus illibatamque servari, ut & suæ Ecclesiæ juvante Domino tantummodo jure contenti, & monasteria Ecclesiasticis conditionibus, seu angariis, vel quibuslibet obsequiis secularibus nullo modo subjaceant, nullis canonicis juribus deserviant; sed remotis vexationibus in cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiant.* Hactenus Gregorii decretum pro monachorum incolumitate.

S. Gregorii epistola consolatoria ad Theotistam.

6. Presto quoque fuit Sanctissimus Pontifex, hoc anno Theotistæ Patriciæ, quam alii Mauritii Imp. sororem, alii filiam fuisse scribunt, quæ cum hæresis crimine falso insimularetur, eamque ob causam plus justo, pia fœmina contristaretur, consolatoriam epistolam ad eam S. Gregorius scripsit, qua post aliqua subdit. *Indico autem quod levitate populi tumultum contra vos detractionis exortum nuntiantibus quibusdam agnovi. Qua ex re excellentiam vestram audio fuisse tædio non modico contristatam. Quod si ita est, valde miror cur vos, qui cor fixistis in Cœlo, verba hominum agitent in terra. Beatus enim Job cum amici ejus, qui ad consolandum venerant, in increpationem prosiliissent, ait:* Ecce enim in Cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis. *Qui enim vitæ suæ in Cœlo testem habet, judicia hominum in terra pertimescere non debet. Dux quoque bonorum Paulus dicit:* Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. *Qui iterum dicit:* Opus suum probet unusquisque, & sic in semetipso gloriam habebit, & non in altero. *Si enim laudibus lætamur, & detractionibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore posuimus*; atque alia in eamdem rem addit, quæ brevitatis studio præterimus.

Greg. lib. 11. epist. 45.

Job. 16. 20.

2. Cor. 1. 12.

Gal. 6. 4.

Quomodo se gesserit S. Gregorius CP. cum iis, qui hæresi falso insimulabantur.

7. Quibus autem accusaretur erroribus Theotista, paulopost S. Gregorius indicat; eodemque loco falsis de hæresi rumoribus levibusque conjecturis, non tam facile fidem habendam esse docet, atque suo exemplo confirmat ex iis, quæ olim cum CPoli esset, gesserat; nam subdit. *Ad me etenim sicut nostis, cum apud vestigia dominorum in regia urbe demorarer, multi ex eis venire consueverant, qui de prædictis capitulis accu-*

accusabantur, *Sed teste conscientia fateor*, *numquam in eis aliquid erroris*, *aliquid pravitatis*, *aliquid de his*, *quae contra eos dicebantur*, *inveni*. *Unde & eos opinione contempta familiariter suscipere*, *& magis ab insequentibus defendere curabam*. *Dicebatur namque contra eos*, *quia sub obtentu religionis conjugia solverent*: *& quia dicerent*, *quod baptisma peccata penitus non auferret*, *& si de iniquitatibus suis*, *quis in triennium poenitentiam ageret*, *postmodum ei perverse vivere liceret*: *& quia si compulsi aliquid*, *de quibus reprehendebantur anathematizare se dicerent*, *anathematis vinculo nullo modo teneri*. *Et si sunt qui certissime talia sentiunt*, *vel tenent*, *quia Christiani non sunt*, *dubium non est*. *Eosque & ego*, *& omnes Catbolici Episcopi*, *atque universa Ecclesia anathematizamus*: *quia veritati contraria sentiunt*, *contraria loquuntur*, *&c.* Atque hæc omnino catholicæ fidei adversari, auctoritatibus, & rationibus ibidem probat.

Gregorii ep. ad Isacium Hierosolym. Episcopum.

8. Obiit hoc anno Amos Hierosolymorum Episcopus, cui cum Isacius, seu Esychius successisset, ad Gregorium Romanum Pontificem (ut in more erat) fidei professionem data epistola misit, ad quem rescribens Sanctus Pontifex, ejusdem fidem laudavit, rogavitque ut commissum sibi gregem caste sancteque regeret. *Relecta fraternitatis vestræ epistola*, inquit, *rectæ fidei compage gaudemus*, *magnasque Omnipotenti Deo gratias exsolvimus*, *qui & immutatis gregis sui pastoribus*, *fidem quam semel sanctis Patribus tradidit*, *etiam post eos immutabilem custodit*. *&c.* Quanta autem diligentia non solum catholicam fidem illibatam servare curaverit S. Gregorius, sed etiam morum integritatem in clero, & populo, innumeræ ejusdem epistolæ testantur. Ad simoniacam labem ex agro Dominico evellendam, totus hoc tempore S. Pontifex advigilabat, ut frequentes ab ipso epistolæ scriptæ ad Galliarum Episcopos, & ad Francorum Reges testantur. Ad Virgilium Arelatensem scribens ita exclamat: *Proh nefas*! *manus illicito munere polluit*, *& alios se benedictione credit erigere*, *cum ipse jam sit propria iniquitate substractus*, *& sua nihilominus ambitione captivus*. *Hujus ergo mali rapacitas*, *quia arcem vestræ mentis numquam intraverit*, *& innoxias habere vos manus de ordinationibus perhibetis*: *Omnipotenti Deo gratias agite*, *& tanto ei vos debitores esse cognoscite*, *quanto illæsi ab hujus morbi contagio*, *eo cu-*

JESU CHR. AN. 601.

flodiente mansistis. Sed hæc vobis minus, quam poterant bona proficiunt, si hoc & in aliis sollicite non vetustis. Sicut autem in te istud tibi malum displicuit, ita hoc & in fratre zelari debueras. Nam dum divina præcepta nos moneant proximos sicut nos ipsos debere diligere, non parvæ culpæ est despicere, & quod sibi quisque metuit, aliis non timere. Vel nunc ergo dilectissime Frater da operam, ut quod a corruptione quiescendo in aliis perdidisti, resarcias, & ab hac quos potueris pravitate compescas, atque ut Synodus ad eradendam ipsam hæresim congregari possit insiste: quatenus cum dilectionis vestræ mercede, melius ab omnibus caveatur, quod, auctore Deo, omnium fuerit constitutione damnatum.

Gregorii admonitio ad Brunichildem Reginam.

9. Ad Ætherium scribens gesta, vel scripta S. Irenei sollicite quæsita hactenus se non invenisse ait. Brunichildi vero Reginæ, ut ad vitia eradicanda stimulum adderet, hæc addit. *Mihi credite, quia sicut jam experimento multorum didicimus, in damno expenditur, quidquid cum peccato congregatur. Si vultis igitur nihil injuste perdere, summopere studete per injustitiam nihil habere. In terrenis etenim rebus semper causa damni est origo peccati. Vos itaque si eminere adversantibus gentibus vultis, si earum, auctore Deo, victrices existere festinatis, ejusdem Omnipotentis Domini cum tremore præcepta suscipite, ut ipse pro vobis contra adversarios vestros pugnare dignetur, qui per Sacrum eloquium pollicitus est, dicens: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Hactenus Gregorius ad Brunichildem, quæ tanti Patris monita spernens, ulciscente Deo posteris exemplo fuit, (ut infra suo loco dicturi sumus.) Interea accipe, quæ de vitio simoniæ sub Brunichilde scribat S. Audoenus Rothomagensis Episcopus: *Illis diebus immaniter simoniaca hæresis pullulabat in urbibus, & in cunctis finibus Regni Francorum, maximeque a temporibus Brunichildis infelicissimæ Reginæ, usque ad tempora Dagoberti Regis violabat hoc contagium fidem catholicam.* Viguit usque ad tempora Dagoberti, a quo compressa est, adjuvantibus eum, & impellentibus Sanctis Eligio, & Audoeno.

De pravis Sacerdotum moribus corrigendis Gregorii cura.

10. Quia vero præter simoniam, aliæ quamplurimæ in Presbyterorum moribus irrepserant corruptelæ, ac ecclesiastica disciplina omnino elanguerat, instat acrius, ac vehementius clamat S. Gregorius epistola altera ad eamdem Regi-

ginam, utpote quæ malorum omnium origo erat, atque ut eam e profundo somno excitaret, his eam verbis admonuit. *Cum scriptum sit Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum; tunc Regnum stabile creditur, cum culpa, quæ cognoscitur, citius emendatur. Multorum igitur ad nos relatione pervenit, quod dicere sine afflictione cordis nimia non valemus, ita quosdam Sacerdotes in illis partibus impudice, ac nequiter conversari, ut & audire nobis opprobrium, & lamentabile sit referre. Ne ergo postquam hujus nequitiæ hucusque se extendit opinio, aliena pravitas, aut nostram animam, aut vestrum regnum peccati suo jaculo feriat, ardenter ad hæc debemus ulciscenda consurgere, ne paucorum facinus multorum possit esse perditio. Nam causa sunt ruinæ populi Sacerdotes mali. Quis enim pro populi se peccatis intercessor objiciat, si Sacerdos qui exorare debuerat, graviora committat? Sed quoniam eos, quorum est locus hæc insequi, nec sollicitudo ad requisitionem, nec zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrant, & personam si præcipitis, cum vestræ auctoritatis assensu transmittamus, quæ una cum aliis Sacerdotibus hæc, & subtiliter quærere, & secundum Deum debeat emendare. Nec enim sunt dissimulanda, quæ dicimus: quia qui emendare potest, & negligit, participem se proculdubio delicti constituit. Providete ergo animæ vestræ, providete nepotibus, quos cupitis regnare feliciter, providete provinciis, & priusquam Creator noster manum suam ad feriendum excutiat, de correctione hujus sceleris studiosissime cogitate; ne tanto postmodum acrius feriat, quanto modo diutius, & clementer expectat. Scitote autem, quod Deo nostro magnum sacrificium placationis offertis, si tanti labem facinoris de vestris citius finibus amputatis.* Hæc Gregorius ad Brunichildem, quem verissimum vatem fuisse exitus probavit, dum ipsa infamem finem habuit, & ejus nepotes regnum, & vitam citissime amiserunt. Quod autem absens S. Gregorius per epistolam egit, præsens egerat S. Colombanus, eam sæpe redarguens, ut ex rebus ab eo gestis constat.

Ædelbertus Rex Angliæ baptizatur, a S. Gregorio alii operarj in eam messem destinantur.

11. Hoc tempore Francorum Regibus, Reginæ Brunichildi, ac Galliarum Episcopis scribens S. Gregorius, Laurentium Presbyterum, & Mellitum Abbatem, quos in Britanniam mittebat, commendavit; cum etenim ea in insula catho-

JESU CHR. AN. 601.

catholicam fidem radices agere, & fidelium numerum augeri didicisset, novas ad eam excolendam vineam operarios misit. Cum etenim ipse Edelbertus Rex Idolis relictis, Christianam fidem suscepisset, ac auctoritate, & exemplo suo innumeri, quotidie Christo nomen darent, Augustino, Laurentio, & sociis, alios excolendæ vineæ operarios misit. *Misit*, inquit Beda, *cum præfatis legatariis suis complures cooperatores, ac verbi ministros, in quibus primi & præcipui erant Mellitus, Justus, Paulinus, Ruffinianus; & per eos generaliter universa, quæ ad cultum erant, & ministerium ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium, ornamentaque Ecclesiarum, & sacerdotalia, vel clericalia indumenta, Sanctorum etiam Apostolorum, ac martyrum reliquias, nec non codices plurimos.*

Gregorius Augustino de fidei propagatione gratulatur.

12. Ad Augustinum vero Anglorum Apostolum litteras reddens, cum eo his verbis gratulatus est. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia granum frumenti mortuum cadens in terram multum fructum attulit, ne solum regnaret in cœlo, cujus morte vivimus, cujus infirmitate roboramur, cujus passione a passione eripimur; cujus amore in Britannia fratres quærimus, quos ignorabamus, cujus munere, quos nescientes quærebamus, invenimus. Quis autem narrare sufficiat, quanta hic lætitia in omnium corde fidelium fuerit exorta, quod gens Anglorum, operante Dei Omnipotentis gratia, & tua fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris, sanctæ fidei luce perfusa est: quod mente & devotione integerrima jam calcat Idola, quibus prius vesano timore subjacebat; quod Omnipotenti Deo puro corde substernitur: quod a pravi operis lapsibus sanctæ prædicationis regulis ligatur: quod præceptis divinis animo subjacet, & intellectu sublevatur; quod usque ad terram se in oratione humiliat, ne mente jaceat in terra? Cujus hoc opus est, nisi ejus, qui ait: Pater meus usque nunc operatur, & ego operor? &c.* Eumque admonet, ut in humilitate persisteret. *Gaudeas*, inquit, *quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimescas vero, ne inter signa, quæ fiunt, infirmus animus in sui præsumptione se elevet, & unde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat.*

13. Ad

S. Gregorii epistola ad Regem Anglorum.

13. Ad Edelbertum quoque Anglorum Regem scribens, eum hortatus est, ut fidem christianam a se susceptam, subiectis sibi gentibus verbo, & exemplo propagaret, & ut Augustino non solum aures præberet, sed in ejusdem gentis conversione adjutor esset. *Propter hoc*, inquit, *Omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona suæ pietatis impendat. Quod in Anglorum gente factum cognovimus, cui vestra gloria idcirco præposita est, ut per bona, quæ vobis concessa sunt, etiam subjectæ vobis genti superna beneficia præstarentur. Et ideo, gloriose fili, eam, quam accepisti divinitus gratiam, sollicita mente custodi: Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina: zelum rectitudinis tuæ in eorum conversione multiplica: Idolorum cultus insequere, Fanorum ædificia everte; subditorum mentes in magna vitæ munditia exortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monstrando ædifica; ut illum retributorem invenias in cœlo, cujus nomen atque cognitionem dilataveris in terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddet, cujus vos honorem quæritis, & servatis in gentibus. Sic enim Constantinus quondam piissimus Imperator Romanam Rempublicam a perversis idolorum cultibus revocans, Omnipotenti Domino Deo nostro Jesu Christo secum subdidit, seque cum subjectis populis, tota ad Deum mente convertit. Unde factum est, ut antiquorum nomen Principum suis vir ille laudibus vinceret, & tanto in opinione prædecessores suos, quanto & in bono opere superaret. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem unius Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Regibus, ac populis sibimet subiectis festinet infundere, ut & antiquos gentis suæ reges laudibus, ac meriti transeat, & quanto in subiectis suis aliena peccata deterserit, tanto etiam de peccatis propriis, ante Omnipotentis Dei terribile examen securior fiat. Reverendissimus autem Frater noster Augustinus Episcopus in monasterii regula doctus, sacræ Scripturæ scientia repletus bonis, auctore Deo, operibus præditus, quæque vos admonet, libenter audite, devote peragite, studiose in memoria reservate: quia si vos eum in eo, quod pro Omnipotente Deo loquitur auditis, idem Omnipotens Deus hunc pro vobis, exorantem celerius exaudiet. Si enim (quod absit) verba ejus postponitis; quomodo eum*

JESU CHR. AN. 601.

cum Omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? &c.

Alia Greg. epistola ad Reginam Angl. Adilbergam.

14. Hæc & alia ad Regem Anglorum Gregorius, qui alteram ad ejus uxorem Aldibergam sive Bertham addidit, qua in ejus laudem hæc adnotat. *Qui post terrenam potestatem Regni Cœlestis gloriam cupit acquirere, ad faciendum lucrum Creatori suo debet enixius laborare, ut ad ea, quæ desiderat operationis suæ gradibus possit ascendere, sicut vos fecisse gaudemus. Remeantes igitur dilectissimus filius noster Laurentius Præsbyter, & Petrus monachus, qualis erga reverendissimum fratrem, & coepiscopum nostrum Augustinum gloria vestra extiterit, quantumque illis solatia, vel qualem charitatem impenderit, retulerunt. Et Omnipotentem Deum benediximus, qui conversionem gentis Anglorum, mercedi vestræ dignatus est propitius reservare. Nam sicut per recordandæ memoriæ Helenam matrem piissimi Costantini Imperatoris ad Christianam fidem corda Romanorum accendit, ita & per gloriæ vestræ studium in Anglorum gentem ejus misericordiam confidimus operari. Et quidem jamdudum gloriosi filii nostri conjugis vestri animos prudentiæ vestræ bono, sicut revera Christianæ debuistis inflectere, ut pro regni, & animæ suæ salutem, fidem, quam colitis sequeretur: quatenus, & de eo, & per eum de totius gentis conversione digna vobis in cœlestibus gaudiis retributio nasceretur. Nam postquam (sicut diximus), & recta fide gloria vestra munita, & literis docta est, hoc vobis nec tardum, nec debuit esse difficile. Et quoniam, Deo volente, aptum nunc tempus est: agite ut divina gratia cooperante, cum augmento possitis, quod neglectum est, reparare. Itaque mentem gloriosi conjugis vestri in dilectione Christianæ fidei adhortatione assidua roborate: vestra illi sollicitudo augmentum in Deum amoris infundat, atque ita animos ejus, etiam pro subjecta sibi gentis plenissima conversione succendat, ut & magnum Omnipotenti Domino de devotionis suæ studio sacrificium offeratis, & ea, quæ de vobis narrata sunt, crescant, & vera esse modis omnibus approbentur: quia bona vestra non solum jam apud Romanos, qui pro vita vestra fortius oraverunt, sed etiam per diversa loca, & usque Constantinopolim ad serenissimum Principem pervenerunt: ut sicut nobis de Christianitatis vestræ solatiis lætitia facta est, ita quoque de perfecta operatione vestra Angelis fiat gaudium in cælis. Sic vos in adiu-*

adjutorio supradicti reverendissimi fratris, & Coepiscopi nostri, & servorum Dei, quos illuc misimus, in conversione gentis vestræ devote ac totis viribus exhibete, ut & hic felicior cum glorioso filio nostro conjuge vestro regnetis, & post longa annorum tempora, futuræ quoque vitæ gaudia, quæ finem habere nesciunt, capiatis. Oramus autem Omnipotentem Deum, ut gloriæ vestræ cor, & ad operanda quæ diximus, gratiæ suæ igne succendat, & æternæ mercedis fructum vobis, de placita sibi operatione concedat: Hactenus ad Reginam Anglorum Gregorius.

Idolorum Templa in usum christianorum converti Gregorius jubet.

15. Quia vero in epistola ad Regem data, eumdem monuerat, ut Numinum templa dirueret, non multo post, mutata sententia, Mellito Abbati in Britanniam proficiscenti, scribens, jussit, ut ab Idolorum labe expurgata, in christianorum usum converterentur; Unde. *Post discessum congregationis nostræ, quæ tecum est, valde sumus suspensi redditi, quia nil de prosperitate vestri itineris audisse nos contigit. Cum vero vos Deus omnipotens ad reverendissimum virum fratrem nostrum Augustinum Coepiscopum perduxerit, dicite ei, quod diu mecum de causa Anglorum cogitans tractavi: videlicet quia Fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant, sed ipsa, quæ in eis sunt Idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in iisdem Fanis aspergatur, altaria destruantur, reliquiæ ponantur. Quia si Fana eadem bene constructa sunt, necesse est, ut a cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeant commutari: ut dum gens ipsa, eadem Fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens, & adorans, ad loca quæ consuevit, familiarius concurrat. Et quia boves solent in sacrificio Dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitio Sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex Fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis solemnitatem celebrent, nec diabolo jam animantia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant: ut dum eis, aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant: nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse non dubium est. Quia is, qui locum summum ascendere nititur, necesse est ut gradibus, vel passibus, non autem saltibus elevetur. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus*

Ritus gentilicii ad pietatem convertendi.

Jesu Chr. an. 601.

minus se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum usus, quos diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in sacrificio suo animalia immolare praeciperet: quatenus cor mutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent: ut etsi ipsa essent animalia quae offerre consueverant, verumtamen Deo haec, & non Idolis immolantes, jam sacrificia ipsa non essent. Haec igitur dilectionem tuam praedicto fratri necesse est dicere, ut ipse in praesenti illic positus perpendat, qualiter omnia debeat dispensare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime fili. Data die decimaquinta Kalendarum Juliarum, imperante &c. Indictione quarta. Eadem de convertendis in Dei honorem Idolorum templis fuit cum Gregorio S. Augustini sententia, dum ait: *Cum templa, idola luci... in honorem veri Dei convertuntur, hoc de illis fit, quod de hominibus, cum ex sacrilegis, & impiis in veram religionem mutantur.*

S. August. epist. 47. ad publicolam.

S. Gregorii epistola in qua ad interrogationes ab Augustino factas respondet.

16. Inter epistolas a Gregorio ad Augustinum in Anglia missas, omnibus celebrior ea est, quae decretalis nuncupatur, quia in ea ad plures quaestiones, ab Augustino factas respondit. Hanc epistolam in quamplurimis manuscriptis Codicibus desiderari negari non potest, quam ideo ex Anglicanis Codicibus ab Nothelmo Cantuariensi Episcopo exquisierat Bonifacius Moguntinos Episcopus anno 745. his verbis. *Obsecro ut illius epistolae, qua continentur, ut dicunt, interrogationes Augustini Pontificis, ac primi praedicatoris Anglorum, & responsiones S. Gregorii Papae, exemplar mihi dirigere curetis, quod in tertia generatione propinquitatis fidelibus licet matrimonia copulare, & ut scrupulosa diligentia investigare studeatis, si illa conscriptio supradicta Patris nostri Gregorii esse comprobetur, an non, quia in scrinio Romanae Ecclesiae, ut affirmant Scriniarii, cum ceteris exemplaribus supradicti Pontificis quaesita non inveniebatur.* Utrum autem epistolam illam Bonifacio miserit Nothelmus ignoramus. Certum tamen est eam extitisse in Anglia, utpote quam scriptis suis inseruit Beda, qui eodem tempore florebat. idque libro primo historiae Anglorum cap. 27. ut legitur in omnibus ejusdem historiae MSS., & editis Codicibus, immo & in versione Saxonica circa annum 890. edita jussu Alfredi Anglorum Regis. Zacharias etiam Pontifex in concilio Romano anno 743. cap. 15. testimonium ex interrogatione

Decretalis epistola Gregorio vindicatur.

tione sexta produxit. Ut alios plurimos prætereamus, qui de ea verba fecerunt. Isidorus, Regino, Anselmus, Ivo, Gratianus, aliique canonum collectores. De tempore, quo eam epistolam Augustino misit Gregorius, hæc adnotat Beda: *Interea vir Dei, ut Augustinus venit Arelas, & ab Archiepiscopo ejusdem civitatis Etherio* (legendum *Virgilio*) *juxta quod jussa S. Patris Gregorii acceperat, Archiepiscopus genti Anglorum ordinatus est, reversusque in Britanniam, misit continuo Romam Laurentium presbyterum, & Petrum monachum, qui Beato Pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Christi accepisse, ac se Episcopum factum esse referrent: simul & de iis, quæ necessariæ videbantur quæstionibus responsa recepit*; atque hoc anno eam scripsisse epistolam verosimile est; quam Gregorio vindicant, Usserius, & editores Conciliorum Britanniæ.

Gregorii responsiones ad interrogationes Augustini.

De bonis ecclesiæ distribuendis.

De clericorum continentia.

17. Quid hæc epistola contineat nunc videamus; ab Gregorio itaque exquisierat Augustinus, qua ratione bona ecclesiæ distribuenda essent, ac in quatuor partes dividenda esse jubet, una scilicet pro Episcopo, alia clero, Tertia pauperibus, Quarta ecclesiis reparandis. Secundo petit an clerici, qui se continere non valent, contrahere possint matrimonium, ac ad seculum redire. His respondet Sanctus Gregorius, clericis, extra sacros ordines constitutis, licere uxores ducere, ita tamen, ut sub ecclesiastica regula, & bonis moribus vivant, & canendis psalmis invigilent, & ab omnibus illicitis cor, & linguam, & corpus Deo auctore conservent. Interrogatus etiam, ut cum una omnium esset fides, cur tam diversæ consuetudines essent, ut etiam in Missarum celebratione, alius esset Romanæ ecclesiæ, alius ecclesiæ Gallicanæ ritus, cui Gregorius respondet. *Novit Fraternitas tua Romanæ ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit nutritam. Sed mihi placet ut sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione precipua, quæ de multis ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca nobis amanda sunt.* Eadem erat Ambrosii sententia: *In omnibus cupio sequi ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus.* Quarto interrogavit Augustinus, quam pœnam mereatur, qui aliquid de

De variis ecclesiarum ritibus.

JESU CHR. AN 601.

De corrigendis fidelium moribus.

clesia furto abstulerit. Gregorii responsio in eo versatur, ut pro circumstantiis furis, furti pœna metiatur. *Sic enim fidelibus nos tenere disciplinam debemus, sicut boni Patres carnalibus filiis solent; quos & pro culpis verberibus feriunt, & tamen ipsos quos doloribus affligunt habere hæredes quærunt*; circa restitutionem rei ablatæ. *Absit quod ecclesia cum augmento recipiat, ... & lucra de damnis quærat.*

De nuptiis inter cognatos licitis, aut prohibitis.

18. Quinta Augustini quæstio erat, num possint duo germani Fratres sorores accipere, quæ sunt ab illis longa progenie generati, cui respondet Gregorius. *Hoc fieri modis omnibus licet; Nequaquam enim in sacris eloquiis invenitur, quod huic capitulo contradicere videatur.* Sexto ad quotam generationem fideles possint cum propinquis conjugio copulari: & an cum Noverca liceat matrimonium contrahere. Ut huic petitioni satisfaceret Gregorius, adnotat per terrenam potestatem in Romana Republica permitti, ut sive Fratris, sive sororis, seu duorum Fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sacra tamen lege prohiberi. Unde necesse est, ut in tertia, vel quarta generatione fidelium liceat conjugia inire. Nam a secunda, omnimodo debent abstinere. Cum Noverca autem misceri, illicitum esse ait, uti etiam cum Cognata. Septimo interrogatus quid agendum cum iis, qui illicita contraxerant matrimonia. Respondet eos, qui ante susceptam fidem talia conjugia contraxerant admonendos esse, ut abstineant tremendi Dei judicii intuitu, non tamen a communione corporis, & sanguinis Domini arcendos, ne in eis illa ulciscerentur peccata, in quibus per ignorantiam ante baptisma peccaverant. Si quid autem tale aliquid commiserit post susceptum baptisma, corporis & sanguinis Domini communione privandi sunt. Octava quæstio erat, an unus Episcopus Episcopum ordinare posset, quod nonnisi necessitate cogente, ubi alius Episcopus non erat fieri posse adnotat; ita ut ei, qui in Britannia solus erat Episcopus liceret, cum vero essent episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati, Episcoporum ordinatio nonnisi congregatis tribus, vel quatuor Episcopis fieri non debere adnotat. Postulabat quoque Augustinus qualiter deberet agere cum Episcopis Galliarum, atque Britanniarum, cui Gregorius nullam in Galliarum Episcopos auctoritatem eum habere demonstrat, Britannorum vero omnium Episcoporum curam

Episcopi a tribus Episcopis ordinandi sunt.

ei-

eidem commissam esse addit, ita ut totius Britanniæ Metropolitani officio, & munere fungeretur, Tandem reliquias S. Sixti martyris a se petitas se misisse narrat Gregorius. Petierat decimo, an prægnans mulier baptizari posset, aut quanto tempore post partum ab ecclesiæ ingressu se abstinere deberet, quanto etiam tempore post partum ad conjugii opera redire posset, & an mulier menstrua patiens, ecclesiam ingredi, aut communionis participem fieri deceret. Sic etiam, an vir ecclesiam intrare, aut communionem accipere deceret, post quam suæ conjugi permixtus fuerat; sicuti etiam quo tempore infantes baptizari deberent, quibus breviter satisfaciens S. Gregorius, statuit licitum esse mulierem prægnantem, & puerum natum baptizare. Quæ vero menstrua patitur ab ingressu ecclesiæ non prohiberi. Post concubitum vero ab ecclesiæ ingressu conjuges abstinere debere ait. Interrogatus etiam an nocturna pollutio celebrationem, aut communionem impediret, respondet S. Gregorius inquirendum esse, unde acciderit illusio. Si ex naturæ infirmitate, vel superfluitate contingat, nec celebrationem, aut communionem illicitam esse adnotat; Cum vero ex crapula, vel cogitatione contingit, nisi necessitas urgeat, abstinendum esse ab immolatione mysterii addit.

JESU CHR. AN. 601.

Mulieres puerperæ, & infantes baptizari possunt. Quæ delicta ecclesiæ ingressum, aut communionem prohibeant.

19. Eodem anno S. Gregorius Augustino pallium cum hac epistola misit *Reverendissimo & Sanctissimo Fratri Augustino Coepiscopo, Gregorius servus servorum Dei*, in ea Pallii usum Augustino concedit, eumque totius Britanniæ Primatem constituit. De gestis autem ab Augustino, hæc narrat Beda. *At Augustinus ubi in regia civitate sedem Episcopalem (ut prædiximus) accepit, recuperavit in ea regio fultus adminiculo, ecclesiam, quam ibi Romanorum antiquorum fideli opere factam fuisse didicerat, & eam in nomine Sancti Salvatoris Dei, & Domini nostri Jesu Christi sacravit, atque ibidem sibi habitationem statuit, & cunctis successoribus suis. Fecit autem monasterium non longe ab ipsa civitate ad Orientem, in quo ejus hortatu Edilberthus ecclesiam Beatorum Apostolorum Petri & Pauli a fundamentis construxit, ac diversis donis ditavit, in qua & ipsius Augustini, & omnium Episcoporum Dorovernensium, simul & Regum Cantii poni corpora possent: quam tamen Ecclesiam, non ipse Augustinus, sed successor ejus Laurentius consecravit. Primus autem ejus monasterii Abbas* Pe-

Gregorius pallium Augustino mittit.

Aug. ecclesrestituit, & monasterium ædificat.

trus presbyter fuit, qui legatus in Galliam missus, demersus est in sinu maris, qui vocatur Amplear, & ab incolis loci ignobiliter traditur sepulturæ. Sed Omnipotens Deus, ut qualis meriti vir fuerit, demonstraret, omni nocte supra sepulchrum ejus lux cælestis apparuit: donec animadvertentes vicini, qui videbant, sanctum fuisse virum, qui ibi esset sepultus, & investigantes unde, & quis esset, abstulerunt corpus, & in Bononia civitate juxta honorem tanto viro congruum in ecclesia posuerunt.

Bononia.

De epistola S. Greg. ad Quiricum ceterosque in Iberia Episcopos. Baptizati in nomine Trinitatis non sunt rebaptizandi.

20. Ad Iberiæ Episcopos litteras quoque dedit, hoc anno S. Gregorius, a quibus consultus fuerat, num rebaptizandi essent, qui a Nestoriana hæresi ad catholicam redibant ecclesiam. Horum Episcoporum epistolam lator Hierosolymis rediens una cum aliis rebus perdiderat, de hac quæstione sic statuit S. Pontifex: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut quilibet apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris ecclesiæ revocentur*. Nestorianorum itaque baptismum non esse repetendum jubet, ac id tantum ab iis exigendum, ut Nestorium cum hæresi sua anathematizent, ac synodis quas ecclesia veneratur, & suscipit, ipsi quoque subscribant. Hæc epistola ad Hibernos inscripta erat; cum tamen nulla apud Hibernos Nestorianismi labes esset, Iberis eam datam fuisse jam constat, ut ab eruditis viris adnotatum est.

Gregorius Litanias in Sicilia fieri jubet.

21. Interea cum Longobardi adversus Imperium bellum instaurassent, ac Siciliam aggredi meditarentur, ad Episcopos Siciliæ S. Gregorius scribens, ut periculum averterent, admonuit, ac ut indictis Litaniis Dei iram placarent, his verbis excitavit. *Super afflictiones & gemitus, quos annosa hic continuatione de hostibus sustinemus, major nos metus excruciat, quod inimicos nostros omni adnisu ad Siciliæ invasionem cognoscimus festinare. Sed ne hæc illis molientibus prosperitatem multitudo nostrorum præbeat peccatorum, toto nos corde ad Redemptoris nostri remedia conferamus; & quibus resistere virtute non possumus, lacrymis obviemus. Nam quid vobis cavendum, quidve sit vehementius formidandum, ex illius provinciæ debetis desolatione colligere. Itaque hortor, fratres carissimi, ut omni hebdomada, quarta & sexta*

feria

feria litaniam inexcusabiliter indicatis, & contra barbaricæ crudelitatis incursus supernæ protectionis auxilium imploretis. Sed ut ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantius studendum est, ut voces actibus adjuventur. Nam inanis fit oratio, ubi prava est actio. Quia igitur quanto immane cernitis imminere periculum, tanto simul omnes in fletu debetis, & gemitu occupari, filios vestros a seculi perversitate, sacerdotali quamprimum adhortatione compescite. Discant injusta contemnere, & quæ Deo placita sunt, amare: ut illos possitis habere ad impetrandam divinæ misericordiæ gratiam adjutores. Ne si neglexeritis, actio eorum preces orationum superet, & sævientis inimici gladius (quod absit) resecet, quos monentis verba non corrigunt. Deus autem noster justus, & pius est, & sicut perseverantibus in pravitate districtus est, ita conversis misericors. Ad ipsum ergo tota mente contriti cordis ejulatione curramus, ab ipso ereptionis nostræ solatia postulemus. Quoniam benignus & mitis est, si nos a malis nostris emendatos sua viderit mandata diligere, & hic nos potens est ab hoste defendere, & futuro æterna nobis gaudia præparare.

De sollicitudine S Greg. pro salute æterna Venantii Patricii.

22. Maximam præterea in animarum salute procuranda sollicitudinem Gregorius omni tempore gessit, exemplo sit ejus epistola ad Venantium Patricium exmonachum data, qua eum monasticæ vitæ desertorem, ad agendam de peccatis pœnitentiam, accepta occasione ex doloribus podagræ, quibus angebatur, excitavit. *Debitum salutationis alloquium solvens, ea volui loqui quæ patior. Sed incongruum puto narrare quæ nostis, podagræ enim doloribus torqueor, qui & mihi, & vobis non dispariliter nocivi, dum apud nos vehementer excrescunt, nos decrescere a vita fecerunt. Inter quos quid aliud debemus, nisi semper delicta nostra ad memoriam revocare, atque Omnipotenti Deo gratias agere? Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgamur. Sciendum quoque est nobis, quia pœna præsens, si animum afflicti convertit, finis est culpæ præcedentis; si autem ad timorem Domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. Curandum igitur nobis est, & summopere in fletibus tota mentis conversione vigilandum, ne de tormento ad tormenta transeamus. Considerandum quoque est, quanta erga nos dispensatione pietatis agat, Conditor noster, quod morte di-*

dignos assidue percutit, & tamen adhuc minime occidit. Minatur enim quod facturus est, nec tamen facit; ut dolores nos praecurrentes terreant, & conversos ad timorem districti judicis ab ejus nos animadversione in vitae termino abscondant. Quis enim dicat, quis enumeret quanti in sua luxuria dimissi, in blasphemiis quoque, & superbia proruentes, in rapinis & iniquitatibus permanentes, usque ad diem obitus sui, ita in hoc seculo vixerunt, ut numquam dolorem, vel capitis paterentur, sed & subito percussi ignibus inferni sunt traditi? Nos ergo habemus indicium, quia derelicti non sumus, qui assidue flagellamur, teste scriptura, quae dicit: Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. &c. Cetera ad idem demonstrandum praeterimus, Barbaram deinde, & Antoninam Venantii filias salutat. Ad Venantium primo sui Pontificatus anno alteram scripserat epistolam Gregorius eumdem increpans, eo quod monasticum dimisisset habitum, atque ut ad vota sua rediret, hortatus est; quia vero surdo locutus fuerat, eadem charitatis officia, hoc anno renovavit; quem etiam Joanni Syracusano Episcopo, his verbis commendavit. *Vestra igitur Sanctitas, primam quam debet, curam negligere non debet; ut de anima ejus cogitare debeat, exhortando, rogando. Dei terribile judicium proponendo, ut ad habitum suum redire, vel in extremis debeat, ne ei tantae culpae reatus in aeterno judicio obsistat;* cui etiam Joanni Episcopo, ut filiarum ejus, & bonorum, quae fisci nomine periclitabantur commendat, ad filias vero Antoniam, & Barbaram de imminente Patris morte vehementer afflictas, consolatorias dedit epistolas, monens, ut in Deo fidentes, bono animo essent. *Nam post Deum, qui Orphanorum gubernator, ac protector est, sic de dulcissima gloria vestra erimus solliciti, atque utilitati vestrae providere, ut possimus adjuvante Domino festinabimus.* Defuncto deinde parente Venantio, aliis epistolis divinam adprecatur protectionem, earumdem propositum laudans Romam petendi, quas Joanni Episcopo, & Romano defensori commendavit; ad eas vero. *Vos autem dulcissimae Filiae, in ejus adjutorio spem vestram ponite, & sub umbra defensionis illius semper, & orando, & bene agendo, malorum hominum insidias declinate. Quaecumque enim humana solatia, vel adversitates fuerint, nulla sunt, nisi aut ejus gra-*

gratia protegat, aut ejus offensa perturbet. In nullo igitur hominum spem ponatis, sed totam mentem in fiducia Dei Omnipotentis adstringite. Nobis ergo dormientibus, ille vos proteget, de quo scriptum est: Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Psal. 120.4. *Quod autem ad Beati Petri Apostolorum Principis limina festinare vos dicitis, opto nimis, & æstuanti desiderio expecto, ut dignis meritis junctas vos in ejus Ecclesiam videam: quatenus & vos de me solamen aliquantulum, & ego de vestri præsentia non parvam lætitiam acquiram. Viro autem Reverendissimo fratri meo Joanni Episcopo, & Romano Defensori causas vestras studui commendare: ut quæ cœperunt, Deo auctore debeant perficere. Xenium autem vestrum duas racanas, quas de labore vestro esse mandastis, libenter accepi. Sed tamen cognoscite, quia non mihi mandatum credidi. Nam vos de labore alieno laudem quæritis, quia fortasse adhuc ad fusum manum numquam misistis. Nec tamen me res ista contristat, quia opto ut Sanctam Scripturam legere ametis; ut quamdiu vos Omnipotens Deus viris conjunxerit, sciatis qualiter vivere, & domum vestram quomodo disponere debeatis.* Hæc Gregorius Venantii, filiarumque ejus, animarum, corporumque curam gerens.

23. Hoc anno Reccaredus Hispaniarum Rex, relicto maximo sui desiderio, rebus humanis ereptus est, postquam regnasset, inquit Vulsa, annos quindecim, mensem unum, dies decem. Quare cum circa finem mensis Aprilis anni DLXXXVI. Regnum inierit, mense Junio mortuus est. Is leges Gothicas in compendium contraxit, Romanos multis præliis vicit, Gothorum imperium florentissimum reddidit, illudque Ariana hæresi purgavit. Refert Isidorus Reccaredum, Toleti morti proximum, pœnitentia publica, ex Christianorum veteri ritu fidem rectæ gloriæ, quam initio regni percepit, cumulasse, & *Liubam* filium ejus (qui tamen *Liuva* dicendus est) Era DCXXXIX. hoc scilicet anno ei successisse, ut habet Pagius hoc anno.

Reccaredus Rex Hispaniæ moritur.

24. Ante Reccaredum, in Cœlum abierat Sanctus Leander Hispalensis Episcopus, si fides habenda est Isidoro Fratri, & in Episcopatu successori, dum ait. *Floruit sub Reccaredo viro religioso, ac Principe glorioso, cujus etiam temporibus, mirabili obitu actualis vitæ terminum clausit.* At in Leandri epitaphio, cum Æra 641., quæ cum anno 603. concur-

S. Leandri obitus.

JESU CHR. AN. 601.

currebat obiisse legitur, quo anno eum ad Deum transiisse eruditorum plurimi scribunt; at cum Isidorus ejus frater sub Reccaredo Rege obiisse tradat, labentem annum, qui Reccaredo ultimus fuit, extremum quoque Leandro Episcopo fuisse dicimus. De eodem sanctissimo viro, cujus supra mentionem fecimus, nunc Isidori elogium addimus, quo opera ejus recensentur, his verbis. *Leander genitus Patre Severiano Carthaginensis Provinciæ Spaniæ, professione monachus & ex monacho Spalensis ecclesiæ Beticæ constitutus Episcopus, vir suavis eloquio, ingenio præstantissimus, vita quoque tantum, atque doctrina clarissimus, ut etiam fidei ejus, atque industria populi gentis Gothorum ab Ariana insania, ad fidem catholicam reverterentur. Hic namque in exilii sui peregrinatione composuit, duos adversus Hæreticorum dogmata libros, eruditione sanctarum scripturarum ditissimos, in quibus vehementi stylo Arianæ impietatis confodit, ac detegit pravitatem; ostendens scilicet quid contra eosdem habeat catholica ecclesia, vel quantum distet ab eis religione, vel fidei sacramentis. Extat & aliud laudabile ejus opusculum adversus instituta Arianorum, in quo propositis eorum dictis suas responsiones opponit. Præterea edidit unum ad Florentiam sororem de institutione Virginum, & contemptu Mundi libellum, titulorum distinctionibus prænotatum. Siquidem & in ecclesiasticis officiis idem non parvo elaboravit. In toto enim psalterio duplici editione orationes conscripsit. In sacrificii quoque laudibus, atque psalmis multa dulcisone composuit. Scripsit & epistolas multas; ad Papam Gregorium de baptismo unam; alteram ad Fratrem, in qua præmonet cuiquam mortem non esse timendam. Ad ceteros quoque Coepiscopos plurimas promulgavit familiares epistolas, etsi non satis splendidas verbis, acutus tamen sententiis. Floruit sub Reccaredo viro religioso, ac Principe glorioso, cujus etiam temporibus mirabili obitu actualis vitæ terminum clausit.* Ex tot operibus nil superest præter orationem in Toletana Synodo habitam, Librumque de virginum institutione, ac Mundi contemptu ad Florentiam sororem, quem publici juris fecit Holstenius in collectione Regularum. Leandri vero Epitaphium his verbis digestum exhibet Holstenius.

Isidorus de script. eccl. cap. 28.

S. Leandri vitæ compendium, & opera.

Apud Lab. tom. 5. concil. p. 1018.

Crux

Crux hæc alma gerit Sanctorum corpora Fratrum
Leandri, Isidorique, piorum ex ordine vatum,
Tertia Florentia Soror devota perennis,
Et posita amborum concors sic digna quiescit,
Isidorus medius disjungit membra duorum,
Hi quales fuerint, libris inquirito lector &c.

25. Interea cum iterum Romanos inter & Longobardos ageretur bellum, & quidem Romanorum perfidia excitatum, qui inita pacis pacta violaverant, Ariulphus Spoleti Dux hoc anno Longobardorum coacto exercitu, Romanos prope Camerinum aggressus vicit, ac fugavit. Hic porro, si vera narrat Paulus diaconus, etsi Gentilis esset, illustrem tamen de Romanis victoriam retulit, cui Sanctus Sabinus martyr in prælio, opem tulit: ita ut exigentibus id Romanorum peccatis, cum Hieronymo exclamare licebit: *Miseri Israelitæ, ad quorum comparationem Nabuchodonosor servus Dei dicitur: Infelices nos, qui tantum displicemus Deo, ut per rabiem barbarorum illius in nos ira desæviat.* Rem gestam his verbis narrat Paulus: *Ariulphus cum bellum contra Romanos in Camerino gessisset, victoriamque patrasset, requirere a suis hominibus cæpit, quisnam vir ille fuisset, quem in prælio, quod gesserat, tam strenue pugnantem vidisset. Cumque sui responderent, se illic nullum fortius bellantem, quam Ducem ipsum vidisse; ille ait: Certe multo per omnia, meliorem ibi alium vidi, qui quoties me adversa partis aliquis percutere voluit, me semper suo clypeo protexit. Cumque Dux ipse prope Spoletum, ubi basilica beati Martyris Sabini Episcopi sita est, in qua ejusdem venerabile corpus requiescit, advenisset: interrogavit cujus illa tam ampla domus esset. Responsum est ei a viris Fidelibus, Sabinum ibi martyrem requiescere; quem Christiani, quoties in bello contra hostes irent, præsidium haberent, ac eum propterea in suum auxilium vocarent, Ariulphus vero cum adhuc esset Gentilis, ita respondit: Et potest fieri ut homo mortuus aliquod viventibus auxilium præstet? Qui cum hoc dixisset equo desiliens, eamdem basilicam conspecturus intravit. Tunc aliis orantibus, ipse picturas ejusdem basilicæ mirari cæpit. Qui cum figuram beati Martyris Sabini conspexisset; mox cum juramento affirmavit, talem omnino eum virum, qui se bel-*

Ariulphus Spoleti dux Romanos prope Camerinum vincit.

Hieronym. epist. ad Heliodorum.

Jesu Chr. an. 602.

bello protexerat, formam habitumque habuisse. Tuncque intellectum est, martyrem Sabinum eidem in prælio adjutorem se contulisse. Hucusque de Ariulpho Paulus diaconus, hic tamen cum accepto muneri ingratum se gereret, eodem anno, quo Omnipotenti Deo, tamquam flagellum ad Christianorum Romanorum scelera punienda inserviit, & ipse flagellum expertus, e vivis eripitur, uti idem Paulus Diaconus narrat.

JESU CHRISTI AN. 602. GREGORII PAPÆ 13.
PHOCÆ IMP. 1. AGILULPHI LONGOBARD. REGIS 13.

Schismatici & hæretici ad ecclesiam redeunt.

1. Conceptum ex Longobardorum cladibus dolorem; uti & anno proximo cum Eulogio Alex. Episcopo conquestus fuerat S. Gregorius, aliquatenus lenivit Hæreticorum, & schismaticorum ad ecclesiam reditus. Eidem etenim Eulogio scribens narrat, quod Monophysitarum aliquos, seu Eutychianistarum Romam usque profectos, ibidem hæresim ejuraverant, quod ideo ad sua redeuntes, datis epistolis Eulogio commendavit: Eodemque tempore cum accepisset Sanctus Pontifex Firminum Tergestinæ ecclesiæ Episcopum in Istria, relictis Schismaticorum partibus, ad unitatem ecclesiæ rediisse gratulatoriam ei dedit S. Gregorius epistolam, qua eum hortatus est, ut scuto fidei armatus, adversariorum jacula sustineret, eique Sanctæ Sedis protectionem, & vitæ subsidia pollicetur: *Nobis ergo omnino curæ erit, de Fraternitatis tuæ quiete, ut dignum est cogitare: quia postquam nobiscum jam Deo protegente unus es, non aliter utilitates tuas quam nostras attendimus. Aliqua vero nobis de necessitatibus vestris Ioannes subdiaconus scripsit: sed credimus de Dei nostri potentia, quia Sanctus Petrus ad quem reversi estis, vos deserere non habet. Modo autem de benedictione ejusdem Sancti Petri transmisimus Fraternitati vestræ paraturam unam, quam vos necesse est cum ea charitate, qua a nobis est transmissa, suscipere; Mense Majo, Indict. quinta*; Quod Firmino prædixerat S. Pontifex, ejus scilicet constantiam terroribus, ac blanditiis schismaticorum tentandam fore, revera accidit. Nam Severus Episcopus Aquilejensis, Firmini conversione intellecta, infremuit, eumque in suas iterum partes trahere conatus est, at periclitanti Episcopo præsto fuit S. Gregorius Smaragdo Exarcho scribens, ut Firminum Episcopum ad ecclesiæ

clesiæ unitatem reversum, a Severi molestiis tueretur. *Olim novimus excellentissime fili, quo desiderio, quave contentione animi, pro adunanda Dei Ecclesia in Histriæ videlicet partibus, zelo Redemptoris nostri, amore æternæ mercedis, studii vestri fervor extiterit. Quod cum ita sit, ea quæ nobis de illis nuper sunt partibus nuntiata, ad vestram non destitimus perferre notitiam. Firminus siquidem Frater, & Coepiscopus noster Tregestinæ Antistes Ecclesiæ, ante adventum vestræ excellentiæ, salubri consilio ab schismate, quo inhæserat, resipiscens, atque ad unitatem matris Ecclesiæ rediens, nostris est epistolis confirmatus: quatenus in vero, quem cognoverat, sinu matris Ecclesiæ, fortitudine animi fixus ac stabilis permanet. Quo audito Severus Gradensis Episcopus, ejusdem caput schismatis, cum diversis primum cœpit, si posset, suasionibus a bono revocare proposito. Quod dum perficere, Deo auctore, minime valuisset, seditionem illi suorum Civium excitare non timuit. Quanta vero prædictus frater, & Coepiscopus noster Firminus ex eadem immissione pertulerit, plenius illic, ac veracius e vicino poteritis agnoscere. Directis itaque excellentiæ vestræ jussionibus tuis, qui in Histriæ partibus locum vestrum agere, Deo auctore, noscuntur, districtius jubetote: quatenus & sæpe dictum fratrem nostrum ab illatis debeant defensare molestiis, & quietem illius multis ad imitandum profuturam modis omnibus procurare, ut hac vestra provisio, & conversorum sit optata securitas, & occasio apta sequentium Excellentiam quapropter vestram, paterno salutantes affectu, petimus ut zeli vestri in hac causa olim exhibiti, nunc vehementius fervor incendat: tantoque vos contra hostes Dei vindices defensoresque reperiant, quanto apud Deum pretiosior est animæ, quam defensio corporis. Armet vos contra devios ipsa, quæ in vobis fidei viget rectitudo, redintegretur vestris temporibus, quod in illis est partibus scissum corpus Ecclesiæ. Habetis in hac causa retributorem vestri operis, rectitudinis ac integritatis auctorem. De divina namque miseratione confidimus, quod tanto exteriores hostes nostri valentiores vos contra se reperient, quanto vos inimici rectæ fidei, divino in se senserint amore terribiles.*

2. Redeuntes ad ecclesiæ unitatem schismatici, juramenti formulam recitabant, quæ olim libro 10. epistolarum S. Gregorii num. 31. legebatur, nunc vero post epistolas in appendice sub numero decimo; formula autem juramenti hæc erat

Promissio Episcopi ad ecclesiæ unitatem redeuntis.

JESU CHR. AN. 602. In append. ad epist. S. Greg. num. 10.

erat: *Quoties cordis oculus nube erroris obductus, supernæ illustrationis lumine fit serenus, magna cautela nitendum est, ne latenter auctor schismatis irruat, & ab unitatis radice eos, qui ad eam reversi fuerant, telo iterum erroris abscindat. Et ideo ego ille civitatis illius Episcopus, comperto divisionis laqueo, quo tenebar, diutina mecum cogitatione pertractans, prona & spontanea voluntate ad unitatem sedis Apostolicæ, divina gratia duce, reversus sum. Et ne non pura mente, seu simulate reversus existimer, sub mei ordinis causa spondeo, & anathematis obligatione, atque promitto tibi, & per te Sancto Petro Apostolorum Principi, atque ejus Vicario beatissimo Gregorio, vel successoribus ipsius, me unquam quorumlibet suasionibus, vel quocumque alio modo ad Schisma, de quo Redemptoris nostri misericordia liberante, ereptus sum, reversurum; sed semper me in unitate santæ Ecclesiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permansurum. Unde jurans, dico per Deum Omnipotentem, & hæc sancta quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo, & salutem gentium, atque illustrium dominorum nostrorum Rempublicam gubernantium, me in unitate (sicut dixi) Ecclesiæ Catholicæ, ad quam Deo propitio sum reversus, & communione Romani Pontificis semper, & sine dubio permanere. Quod si (quod absit) aliqua excusatione vel argumento ab hac me unitate divisero, perjurii reatum incurrens, æternæ pœnæ obligatus inveniar, & cum auctore schismatis habeam in futuro sæculo portionem. Hanc autem confessionem, promissionisque meæ chartulam notario meo cum consensu Præsbiterorum, & Diaconorum, atque Clericorum, qui me in hac unitate obligantes in suprascriptis omnibus prona simul voluntate secuti, atque propriis manibus subscripturi sunt, scribendam dictavi, & propria manu subscribens tibi tradidi. Acta in loco illo, die, & Consulibus suprascriptis. Subscriptio Episcopi. Ego ille Episcopus civitatis illius huic confessioni, promissionique meæ, prestito de conservandis suprascriptis omnibus sacramento, subscripsi.* Hactenus Episcopi promissio, ac juramentum, in qua notatu dignum est, nullam ab Episcopo, ad Ecclesiæ unitatem redeunte, synodi quintæ, aut condemnationis trium capitulorum mentionem fieri; ex quibus, uti alias admonuimus, constat Istricorum schisma, non in eo fuisse positum, quod tria non damnarentur

In quo consisteret Istricorum Schisma.

tur capitula, sed quod eorum communionem renuerent, qui ea condemnabant, eamdemque ob causam in Ecclesia schisma facerent. Aliam quidem fidei professionem, quam schismatici subscribebant, annalibus suis inseruit Baronius; qua synodus quinta probatur, at eam fidei professionem, non schismaticorum, sed eamdem fuisse, quam S. Gregorius, aliique Pontifices, post consecrationem suam, ad quatuor Patriarchas mittebant, adnotarunt eruditi viri Norisius, Pagius aliique.

3. Cum non minor pro hæreticorum, vel schismaticorum conversione, quam pro ecclesiæ disciplina tuenda, S. Gregorii sollicitudo esset, ac præcipue, ut sancta, & immaculata esset Episcoporum conversatio; Hinc cum accepisset Clementium Bizacenæ provinciæ Primatem variis criminibus obnoxium, vel saltem suspectum, ad ejusdem provinciæ Episcopos scripsit, ut in unum congregati, in ejusdem vitam inquirerent, nam ajebat; *Sicut laudabile discretumque est, reverentiam & honorem debitum exhibere prioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris est, si qua in eis correctione indigent, nulla dissimulatione postponere: ne totum, quod absit, corpus incipiat morbus invadere, si languor non fuerit curatus in capite. Ante multum siquidem temporis, quædam ad nos de fratre nostro Clementio Primate vestro perlata sunt, quæ cor nostrum non modico mærore transfigerent. Sed prementibus diversis tribulationibus, & maxime circumsævientibus hostibus, ea nobis non fuit spatium requirendi. Et quoniam ita sunt gravia, ut transiri indiscussa nullo modo debeant; Fraternitatem vestram his hortamur affatibus, ut cum omni sollicitudine, ac vivacitate, veritatis indagare substantiam multis modis debeatis; ut aut si ita sunt, ultione canonica resecentur: aut si falsa, fratris nostri innocentia diu sub nefandæ opinionis dilaceratione non jaceat. Unde ut non quis desidiæ torpor in requisitione sit, admonemus, ut non cujusquam personæ gratia, non favor, non blandimenta, vel quodlibet aliud quemquam vestrum, vel ad discutiendum, quæ nobis nuntiata sunt, molliat, vel a tramite veritatis excutiat: sed sacerdotaliter ad investigandam vos propter Deum veritatem accingite. Nam si quis in hoc aut piger esse, aut negligentem se præsumserit exhibere, dictis criminibus apud Omnipotentem Dominum se noverit esse participem, cujus zelo ad per-*

S. Gregorii epist. ad synodum Bizacenam de Clementio Primate. Greg. lib. 12. epist. 32.

Jesu Chr. an. 602.

perscrutandas subtiliter nefandi causas facinoris non movetur.

DeDonadeo diacono judicium.

4. Paulo ante a Donadeo Diacono in Numidia libellum supplicem acceperat S. Gregorius, quo se a Victore Episcopo iniuste depositum fuisse ajebat, at Victor juste eum ob fornicationem, gradu suo dejectum fuisse contendebat, ut litem componeret, ad Columbum scripsit S. Gregorius, ut cum Primate provinciæ in concilio convenientes, Donadei causam examinarent, ut si peccati reus Diaconus inventus esset: *In pœnitentia retrudatur, ut commissi flagitii vinculum, lacrymis possit absolvere.* Si vero iniuste damnatum fuisse probatum fuisset, in ipsum Episcopum pœna converteretur. Multæ quoque querelæ adversus Paulinum Tegessenum in Numidia Episcopum apud Gregorium delatæ fuerant, quod (scilicet) ecclesiasticos ordines per simoniam contulisset, ac in clerum suum, etiam in sacro ordine constitutos, sævisset, Hanc causam inter Episcopum, ejusque clerum judicandam detulit S. Gregorius ad Victorem Numidiæ Primatem, & ad Columbum Episcopum, quibus jussit, ut alios etiam Episcopos convocarent, ut una cum Hilaro Romanæ Ecclesiæ in Africa chartulario, seu in rebus agente: *Quatenus hæc omnia una cum eo salubriter Deo possitis adjuvante dirimere.*

De causa Paulini Tegessis in Numidia Episcopi.

Diocletianæ ecclesiæ Sanct. Gregorius providet.

5. His alias addimus Episcoporum causas ad Apostolicam Sedem delatas, quas S. Gregorius vicinioribus Episcopis delegavit. Inter eas Pauli Episcopi Diocletianæ Ecclesiæ, quem Joanni Episcopo Primæ Justinianæ, & Constantino Scodritano Episcopo commisit, damnatus fuerat Paulus *ob corporale peccatum*, & ab episcopatu depositus, in ejusque locum Numesion ordinatus fuerat, consentiente Joanne primæ Justinianæ Episcopo, & Primate. At Paulus secularium judicium auxilio fretus, Episcopium prædonis more ingressus, ablatisque violenter rebus ecclesiæ, Numesionem Episcopum summa cum iniuria, ac magno vitæ periculo ejecerat; at is Romam adveniens de vi sibi illata quæstus est apud Sanctum Gregorium, qui scripsit tum ad Costantinum Scodritanum Episcopum Pauli Metropolitam, tum ad Joannem primæ Justinianæ Primatem, ac Romanæ sedis vicarium, ut rebus sic se habentibus, Paulum, cogerent ad reddenda confestim omnia, quæ abstulerat, ac in monasterium ad agendam, ad obitum usque pœnitentiam relegarent; ut in S. Pontificis epistolis ad Paulum, & Joannem Episcopos datis videre

re est. Eodem tempore quo in luxuriosum ac contumacem Episcopum S. Gregorius vindictam exercuit, fratrum necessitatibus compatiens, cum accepisset Ecclesium quemdam seu Ecclesionem Episcopum, tanta inopia laborare, ut hiemali tempore frigore contabesceret, Perusino Episcopo scribens, hiemales vestes misit, ut eas Ecclesio traderet, *Fratrem & Coepiscopum nostrum*, ajebat, *Ecclesiam frigore omnino laborare cognovimus, pro eo quod hiemalem vestem non habebat: Et quia aliquid sibi a nobis petiit debere transmitti: Fraternitati tuæ ad hoc per latorem præsentium transmisimus amphimalum tunicam, vel pectoralem, ut a te ei debeant sine mora transmitti. Et ideo ad prædictum Fratrem nostrum sub omni illud celeritate stude transmittere; atque nobis hoc ipsum, quia transmiseris, tuis renunciare epistolis non omittas: sed ita fac, ut ad transmittendum (quia vehemens frigus est) moram aliquam minime facias.*

Jesu Chr. An. 602.

Greg. lib. 12. epist. 41.

Episcopo frigore laboranti S. Gre. succurrit.

6. Inter cetera Gregorii gesta, illud quoque memoria dignum est, quod pro restaurandis Basilicis SS. Apostolorum Petri, & Pauli, vetustate jam jam collabentibus, curam gessit, atque hoc anno Sabino Subdiacono, res ecclesiæ in Lucania, & Brutiis gerenti præcepit, ut iis in provinciis trabes ad id operis necessarias, easque ad mare advehendas curaret, unde navibus impositæ Romam deportarentur. Eademque de causa scripsit, & ad Arogem Ducem Beneventanum, rogavitque ut Sabino Subdiacono opem ferret. *Nos enim* (addit S. Gregorius) *promitimus quia dum res perfecta fuerit, dignum vobis Xenium, quod non sit injuriosum, transmittemus*, de eodem negotio duæ aliæ epistolæ agunt, quas ad Gregorium Exprxfectum, & ad Stephanum Episcopum scripsit.

S. Gregorii sollicitudo pro instaurandis basilicis SS. Apostolorum Petri, & Pauli.

Greg. lib. 12. epist. 20.

7. Morte Claudii Abbatis audita S. Gregorius ad Joannem Ravennatem Subdiaconum scribens, occasione accepta, recenset sua commentaria per Claudium Abbatem excerpta, quæ in pluribus vult corrigi, & iterum edi. *Præterea* (inquit) *quia idem carissimus, quondam filius meus Claudius, aliqua me loquente de proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptateuco audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo sensu, & stylo dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emenda-*

S.Gregorius commentaria sua a Claudio Abbate edita emendari jubet.

Jesu Chr. an. 602.

Sermones Greg. excepti emendari curat.

datius dictarentur. Quæ cum mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde in multis inutilius fuisse permutatum. Unde necesse est, ut tua experientia, omni excusatione, & mora cessante, ad ejus monasterium accedat, & convenire fratres faciat, ut sub omni veritate quantascumque de diversis scripturis chartas detulit, ad medium deducant: quas tu suscipe, & mihi celerrime transmitte. Hæc de exceptis per Claudium Abbatem: Alia vero occasione de libris a se scriptis, & editis ista subdit. *Illud autem, quod ad me quorumdam relatione perlatum est, quia Reverendissimus frater, & Coepiscopus meus Marinianus legi commentarios beati Job publice ad vigilias faciat, non grate suscepi: quia non est illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis, quam provectum generat. Sed dic ei, ut commenta psalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes secularium ad bonos mores præcipue informant. Neque enim volo, dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facile hominibus innotescere. Nam quia dilectissimæ memoriæ Anatolius Diaconus* (Apocrisarius fuit hic a Gregorio missus post Sabinianum Constantinopolim & ibi defunctus) *quærenti, ac jubenti Domno Imperatori librum regulæ pastoralis dedit; ægre suscepi: quem Sanctissimus frater, & Coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam linguam transtulit; & sicut mihi scriptum est, ei valde placuit: sed mihi valde displicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur &c.* Subdit de supplendis ex Romano codice, quæ decurtata, seu omissa in eo libro legerentur in codice Ravennate. Quod vero ad Claudii Abbatis successorem a monachis delectum Constantinum pertinet, rejecit illum sanctus Gregorius, eo quod, inquit, peculiaritati studeret, quodque scisset ipsum profectum esse in Picenum ad aliud, quod ibi haberet monasterium, solum, absque fratrum suorum aliquo teste. Sed de his hactenus.

Libros suos publice legi Gregorius prohibet.

De inventione S. Victoris martyris. *Aimonius lib. 3. c. 90. Fredegi c. 21. & 22.*

8. Ad gesta hujus anni addimus inventionem corporis S. Victoris Martyris, de qua apud Baronium anno 608. ex Sigeberto in chronico ad illum annum. Verum cum Fredegarius, & Aimonius eam anno sexto Theodeberti Regis contigisse narrent, & Fredegarius eodem anno, quo Phocas Imperium adiit; ad currentem spectare nos docent. Quomodo hæc contigerint ex Aimonio audi: *Beatus vero Enchbo-*

rhbonius Pontifex Maurianensis corpus S. Victoris, qui Soloduri, una cum S. Urso passus fuerat, hoc modo invenit: Quadam nocte in sua Civitate quiescentem revelatio divina per visum admonuit, ut surgens quantocyus, ad Ecclesiam, quam Sedeleuba quondam Burgundionum Regina in suburbano Genevensi construxit, iret. Ibi in medio Basilicæ designant locum, quo corpus Sanctum esset humatum. Cumque Episcopum Genevensem festinus adiisset urbem, assumptis secum Rustico, & Patricio Antistitibus, biduano peracto jejunio, nocte sequenti eo loci quo gloriosi Martyris quiescebant membra lux cœlestis apparuit. Tunc hi tres Domini sacerdotes, elevato quo tenebantur lapide, invenerunt Sanctum in arca argentea jacentem, cujus facies septempliciter, quam cujuslibet viventis hominis divino irradiata splendebat fulgore. Huic tam egregii Martyris inventioni interfuit Theodoricus Princeps, qui loco illi maximam portionem facultatis Vvarinchari contulit, quam ille (ut præfati sumus) eleemosynis delegaverat erogandam. Ad sepulchrum denique beatissimi Victoris, Christi potentia multa exinde miraculorum ostendit signa. Hæc de inventione S. Victoris martyris. Erat hic unus ex Thebeorum legione, cujus fit mentio in actis S. Mauritii, & sociorum apud Surium, & Bayletium.

Chaganus Romanos vincit, & captivos ducit.

9. Luctuosam nunc tragœdiam subdimus, qua Mauritius Imperator cum tota familia sua periit, ad cujus casum cum psalmista exclamare liceat; *& nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram*, ut rem altius repetamus, adnotandum est, cum Chagano Avarum Rege, seu duce bellum hoc tempore gessisse Mauritium Imperatorem, & quidem, ut fieri solet, varia fortuna. Interea cum Chaganus Commentiolum Romanorum Ducem, cum exercitu vicisset, multaque Romanorum millia in captivitatem duxisset; ac deinde Mœsiam, ac Thraciam excursionibus, cædibus ac rapinis vastasset, ut jam jam CPoli instare videretur, tanta ordinum omnium trepidatio fuit, ut Senatus rogaverit Mauritium, ut legationem ad Chajanum mitteret. Imperator vero Armazonem misit ad Chajanum cum multis muneribus. At ille ad Legatum dixit, Judicet Deus inter me, & Imperatorem Mauritium. Ego vero captivos ei reddo, per unam animam, unum numisma percepturus ab eo. Mauritius tamen eam pecuniam eidem dare recusavit. Quare Chajanus commotus furore omnes,

Jesu Chr. An. 602.

occidit, & ad propria rediit, cum quinquaginta millia aureorum pactis imposuisset.

Romanorum exercitus in Mauritium obmurmurat.

10. Impium sane ac detestandum Mauritii Imp. facinus, quo tot insontes perire passus est, quos vilissimo pretio redimere poterat, in eum ultus est Deus, clamante ad eum innocentium sanguine de terra, unde factum est, ut merito in se Ducum, & militum odium excitaverit, Exercitus vero Commentiolum proditionis postulavit; Inter accusatores Phocas eminebat, qui quasi jam diademate redimitus esset, audacter, impudenterque adeo allocutus est, ut ea de causa alapa percussus discesserit. Hinc tamen insidiarum, & perduellionis in Mauritium excitandæ occasionem Phocas sumpsit.

11. Nec imminentis stragis, quæ Mauritio Imp., ejusque familiæ instabat defuerunt præsagia. Nam in vita Theodori Siceotæ Eleusius Cœvus, & Siceotæ in vita socius narrat, quod cum vir Dei lucernam, quæ semper in sanctuario ardebat, extinctam vidisset, eam bis, & tertio accendi jussit, quæ tamen subito extinguebatur, primum quidem ad suos conversus fratres, qui in Monasterio erant, nunquid grave aliquid peccatum commisissent, unde iram Dei promeruerint, sollicite quæsivit; Cumque illi nullius culpæ conscios esse respondissent, ad obsecrandum Deum accessit, ut sibi rem indicaret. Re autem ei divinitus patefacta cum gemitu dicere cœpit. Vere tu Isaias naturam hominis expendisti, cum diceres: *Omnis homo fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni: aruit fœnum, & flos ejus decidit*. Et cum hæc loqueretur, fratres rogabant eum, ut rem clarius patefaceret. Quibus cum præcepisset, ut rem nemini indicarent, prædixit eis, quo mortis genere Mauritius Imperator esset interiturus. Fratribusque merito id illi eventurum respondentibus ob ea, quæ improbe gessisset: sic ipse quidem, filii inquit, Theodorus, morietur Mauricius, sed post eum multo deteriora contingent, quæ hæc ætas non expectat. Alias etiam de Mauritii interitu prædictiones narrant Nicephorus, & Cedrenus.

Maur. male sibi conscius pœnas hic exoptavit.

12. Mauritio etiam a quodam occidendum esse, cujus nomen ab his litteris PH incipiebat, revelatum fuisse narrant Cedrenus, & Zonaras, ob quam rem Philippicus cognatus ejus præ ceteris in suspicionem venit; ac tandem a Phoca obtruncandum se esse didicit. Unde cum ultimum sibi diem instare didi-

didicisset; *Libellos supplices scripsit ad omnes Patriarchas, & Monachos in omnia monasteria, etiam Hierosolymam misit, ut a Deo peterent, ut ipse de peccatis admissis in hac vita, & non in futura pœnas lueret. Quin & in Philippicum impegit sororis suæ maritum, suspicatus ab eo cædem sibi parari, ex vaticinio quodam, quo significatum esset, ab PH. esse cavendum. Cæterum Philippicus innocens juramentis modis omnibus apud eum se purgare non destitit. Mauritius autem, cum pro ipso ubique viri pii Dominum precarentur, quadam nocte in somnis ejusmodi visum vidit: nempe astare se ante Salvatoris imaginem in Palatii porta ærea collocatam, atque una simul multam turbam captivorum ipsum ad Dominum accusantium. Tum ipsum Judicem jubere Mauritium causam dicturum sisti. Sicque a Satellitibus correptum, & in porphyretico umbilico ibi posito constitutum; ab eodem Jesu Christo Domino interrogatum fuisse, ubinam sibi pœnas rependi vellet, in hac scilicet, vel futura vita? Ipse autem Mauritium ita respondisse: Domine benignissime, juste Judex, hic malo potius, quam in altera vita. Nec mora, statim jussum esse, ut cum uxore sua, & liberis, totaque familia Phocæ militi trucidandus daretur. Expergefactus, statim accubitorem suum misit, qui Philippicum ad se perduceret. Cum autem vocari se nocte Philippicus cognovisset, qui jam antea se scisset in suspicionem apud Imperatorem adductum, de se actum putavit: quamobrem antequam ad ipsum Imperatorem accederet, Sacram Eucharistiæ communionem accepit, & abiit, uxorem Gordiam nomine relinquens ejulantem, sacco cinereque conspersam, dolorem immensum, quo angebatur præseferentem: Ut autem ad Imperatorem Philippicus venit, sese ad ejus pedes stratus advolvit. Sed Imperator, accubitore foras exire jusso, ipse ad Philippici pedes accidit, dicens: Ignosce mihi, frater, quas tibi innocenti calumnias tribui. Suspicabar quidem te meæ vitæ insidias moliri, sed jam te innocentem cognovi. Hortor autem, ut dicas mihi, si quem Phocam militem in exercitu nosti. Novi, ait ille, quemdam, qui pridem ab exercitu missus, cum tua majestate jurgavit. Quærenti autem Mauritio, quo ille præditus esset ingenio: respondit, hominem esse timidum, & crudelem. Tum Imperator: si timidus est, inquit, homicida est. Narravitque Philippico insomnium.* Subdit vero de comete, quæ apparuit, gladii formam habente, qui quasi lingua cœlestis, quæ essent eventura prædiceret.

Philippicus in suspicionem adductus liberatur

JESU CHR. AN. 602.

Post hæc vero quid referret legatio ad sanctos viros missa, sic breviter narrat. *Postridie Magistrianus, quem ad hoc ablegaverat Mauritius venit a Sanctis hoc responsum ferens: Probat Deus conversionem tuam, & animæ salutem concedit, teque totamque familiam tuam collocat inter electos, sed Imperii cum dedecore jacturam patieris. Quibus auditis, Mauritius Deo laudes, & gratias dedit.*

Phocas creatur Imperator.

13. Interea accidit ut Petrus Mauritii germanus, litteras Imperatoris jussu ad exercitum mitteret, quibus jubebat, ut trajecto Istro, milites ibidem hyemarent. Quod cum audisset exercitus, commotus vehementer, seditionemque faciens, de novo creando Imperatore tumultuose agere cœpit, ac militem Phocam Centurionem acclamantes, Imperatorem salutarunt. Ubi autem ista innotuere Petro, mox Byzantium veniens, certiorem de his reddidit Imperatorem: qui jam adventare sentiens hostem, navem conscendit cum liberis & uxore: sed tempestate repulsus, vix periculum evasit, delatus ad Sanctum Autonomum, ibique podagræ doloribus correptus mansit. Qui vero Constantinopoli erant Prasinianæ factionis, occurrentes Phocæ eumdem Imperatorem salutarunt, persuaseruntque, ut in Hebdomon veniret. Inter hæc accidit, ut a populo adversæ partis, Theodosius filius Mauritii Imperator diceretur. His Mauritius adversatus est. Germanus autem sibi timens in Deiparæ, Cyri dictum, templum aufugit: quem cum inde abstrahere milites vellent, tutatus est eum populus. His gestis ait chronicum Alexandrinum: *Mauritius Tiberius cum uxore Constantina, & novem liberis, sex maribus nempe Theodosio, Tiberio, Petro, Paulo, Justino, & Justiniano, & tribus virginibus, Anastasia, Theotiste, & Cleopatra, vigesimo secundo mensis Novembris de nocte, illucescente jam die 23. feria 6. fugit*; longius vero doloribus podagræ vexatus abire non potuit, sicque paulo post cum tota periit familia.

Phocæ inauguratio.

14. Interea cum Phoca CPolim propinquasset, Theodorum a secretis misit, ut Patriarcham, ac Senatum ad Hebdomnm ad sui inaugurationem, & coronationem convocaret, quo cum omnes advenissent, Cyriacus Constantinopolitanus Episcopus ab eo fidei confessionem petiit; qua ab Imperatore facta, cum ecclesiæ privilegia, se quoque servaturum esse promisisset, in ecclesia Sancti Joannis apud Hebdomum, Novembris die 23. feria sexta Imperatoriis insignibus ornatus est Pho-

Phocas, ac cum ibidem ad primam usque feriam moratus esset, per Auream, & Throadesias porticus, mediamque urbem usque ad palatium nemine resistente, sed cunctis plaudentibus, curru vectus, in Regiam transiit, ac die sequenti Leontiam uxorem Augustam duxit; cum vero tunc temporis Prasinos inter, & Venetos tumultus exortus esset, ut tumultuantes reprimeret, Alexandrum Phocas misit, qui Cosmam quemdam Venetorum Præfectum contumelia affecit. At is id ægre ferens dixit: *Abi, disce modeste agere, Mauritius vivit.* Hoc dicto Phocæ sævitiam excitavit, qui missis satellitibus Mauritium cum uxore, & octo liberis in æde S. Antonomi comprehendit, atque in Eutropii portum adduci jubet, ibique Mauritium occidi jussit, cum primum filiorum Tiberii, Petri, Justini, Justiniani cædis spectator effectus esset illud davidicum usurpans, *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Unde vix aliud in omnibus historiis occurrit exemplum, quo quis iniquiorem fortunam sit expertus, aut constantius toleraverit, maxime si verum est, quod addit Zonaras: *Quod cum ultimum filiorum adhuc lactantem nutrix suffurata; ne Mauritii familia funditus deleretur, suum filium ad necem obtulisset, id ille non passus est, sed suum offerri jussit, deinde & ipse magno animo jugulum carnifici præbuit.* Periit die 27. novembris feria tertia cum regnasset annos viginti, menses tres, dies aliquot, ætatis circiter 63. Non defuere in Mauritio Imperatore virtutes, fidem etenim, & religionem catholicam semper coluit, Templa nonnulla ædificavit, quibus ecclesia apud Tarsum in honorem B. Pauli, & quam Tiberius incœperat in honorem Sanctorum quadraginta Martyrum absolvit. Viros etiam doctrina, & eloquentia præditos coluit. Vitia vero sua, a quibus immunis non fuit, insigni pœnitentia mortis tempore detersit. Virtutes ac vitia Mauritii Imperatoris non tacuit Theophylatus Simocata in sua historia, quam in publicum dedit extremis Heraclii Augusti temporibus circa annum 628.

Mauritius cum filiis occiditur, ejus constantia. *Psalm.* 118. *vers.* 137.

Mauritii Imp virtutes, & vitia.

15. Neque in sola Mauritii Imp. familia stetit Phocæ crudelitas, quin in quamplurimos alios sævviit: *Interfecti sunt*, ait chronicon Alex. *in Diadromo ad Acritam Constantinus Lardis, ex Præfecto factus prætorio Logothetes, & curator Ormisdi, Filius præterea Mauritii Theodosius*, (hic in societatem imperii assumptus erat, qui intercœptus dum fugam

Phoca in alios sævit.

Jesu Chr. an. 603.

gam ad Chosroem Persarum Regem maturaret, post paucos elapsos dies ipse quoque periit, ut narrat chronici auctor) *Commentiolus Patricius, & Militiæ præfectus, cæsus est trans urbem, ad sancti Canonis prope mare, & corpus ipsius a canibus devoratum est*. Illudque ad hæc addidit, inhumanum, & Phocæ ingenio dignum, dum defunctorum Principum capita in campo juxta tribunal insepulta jacuere, donec ob fœtorem sepulturæ mandarentur. Cæteri qui supererant ex familia Mauritii Phocæ crudelitatem non evaserunt; quorum funera una serie prosequimur; indictione 6. quæ annum 603. indicat Constantina Augusta Mauritii vidua monasterio includitur. Philippicus Patricius, & Germanus Theodosii socer inter clericos adscribuntur. Anno 605. Costantina in portu Eutropii ad Chalcedonem capite plectitur, ut uxori cum marito in eodem loco commune esset supplicium. Neque infelicis Augustæ filiabus pepercit. Anastasia, Theotista, & Cleopatra, una cum filia Germani, quæ fuit conjux Theodosii, ipseque Germanus cum illis sublatus est. Constantina cum filiabus in Ecclesia Mamantis martyris sepulcrum invenit. Isque hujus tragediæ finis fuit. De Phoca ejusque gestis suo loco sequentibus annis dicemus, cum hæc mense Novembri currentis evenerint. Qua ratione Phocam Imperatorem S. Gregorius laudibus celebraverit, dum imagines ejus Romam delatæ sunt, anno sequenti dicturi sumus.

JESU CHRISTI An. 603. Gregorii Papæ 14. Phocæ Imp. 2. Agilulphi Longob. Regis 14.

Icones Imperatoris Phocæ cum honore Romæ exceptæ.

1. Hoc Christi anno tertio supra sexcentesimum, mense Aprili Romam allatæ sunt imagines Phocæ Imp., & Leontiæ Augustæ uxoris ejus, quas cum acclamationibus Romani exceperunt. Quare ut narrat Joannes Diaconus. *Jussit ipsam iconem Dominus beatissimus, & Apostolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio S. Cæsarii martyris intra palatium*. De hoc more mittendi per provincias Icones Augustorum, quæ Lauratæ dicebantur, hæc in synodo Nicæna secunda, tamquam ex Optato exscripta, leguntur in epistola Adriani Pontificis: *Lauratis Iconibus, quæ mittuntur ad civitates, & regiones, obvii eunt populi cum cereis, & in-*

& incensis, non cera perfusam tabulam, sed Imperatorem honorantes. At de his lege epistolam primam Gregorii Papæ secundi ad Leonem Isauricum, ubi de hoc ritu sermo habetur.

S.Gregorius a columniis vindicatur.

2. Antequam ultra progrediatur oratio, S. Gregorii fama, ab obtrectatorum calumniis vindicanda est, cui Basnagius in crimen tribuit, eo quod Phocæ tyranni imagines in Oratorio Sancti Cæsarii martyris collocare fecerit. Unde adnotat: *Hem Phocæ carnificis imaginem, inter martyres summi Pontificis manu collocatam. Hæccine fecisset illustris ille Ambrosius, qui Theodosium privatorum dumtaxat sanguine madentem, sacris admittere noluit*. Hanc calumniam catholicis Donatistæ olim imposuerant, quod Paulus, & Macharius Imperatorum imagines sacrificii tempore in altari collocassent. At falso eos rumore nisi Optatus Milevitanus demonstravit. Eodemque calumniandi spiritu ductum, ea in Gregorium adnotasse Basnagium facile probamus. Nam si quis Romæ videret, ut passim accidit, in ecclesiis, cum festum aliquod celebratur, si videret, inquam Summi Pontificis imaginem, cum imagine Cardinalis titularis, aut protectoris ecclesiæ hinc inde a lateribus Altaris pendere, ac diceret, ex Summi Pontificis, aut Cardinalis alicujus imagines, inter Imagines Sanctornm locatas, ac fidelium venerationi expositas, verissime sic dicenti responderetur, calumniaris impudentissime; non enim Pontificis, Regis, aut Cardinalis imagines locatæ ibidem sunt, ut una cum Sanctorum martyrum, vel confessorum imaginibus, venerationi fidelium sint, sed tantum uti indicio & signo quod eo loco Pontifex, Rex, aut Cardinalis potectionem habet, aut jurisdictionem exercet, sic quoque Gregorius Phocæ quidem imaginem in templo S. Cæsarii collocari jussit, ut populus Romanus ibidem congregatus obsequium, & obedientiam novo Imperatori exhiberet; numquam vero, ut eam, quam martyribus venerationem præstabat, Phocæ Imperatori tribueret Hæc facile Basnagius videre poterat, nisi eum calumniandi prurigo obcœcasset.

Altera de laudibus Phocæ Imp. tributis calumnia diluitur.

3. Gravior adhuc adversus Sanctum Pontificem ex laudibus Phocæ Imperatori in sua epistola tributis calumnia adstruitur, ac gravissimo assentationis crimine vapulat. Unde iterum Basnagius. *Atque nullum in Episcopo vilius, nulla*

JESU CHR. AN. 603.

la pestis major est, quam sceleratorum adulatio, blanditiei assentatio, Gregorianæ famæ macula hæc est, quod nulla umquam deteret oblivio; his vero similia adversus Gregorium adnotant Caveus, & Odinus locis supracitatis. Antequam Gregorium ab illata calumnia vindicemus, epistolas Phocæ Imperatori, scriptas exhibemus. Ad Phocam itaque de adepto Imperio his verbis gratulatur, *Gloria in excelsis Deo, qui juxta quod scriptum est immutat tempora, & transfert regna: & quia hoc cunctis innotuit, quod per Prophetam suum loqui dignatus est, dicens*: Quia dominatur excelsus in regno hominum, & cui voluerit ipse dat illud. *In Omnipotentis quippe Dei incomprehensibili dispensatione alternatim vitæ mortalis sunt moderamina; & aliquando cum injustorum multorum peccata refrænanda sunt, unus erigitur, per cujus duritiam tribulationis jugo subjectorum colla deprimantur: quod in nostra diutius afflictione probavimus. Aliquando vero, cum misericors Deus mœrentium multorum corda sua decrevit consolatione fovere, unum ad regiminis culmen provehit, per cujus misericordiæ viscera in cunctorum mentibus exultationis suæ gratiam infundit. De qua exultationis abundantia roborari nos citius credimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad Imperiale fastigium pervenisse gaudemus. Lætentur cœli, & exultet terra, & de vestris benignis actibus universæ Reipublicæ populus nuncusque vehementer afflictus hilarescat. Comprimantur jugo dominationis vestræ, superbæ mentes hostium. Releventur vestra misericordia contriti ac depressi animi subjectorum. Virtus cœlestis gratiæ inimicis terribiles vos faciat, pietas subditis benignos. Quiescat felicissimis temporibus vestris universa Respublica, prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus propriis secura professio, ut sine timore habere se gaudeat, quæ non sunt eis fraudibus acquisita. Reformetur in singulis sub jugo imperii vestri libertas sua. Hoc namque inter Reges gentium, & Reipublicæ Imperatores distat, quod Reges gentium Domini servorum sunt, Imperatores vero Reipub., domini liberorum. Sed melius hæc orando, quam suggerendo dicimus. Omnipotens Deus in cuncta cogitatione, & opere cor vestræ pietatis suæ gratiæ manu teneat, & quæque juste, quæque clementer agenda sunt, inhabitator vestri pectoris*

Greg. lib. 13. epist. 31.

Spi-

Spiritus Sanctus benigne disponat: ut de temporali regno vestra clementia, post multorum annorum curricula ad cœlestia regna pertingat.

4. Cum itaque omnium ordinum consensu in Oriente æque ac in Occidente Phocas Imperium obtinuisset, ac Imperii sui initio, maximam in omnes tum clementiam, cum liberalitatem se se exhibiturum præseferret, Gregorio Pontifici nil reliquum erat, nisi ut cum eo de adepto gratularetur Imperio, ac meliora imposterum tempora futura peroptaret; Hinc ut de adepto Imperio gratularetur; ab hymno *Gloria in excelsis Deo* epistolæ suæ initium fecit; qua formula in rebus prosperis uti solebant christiani usque ad tempora Lodovici, pii, cum ejus loco hymnus *Te Deum laudamus* usurpari cœptus est, ut ad dictam S. Gregorii epistolam adnotat Gassumvilleus deinde cetera addit, quibus se Reipublicæ meliora tempora exoptare indicat his verbis. *Comprimantur jugo dominationis vestræ superbæ mentes hostium, Releventur vestra misericordia contriti, ac depressi animi subjectorum: Cessent testamentorum insidiæ &c.* Unde in his adulationis vestigium nullum est, quasi post præteriti temporis acerbitatem, meliora Gregorio tempora exoptare non liceret, aut etiam qua ratione Rempublicam administrare deberet, Phocam admonere. Nec Gregorio crimini tribuendum est, quod dum calamitates præteriti temporis stilo suo exposuit, Mauritii Imperatoris famam læsit. Inprimis etenim Mauritii nomen subticens, ejus famæ pepercit, ac potius in ejus administros culpam transtulit. Nec causæ deerant, cur de ipso Mauritio conquereretur, & ut immane taceamus facinus, quo præclaras dotes deturpavit, cum ingentem captivorum multitudinem jugulari maluit, quam exigua pœcunia a Chagano taxata redimere; Certum est Exarchos in Italiam ab eo missos, ut reliquias Imperii illic adversus Longobardos tutarentur, per impotentiam, & avaritiam, majora, quam hostes damna Italis attulisse: Si quid ergo durius (dissimulato Mauritii nomine), ad Phocam scribens, aut ad Leontiam habet de ferreo jugo subditis imposito, non iniustis querelis demortui Imperatoris famam obscurare voluit, sed potius novi Imperatoris animum ad misericordiam, & clementiam inflectere. Hinc ad Phocam *releventur vestra misericordia contriti, ac depressi animi subjectorum, & epistola altera Domino*

Qua ratione S. Gregorius Phocam laudaverit.

lib. 13. ep. 31. 38. 39.

Jesu Chr. an. 603.

mino laudes debemus, quod remoto jugo tristitiæ, ad libertatis tempora sub Imperiali benignitatis vestræ pietate pervenimus, Ad Leontiam vero Augustam, *Deo gratias debemus, quod tam dura longi temporis pondere cervicibus nostris amota sunt, & imperialis culminis lene rediit jugum.* Quippe in ipsis Imperii primordiis clementiam in subditos, ac liberalitatem summam ostendebat Phocas; ficte quidem; ut exacerbatos ex decessoris sui tum avaritia, tum immanitate, sibi conciliaret animos. At non divinabat S. Gregorius mores ejus brevi in pejus mutatos iri, & Phocam postmodum obscenis se libidinibus mancipaturum, ac Optimatum cruore satiaturum; etsi hæc fortasse futura prævidit, de præsenti rerum statu, non de futuro loqui debuit; Atque hæc pro Gregorii defensione satis sint, nunc ad historiam redimus.

S. Gregorius Bonifacium apocrysarium ad Phocam mittit.

5. Anno 601. Apocrysarii munere CPoli adhuc Anatolius agebat, ut Gregorii epistola sub indictione quarta ad eum data testatur; qua occasione, aut tempore inde abscesserit, ignoratur. Hoc unum constat, nullum ibidem Romanæ Sedis Apocrysarium fuisse, cum Phocas Imperium adeptus est, quod cum eidem ingratum contigisset, ut quamcito alter mitteretur, Phocas datis ad Gregorium litteris rogavit. Quare S. Pontifex Bonifacium Diaconum ad eum misit, cui has ea occasione dedit epistolas, quibus Imperatorem admonet, ut temporum acerbitati adscriberet, quod hactenus Apocrysarium mittere distulisset. *Considerare*, inquit, *cum gaudiis, & magnis actionibus gratiarum libet, quantas Omnipotenti Domino laudes debemus, quod remoto jugo tristitiæ, ad libertatis tempora sub Imperiali benignitatis vestræ pietate pervenimus. Nam quod permanere in palatio juxta antiquam consuetudinem Apostolicæ Sedis Diaconum, vestra serenitas non invenit, non hoc meæ negligentiæ, sed gravissimæ necessitatis fuit: quia dum ministri omnes hujus nostræ Ecclesiæ contrita asperaque tempora cum formidine declinarent, atque refugerent, nulli eorum poterat, ut ad urbem regiam in Palatio permansurus accederet. Sed postquam vestram clementiam, Omnipotentis Dei gratia disponente, ad culmen imperii pervenisse cognoverunt: ipsi quoque suadente lætitia, ad vestra vestigia venire festinant, qui prius illuc accedere valde timuerant. Sed quia eorum quidam, ita senectute sunt debiles, ut laborem ferre vix possint, quidam Eccle-*

Ecclesiasticis curis vehementer implicantur: & lator præsentium, qui primus omnium Defensor fuit, bene mihi ex longa assiduitate compertus est vita, fide, ac moribus approbatus: hunc aptum pietatis vestræ vestigiis judicavi. Unde eumdem, auctore Deo, Diaconum feci, & sub celeritate transmittere studui, qui cuncta quæ in his partibus aguntur, invento opportuno tempore, valeat clementiæ vestræ suggerere. Propter quod rogo, ut serenitas vestra pias aures inclinare dignetur, ut tanto nobis velit celerius misereri, quanto afflictionem nostram verius ex ejus relatione cognoverit. Qualiter enim quotidianis gladiis, & quantis Longobardorum incursionibus: ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere vocibus suggestionis valemus. Sed in Omnipotenti Domino confidimus, qui quæ cœpit consolationis suæ nobis bona perficiet: & qui suscitavit in Republica pios Dominos, etiam extinguet crudeles inimicos. Sancta itaque Trinitas vitam vestram per tempora longa custodiat, ut de bono vestræ pietatis, quod tarde suscepimus, diutius gaudeamus. Hic porro Bonifacius CPolim missus, post Sabinianum, Gregorii successorem Pontifex, fuit, quem datis litteris Cyriaco Episcopo commendavit; epistola vero altera Leontiam Augustam multis exornat laudibus, eique Romanam ecclesiam commendat, cujus dignitatem, utpote a Beato Petro fundatam exponit, ut ibidem videre est.

JESU CHR. AN. 603. Aliæ Gregorii epist. ad Cyriacum, & ad Leontiam Aug.

6. Vix quintum ab inito Imperio mensem excegerat Phocas, cum Litteras ad Chosroem Persarum Regem, per Lilium familiarem suum, qui etiam Mauritii cædem patraverat, misit: quibus ad Imperialem dignitatem conscendisse se significabat. Ille vero ira accensus ob Mauritii cædem, pacta cum Romanis fœdera rupit, eaque de causa Persicum bellum exortum est, quo Persæ Syriam, Palæstinam, Phœnicem quoque subegere ditioni suæ, Armeniam etiam, & Cappadociam, Galatiam, & Paflagoniam adjecere. Quin impetu, facto, ad ipsam usque Chalcedonem, quæ ex adverso Byzantio sita est, advenere. Ex altera vero parte Avares Europam, omnia vastantes percurrerunt, & cædes plurimas patraverunt. Eadem fere narrat Theophylatus, his verbis. *Chosroes belli causam, & invitamentum sibi Phocæ tyrannidem sumens, illud orbi exitiosum classicum cecinit, quod Romanorum, Persarumque fortunas afflixit. Visus est enim plane Chosroes tueri, & asse-*

Romanorum cum Persis bellum instauratur.

Jesu Chr. An. 603.

asserere velle sanctam Mauritii memoriam. Theophanes vero addit, fama vulgatum fuisse, Theodosium Mauritii filium fuga evasisse, quam Chosroes: *Variis mendaciis in id confictis pro libito auxit; Theodosium penes se habere simulans, seque subinde procurare, ut paternum reciperet Imperium: cum revera ipse de occupando Romanorum imperio cogitaret; quemadmodum se ipsum variis demum modis prodidit, bella maxime ex improviso in Romanos inferendo, eorumque ditiones fœde diripiendo*. Hoc itaque anno dirissimum Romanos inter, & Persas, bellum exortum est, quod per plures annos prorogatum, utrique Imperio excidium attulit.

Gregorii epist. ad Eusebiam de Mundi contemptu.

7. Dum his tumultibus agitaretur Orientale Imperium, perbrevem quidem S. Gregorius ad Eusebiam Patritiam epistolam dedit, sed sapientiæ sale conditam, qua eam hortatus est, ut ad cælestia Regna animam mentemque erigeret. *Etsi occupata mens vestra divitiis, aut fortasse regiæ civitatis tumultuosis implicationibus, nos per epistolas suas visitare postponit: nostrum est tamen etiam adversa filiorum corda dulci charitate prosequi, eaque ad benignum animum, & admonendo & orando revocare: Unde nunc debitum salutationis alloquium solvens, bortor, ut excellentia vestra a Civitatis illius superfluis tumultibus animum avertat, plusque ea, quæ animæ, quam quæ sunt corporis cogitet. Transitoria esse omnia perpendat. Venturi Judicis examen tremendum cum metu, & lacrymis quotidie sine cessatione consideret: illumque diem, in quo perturbanda sunt omnia, cum timore ad animum reducat, ut iram Judicis in ipso jam die non timeat. Omnipotens autem Deus hæc vestris cogitationibus aspiratione sui spiritus infundat, vosque & hic cum nobilissimo conjuge vestro, & tranquille vivere, & de Domni Strategii salute gaudere faciat, atque post longa tempora, ad æterna præmia pervenire concedat*.

Gregorii epist. ad Eulogium Alex. Episc.

8. Cum vero in Italia bellum quoque Longobardos inter, & Romanos instauratum esset, quot inde mala secuta sint, S. Gregorius Eulogio Alex. Episcopo scribens, his verbis narrat. *Rogo ergo, ut pro me peccatore enixius oretis, quia & dolor corporis, & amaritudo cordis, & immensa vastitas mortalitatis, inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalem, sed æternam consolationem requiro, quam per me impetrare non valeo*,

leo, sed intercessione vestræ beatitudinis, hanc me obtinere confido. Quia vero audierat Eulogium oculorum morbo laborare, pro medicina Crucem misit: *In qua de catenis Apostolorum Petri, & Pauli inserta erat benedictio, quæ oculis vestris (inquit) assiduè superponatur, quia multa per eamdem benedictionem fieri miracula consueverunt*. Alia autem epistola Eulogium arguit, eo quod in ejus ecclesia Simoniæ vitium serpere acceperat. *Quadam die dum inter me, & familiares meos de consuetudinibus ecclesiarum sermo fuisset exortus, quidam, qui in magna civitate Alexandrina medicinalis artis erat imbutus, collectorem se apud sophistam suum habuisse perhibuit, summæ pravitatis puerum, quem repente dixit esse Diaconum ordinatum. Atque addidit, quod per præmia, & dationes ordinatus fuisset, quia eamdem consuetudinem in Sancta Alexandrina Ecclesia convaluisse fatebatur. Quod ego audiens obstupui, & valde miratus sum: quia Sanctissimi, ac beatissimi viri domni Eulogii lingua, quæ tam multos hæreticos ad fidem catholicam revocat, simoniacam hæresim de Sancta Alexandrina Ecclesia non erasit. Et quis erit cujus exhortatio, vel correctio hoc poterit emendare, si magna, & admirabilis doctrina ejus, hoc sine emendatione reliquerit? Unde pro absolutione animæ vestræ, pro augmento mercedis vestræ, ut ante tremendi oculos Judicis vestra in omnibus perfecta sint opera, festinare debetis simoniacam hæresim, quæ prima in Ecclesia orta est, a sanctissima Sede vestra, quæ nostra est, funditus evellere, atque eradicare. Propter hoc etenim contigit, ut Ecclesiasticorum ordinum a plurimis sanctitas caderet: quia personæ non pro vita, & actibus, sed pro præmiis ad eos ordines adducuntur. Si autem morum merita, & non præmia quærantur, ad ordinationem personæ indignæ non venient. Et tanto plus incipiet vobis merces accrescere, quanto boni quique, qui adducti ad sacros ordines fuerint, de animarum lucris studuerint cogitare*.

JESU CHR. AN. 603.

9. Quanta autem ex podagræ doloribus, vel ex urbis & Italiæ calamitatibus pateretur S. Gregorius, his verbis exprimit: *Ego autem in tanto gemitu, & occupationibus vivo, ut ad dies quos ago, me pervenisse pœniteat, solaque mihi consolatio sit mortis expectatio. Unde peto ut pro me debeatis orare: quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis doloribus diutius torquear*. Eadem narrat Philippo Presbytero scri-

Gregorii epist. ad Rusticianam de malis quibus affligebatur.

JESU CHR. AN. 603.

Greg. lib. 13. epist. 22.

Greg. lib. 13. epist. 29.

2. ad cor. 1.

S. Greg. aliorum orationibus se commendat.

scribens hoc anno, ad quem quinquaginta solidos misit. Deinde: *Vos igitur pro me, sicut credo quia facitis, enixius orate, ut de præsentis vitæ pelago me Omnipotens Deus sua manu eripiat, atque me quiescere in æternæ vitæ littore concedat. Graves enim hic gladiorum oppressiones, & causarum tumultus patior. Sed si me diligitis, orando monstrate: quatenus orationis vestræ intercessione sentiam, & amplius in tot malis, atque perturbationibus non affligar.* Audisti virum Apostolicum Apostoli uti verbis supra modum, & virtutem gravatum, vitæ etiam tædere. Exauditæ sunt ejus preces, anno enim sequenti vitam finiens, ab his angustiis solutus est.

Longobardi Cremonam, & Mantuam occupant.

10. Longobardi interea Cremonam longa obsidione septam, cum tandem die 21. Augusti cœpissent, a fundamentis everterunt. Deinde die 13. Septembris Mantuam ingressi sunt, ut narrat Paulus Diaconus. Gregorius vero calamitatibus Italiæ compatiens, ut iterum Romanos inter, & Longobardos pax firmaretur, (quam culpa sua Romani biennio antea fregerant) quammaxime sollicitus erat; quam cum integram obtinere non posset; ex parte saltem, ac ad tempus firmare conatus est. Hinc ad Smeraldum Exarchum scribens hoc anno ajebat. *Præterea duas ad Cillanem epistolas misimus, si pacem, quæ ab Excellentia vestra in triginta diebus facta est, custodiret, & rescripsit eam se servaturum, si tamen ipsi a Reipublicæ partibus fuerit custodita. Homines autem illos, quos tenuerat, omnes cum rebus suis relaxavit. Sed de occisis hominibus suis valde dolet, atque de vobis vehementer suspectus est: quia si quid, quod Deus avertat, locum invenerit, etiam in pace cum non est dubium excessurum. Ad Pisanos autem hominem nostrum dudum qualem debuimus, & quomodo debuimus, transmisimus; sed obtinere nil potuit. Unde & Dromones eorum jam parati ad egrediendum nuntiati sunt.* Ex his porro patet Cillanem Longobardorum Ducem fœderis conditionibus subscripsisse, quibus Pisani subscribere recusarunt. Nihilominus labente hoc anno, aut saltem proximo, pax tandem firmata est; ut in epistola ad Theodolindam Longobardorum Reginam, narrat S. Gregorius.

Adoaldus Theodolindæ filius in ecclesia catholica baptizatur.

11. Pacis conciliatricem Theodolindam Longobardorum Reginam fuisse, vix dubitamus, quæ cum hoc anno fi-

filium peperiſſet, ideſt Adoaldum, in Paſchatis ſolemnitate Moduetiæ in ecclésia catholica ſolemniter baptizatus eſt, quod cum S. Gregorius accepiſſet, gratulatorias ad Theodolindam, anno ſequenti litteras dedit, muneraque nato filio miſit. *Scripta*, inquit, *quæ ad nos dudum a Genuenſibus partibus tranſmiſiſtis, gaudii veſtri nos fecere participes; propterea quod Omnipotentis Dei gratia, & filium vobis donatum, & quod valde Excellentiæ veſtræ eſt laudabile, catholicæ eum fidei novimus ſociatum. Nec enim de Chriſtianitate veſtra aliud credendum fuerat, niſi id ſtudere vos, ut quem divino munere ſuſcepiſtis, catholicæ rectitudinis auxilio muniretis: ne & Redemptor noſter familiarem te ſuam famulam cognoſceret, & Longobardorum genti novum Regem in timore ſuo feliciter enutriret. Unde oramus Omnipotentem Deum, ut & vos in mandatorum ſuorum via cuſtodiat, & eamdem excellentiſſimum filium noſtrum Adulouvaldum in ſuo faciat amore proficere: quatenus ſicut hic inter homines jam magnus eſt, ſic quoque & bonis actibus, ante Dei noſtri oculos, ſit glorioſus.* His addidit, ſe infirmitate detentum Secundi Abbatis quæſtionibus non ſatisfeciſſe, quæ cum cauſam trium capitulorum ſpectarent, hæc interea addidit. *Eam Synodum, quæ piæ memoriæ Juſtiniani tempore facta eſt, per latores præſentium tranſmiſi, ut prædictus filius meus dilectiſſimus ipſam legens agnoſcat, quia falſa ſunt omnia, quæ contra Sedem Apoſtolicam, vel Catholicam Eccleſiam audierat. Abſit enim nos cujuslibet ſenſum heretici recipere, vel a Tomo ſanctæ memoriæ Leonis, prædeceſſoris noſtri, in aliquo deviare: ſed quæcumque a ſanctis quatuor Synodis ſunt definita, recipimus, & quæcumque reprobata ſunt, condemnamus. Excellentiſſimo autem filio noſtro Adulouvaldo Regi tranſmittere phylacteria curavimus, id eſt Crucem cum ligno ſanctæ Crucis Domini, & lectionem Sancti Evangelii theca perſica incluſam. Filiæ quoque meæ ſorori ejus, tres annulos tranſmiſi, duos cum hyacinthis, & unum cum albula; quæ eis per vos peto dari, ut apud eos noſtra charitas, ex veſtra Excellentia condiatur. Paterna præterea charitate perſolventes ſalutationis officia, petimus ut, Excellentiſſimo Filio noſtro Regi conjugi veſtro, pro nobis de facta pace gratias referatis, atque ejus animum, ſicut conſueviſtis, ad pacem de futuro per omnia provocetis: quatenus mercedem populi innocentis,*

qui

Jesu Chr. an. 603. *qui in scandalo perire poterat, ante conspectum Dei inter multa bona, quæ agitis, invenire possitis.*

De donis Moduetiæ oblatis a Theodolinda Regina, & Egilulpho Longobardorum Regibus. *Murat. t. 12. rerum Ital.*

12. Moduetiæ autem ideo baptizatus est Adoloaldus, quia ibidem tunc temporis Longobardorum Regum Regia civitas erat, ibique magnificentissimum Templum Theodolinda Regina Deo in honorem Sancti Joannis Baptistæ ædificaverat, quod non solum prætiosissimis ex auro, & argento donis, sed amplissimis etiam possessionibus locupletavit; de quibus hæc adhuc inscriptio extat. *Offert gloriosissima Theodolinda Regina, una cum filio suo Adoaldo Rege ipsa die, in qua in præsentia patris coronatus est ibi, Sancto Joanni Patrono suo de dono Dei, & de dotibus suis.* Eamdemque ecclesiam reliquiis S. Gregorius exornavit, quarum catalogus in Codice Ægyptiaci papiri asservatur. Præceteris vero antiquitatis monumentis tres Coronæ aureæ ibidem sunt, quarum altera ferrea dicitur, ob ferream laminam, quæ in interiori parte extat; eaque coronabantur Imperatores, dum Italico Regno inaugurabantur. Apud Moduetiæ cives, aliosque fama creditur, ferream laminam ex clavis, quibus crucifixus fuit Dominus noster Jesus Christus constare, quod tamen inficiatur Muratorius tractatu de *Ferrea corona*. Secunda corona Reginæ Theodolindæ dicitur. Tertia demum Agilulphi Regis, in qua præter gemmas, quibus ornatur, (ut etiam secunda) illud notatu dignum est, quod in ea inscriptio legitur, his versibus.

+ AGILULF . GRAT . DI VIR . GLOR .
REX . ToTIVS . ITAL . OFFERET .
SCO IOHANNI . BAPTISTAE
IN ECLA . MODICIA .

Hæc de donis ab Agilulpho Rege, & Theodolinda conjuge S. Joanni Moduetiæ oblatis; Agilulphus tunc ea fortasse obtulit, cum relicta Arianorum impietate, catholicam amplexus est communionem.

Cædes Liuve Hispaniarum Regis.

13. Hoc anno. *Liuvam* (Hispaniarum Regem) *VVittericus summa tyrannide innocuum Regno dejecit, præcisaque dextra occidit, anno ætatis vigesimo secundo, regnavit annis duobus*, ait Isidorus in chronico. Porro Liuvas Reccaredi Re-

Regis filius erat, qui patri anno 601. ſucceſſerat. VVittericus autem, qui æra 641. currenti ſcilicet, regnare cœpit, ſeptem regnavit annis.

Legatio Theodorici Francorum Regis, & Brunichildis ad S. Greg. Papam.

14. His diebus S. Gregorium Papam Theodoricus Francorum Rex, & Brunichildes ejus amita, miſſa legatione, quam illuſtres viri Burgoalduinus, & Varmaticarius functi ſunt, conſulendum cenſuerunt, ac primo petebant, ut eo auctore pacem cum Republica ideſt, cum Phoca Imp. habere poſſent, eorumque conſilium non ſolum laudavit S. Pontifex, ſed etiam operam ſuam ſe præſtiturum pollicitus eſt. Deinde quid de Epiſcopo agendum eſſet, qui cum ob mentis alienationem, eccleſiæ ſuæ præeſſe non poſſet conſuluerunt; de quo ad Ætherium Lugdunenſem Epiſcopum ſcribens Gregorius, hæc fieri præcepit. *Et ideo quia vivente Epiſcopo, quem ab officio ſuo neceſſitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus, niſi recuſante eo, nulla ſinit ratio ordinari: ſi intervalla ægritudinis habere eſt ſolitus, ipſe data petitione, non ſe ulterius ad hoc miniſterium, intellectualia nempe officia, ſubvertente infirmitate, poſſe fateatur aſſurgere, & alium loco ſuo expectat ordinandum. Quo facto, omnium ſolemniter electione, alter qui dignus fuerit Epiſcopus conſecretur; ſic tamen ut quouſque eumdem Epiſcopum, in hoc ſeculo vita tenuerit, ſumptus ei debiti de eadem Eccleſia miniſtrentur. Enimvero ſi nullo tempore ad ſanæ redit mentis officium, perſona fidelis, ac vitæ probabilis eſt eligenda, quæ ad regimen Eccleſiæ idonea poſſit exiſtere, atque de animarum utilitate cogitare, inquietos ſub diſciplinæ vinculo reſtringere, Eccleſiaſticarum rerum curam gerere, & maturum atque efficacem ſe in omnibus exhibere. Qui etiamſi Epiſcopo, qui nunc ægrotat, ſuperſtes extiterit, loco ejus debeat conſecrari.*

Quid agendum eum Epiſcopo mente alienato.

De bigamo non ordinando.

15. Conſultus etiam de bigamo, an ad ſacrum ordinem poſſet accedere, reſpondet. *Juxta canonicam regulam omnino vetuimus; Abſit enim ne veſtris temporibus, in quibus tam multa pia, ac religioſa agitis, aliquid contra eccleſiaſticum inſtitutum fieri permittatis.* Accuſatus etiam fuerat apud S. Pontificem Mennas Epiſcopus Teleſinus in Campania, qui in Gallias Gregorii juſſu profectus erat. Hunc Romam reverti juſſit, ab ipſo Pontifice judicandus, cum vero (ut ait S. Gregorius:) *In nullo invenerit eſſe culpabilem; qui inſuper ad ſacratiſſimum corpus Beati Petri Apo-*

stoli sub jurejurando satisfaciens, ab his quæ objecta ejus opinioni fuerant, se demonstravit alienum, reverti illuc purgatum absolutumque permisimus. De hoc purgationis modo vide epistolas 33. lib. 2., & 18. lib. 7.

De synodo habenda petitio.

16. Petierunt adhuc, ut legatum S. Pontifex in Gallias mitteret, qui cuncta, quæ contra sacratissimos canones perpetrabantur corrigeret. Quibus hæc S. Gregorius respondet. *Præfati autem viri magnifici filii nostri, dato capitulari, inter cetera petierunt, quod sibi vestra perbibuere jussione mandatum, ut talis debeat a nobis in Gallias persona transmitti, quæ, facta Synodo, cuncta quæ contra sacratissimos canones perpetrantur, Omnipotenti Deo auctore, possit corrigere. In qua re gloriæ vestræ curam cognovimus, quam de vita animæ, & de regni vestri soliditate cogitatis; quia Redemptorem nostrum formidantes, ejusque in omnibus præcepta servantes, & hic agitis ut diu regni vestri gubernacula subsistant, & post longa annorum curricula, vos quoque de terreno Regno ad Regnum cœleste transeatis. Apto autem tempore, si Deo placuerit, venerandæ excellentiæ vestræ desideria implere curabimus.* Idque sane Gregorio cordi fuisse, ejusdem epistolæ ad Reges, & Episcopos Galliarum, datæ testantur, quæ libro nono leguntur. Nulla tamen his temporibus synodus, nisi post triginta circiter annos in Galliis celebrata fuit.

Privilegia pro monasteriis, & Xenodochiis a Gregorio tributa.

17. Petierat quoque Regina, ut privilegia S. Pontifex concederet, pro Xenodochio Augustoduni a se ædificato, sicut etiam monasterio S. Mariæ, & ecclesiæ S. Martini in Suburbanis Augustoduni: ejus desiderio satisfaciens S. Gregorius tribus datis epistolis, ad Senatorem Abbatem, & Presbyterum Xenodochii, ad Talassiam Abatissam monasterii S. Mariæ, & ad Luponem Abbatem, & Presbyterum ecclesiæ S. Martini, ad Reginam vero Brunichildem. *Nos itaque pro munitione locorum, de quibus excellentia vestra scripsit, omnia, sicut voluit, sancire studuimus. Sed ne fortasse ab eorum locorum præpositis, eadem decreta nostra quocumque tempore supprimantur, pro eo quod eis quædam interdicta esse noscuntur, hæc eadem constitutio gestis est publicis inferenda: quatenus sicut in nostris, ita quoque in regalibus scriniis teneatur.*

18. Cum

18. Cum vero in epistola ad Senatorem, data hæc leguntur. *Si quis vero Regum, Sacerdotum, Judicum, personarumque secularium, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & nisi vel ea, quæ ab illo male ablata sunt, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. &c.* Ob hæc, inquam, aliaque, quæ ibidem leguntur, privilegium hoc, & alia duo sequentibus epistolis contenta, spuria, aut saltem interpolata esse, nonnulli suspicantur. Hisce tamen Maurinii editores opponunt Codicum omnium consensum, etiam Romanorum teste Cardinali Bona, in quibus ea leguntur. Deinde illud privilegium laudatur, in vita Sancti Hugonis monachi Æduensis seculo decimo scripta, ejusdem meminit Gregorius VII. lib. 8. epist. 21., denique ex aliis S. Gregorii epistolis, constat privilegia pro Cœnobiis Æduensibus rogatu Brunichildis ab ipso edita fuisse. Quibus satis manifeste probatur, vere a S. Gregorio ea data esse.

JESU CHR. AN. 603.

Gregorii privilegia in dubium vocantur.

Greg. lib. 13. epist. 6.

19. Quia vero audierat Gregorius Romanorum, aliquos in Sabbato, vel Dominica die superstitiosiores esse, ita ut Hebræorum more die Sabbati aliquid agere recusarent; aut die Dominico, necessitate etiam urgente, lavari, data ad Romanos epistola, correxit. *Pervenit ad me, quosdam perversi spiritus homines, improba inter vos aliqua, & sancta fidei adversa seminasse, ita ut in die Sabbati, aliquid operari prohiberent, quos quid aliud, nisi Antichristi prædicatores dixerim? Qui veniens, diem Sabbatum, atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se, & resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum: & quia judaizare populum compellit, ut exteriorem ritum Legis revocet, & sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum.* Deinde: *Aliud quoque ad me perlatum est, vobis a perversis hominibus esse prædicatum, ut Dominicorum die nullus debeat lavari, & quidem si pro laxu animi, atque voluptate, quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominicorum die prohibemus: Scriptum quippe est: Nemo car-*

S. Greg. superstitiosum Sabbati, vel Dominicæ cultum corrigit.

Jesu Chr. an. 603.

carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam. Et rursum scriptum est: Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Qui igitur carnis curam in concupiscentiis fieri prohibet, profecto in necessitatibus concedit. Nam si Dominicorum die corpus lavare peccatum est, lavari ergo die eodem, nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente necessitate toto corpori negatur? Dominicorum vero die a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum; ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.

Gregorii sollicitudo in corrigendis Episcoporum moribus

20. Gravissimis licet detineretur doloribus, hoc tempore Gregorius, nil tamen de pastorali sollicitudine in corrigendis Episcoporum moribus remittebat. Hinc cum accepisset Paschasium Neapolitanum Episcopum, muneris sui ita oblitum, ut rebus tantum ludricis, & inutilibus vacaret. *Ut in nullo, quia est Episcopus agnoscatur, & rebus, quæ ad Pastoris curam pertinent prætermissis, ad fabricandum naves toto se studio inutiliter occupabat, ac ita quotidie despectus cum uno, aut duobus clericis dicitur ad mare descendere, ut & apud suos in fabula sit, & extraneis sic vilis, ac despicabilis videatur, ut nihil habere in se Episcopalis, vel genii, vel reverentiæ judicetur.* Anthemio subdiacono scribens jussit, ut ejusdem in munere pastorali negligentiam corrigeret. In altera vero epistola ad eumdem Paschasium hoc anno data, eumdem admonuit, ne Judæos a suarum festivitatum celebratione prohiberet, sed potius ad christianam fidem admonitionibus, & beneficiis alliceret; Anthemium etiam epistola altera admonuit, ut Campaniæ Episcopos in unum congregatos, ad muneris sui vigilantiam excitaret, negligentes vero, & desides ad dicendam causam Romam mitteret.

S. Greg. defensorem in Hispaniam ad Episcoporum mores corrigendos mittit.

21. Eamdem ob causam, ut turbatas Hispaniarum ecclesias, ob injustam quorumdam Episcoporum, & Presbyterorum depositiones, Joannem defensorem in Hispanias misit. Januarius quippe Malacitanus Episcopus, oblato libello ad Romanam Sedem appellaverat, se una cum presbytero suo, injuria sede sua dejectum, ac Comitioli Beticæ provinciæ Præfecti in exilium ejectum fuisse conquerens. Eamdemque injuriam Episcopus alter Stephanus sustinuisse narrabat. Quare ut hæc corrigeret, Joannem Romanæ ecclesiæ defen-

defensorem in Hispanias S. Gregorius misit, cui commonitorium dedit, quo etiam Imperatorum leges, de clericorum immunitate continebatur. Joannes itaque defensor in Hispaniam profectus, cum omnia diligentissime examinasset, Januarium injuste sua sede dejectum, hac prolata sententia judicavit. *Nullam*, inquit, *in antedicto Januario culpam, quæ exilio, vel depositione digna esset puniri, sed magis illum ejectum de Ecclesia violenter inveni. Et quamquam hujusmodi temeritatem, legum censura districtissime feriat; ego tamen legum vigorem sacerdotali moderatione temperans, mediis sacrosanctis Evangeliis, quibus præsentibus ab initio in hoc cognito resedi judicio, ea quæ contra eum statuta sunt, licet jure non teneant, nec alicujus sint momenti, injusta tamen, & illos memoratos Episcopos, qui postposita consideratione sacerdotali, in fratris sui præjudicium, atque condemnationem injuste, & contra Dei timorem versati sunt, condemnans, in monasterio recipiendos ad agendam in tempus pœnitentiam statuo, atque decerno. Illum vero qui locum antedicti sanctissimi Januarii, contra sacrorum Canonum statuta nequiter præsumit invadere, condemnans, privari sacerdotio, & ab omni Ecclesiastico ordine removeri statuo: ut & hoc quod male est adeptus amittat, nec ad officium, quod ante indigne gesserat, revertatur. Sæpedictum autem sanctissimum Januarium Episcopum absolutum loco suo, in Episcopatus gradu Deo auctore reverti, ac modis omnibus reformari constituo.*

Sententia Joannis defensoris.

22. Eo igitur constituto per Apostolicam Sedem revocati sunt, qui per secularem potestatem oppressi fuerant Sacerdotes, & in exilium missi. Eidem Joanni defensori S. Gregorius præcepit, ut visitaret monasterium Capricanæ, seu Capraria insulæ prope Majoricam, & monachorum corruptos mores emendaret; De monachorum quoque institutione scripsit, hoc tempore ad Vitalem Sardiniæ defensorem, eique jussit, ut ob infirmam Januarii valetudinem, Archipresbyter, & Œconomus monasteriorum, & Xenodochiorum curam gererent, ne majora damna paterentur. *Nam si quis illic post hoc neglectus extiterit, nulla se noverint posse, hoc apud nos ratione aliquatenus excusare. Quia vero Januarius, tempore, quo sacrificium celebrabat, tantam frequenter angustiam patiebatur, ut vix post longa intervalla ad locum Canonis redire valeret.* Cumque nonnulli dubitarent, an communio-

S. Greg. sollicitudo pro monachorum disciplina servanda.

Jesu Chr. an. 603.

De Episcopo missam intermittente ob infirmitatem.

munionem deberent de ejus consecratione percipere ; ad quæstionem propositam respondet S. Pontifex. *Admonendi sunt, ut nullatenus pertimescant, sed cum omni fide, & securitate communicent; quia ægritudo personæ, sacri mysterii benedictionem, nec mutat, nec polluit. Secretius tamen omnino idem Frater noster hortandus est, ut quoties aliquam molestiam senserit, non procedat, ne ex hoc se despiciendum præbeat, & infirmorum animis scandalum faciat.* Eaque epistola Vitali defensori licentiam tribuit, ut CPolim pergeret, ut pro Sardiniæ incolis, levamen aliquod ab immoderatis tributis impetraret. *Quoniam vero*, inquit S. Gregorius ad Bonifacium scribens, *possessores nos Sardiniæ petiverunt, ut quia diversis oneribus affliguntur, Constantinopolim pro eorum debeas remedio proficisci, licentiam tibi eundi concedimus. Sed & dilectissimo filio nostro Bonifacio scripsimus, ut suum tibi pro remedio illius provinciæ studeat adhibere solatium.* Sed quid mirum, si rogatus pauperum caussam suscepit, qui etiam non rogatus, eorum necessitates sublevabat. Unde ad Julianum scripsit. *Gloriæ vestræ scripta suscipiens, legenda lætus aperui, sed tristis perlecta replicavi. In eis quippe dicebatur, quod pudoris causa fuerit, mibi vos ea, quæ dicenda erant tempore longo tacuisse, & certum est, quia minus amatur, qui adhuc erubescitur. Atque omnimodo contristatus sum, quia me a vobis comperi minus, quam æstimaverim amari. In hoc autem valde me continetis, si mercedis causas mibi assidue providendas studiose requiritis. Nec vobis debet esse verecundiæ ei, aliquid de eleemosynis importune dicere, quem constat non res suas, sed ad dispensandum res pauperum habere. De causis itaque mercedis, apud Episcopum libere agere debuistis, etiam si meum animum, qualis in amore vestro existeret, nesciretis. Postquam enim, & nos omnino gloriam vestram diligimus, & dispensatoris locum in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus; vestra, fateor, verecundia valde accusabilis fuit. Quam ideo tot verbis increpando insequor, ut hanc a corde vestro funditus repellam, & in mercedis causis magnum solatium vestræ provisionis habeam. Monasterio itaque vestro, quod a vobis in Catanensi Urbe constructum est, per Hadrianum Notarium, & Rectorem patrimonii emissa præcepti pagina decem annuos solidos dari deputavimus, quos petimus sine injuria*

Gregorii in pauperes liberalitas.

su-

suscipi : quia non hæc vobis nostra oblatio, sed S. Petri Apostolorum Principis benedictio offertur. Hæc Grogorius, pauperibus sublevandis semper intentus, ita ut eorum necessitates, etiam non rogatus præveniret.

Concilium Cabillonense.

23. Hoc anno in Gallia synodus celebrata est, non ad simoniam, aliasque pestes eliminandas, ut in votis habebat, S. Gregorius, & ex ejus epistolis constat, quæ libro nono leguntur; sed ad innocentiam opprimendam, unde eum superiori anno Brunichildes Regina S. Gregorium rogaverat, ut virum mitteret, qui synodo præsideret, ut pravi corrigerentur mores, sincere non egisse satis manifeste patet. In hoc concilio Desiderius Viennensis Episcopus sua sede pulsus, in exilium missus est, instigante Regina Brunichilde, ut narrant Jonas, Ado, Fredegarius, Aimonius. *Anno octavo Regni Theuderici de concubina nascitur ei filius, nomine Childebertus, & synodus Cabilloni colligitur. Desiderium Viennensem Episcopum dejiciunt, instigante Aridio Lugdunensi Episcopo, & Brunichilde, & subrogatus est, loco ipsius in Sacerdotali officio Domnulus. Desiderius vero in insulam quamdam exilio retruditur. Eo anno sol obscuratus est.* Hæc Fredegarius, & Aimonius. Currenti itaque anno hæc synodus habita est, qui Theodorici octavus fuit, & die duodecima Augusti mensis, ingens solis eclipsis facta, feria secunda, ut ab Astronomis observatum est. Porro in vita S. Desiderii ab auctore coevo scripta, sub Domnolo ejus successore, habetur, quod dum Desiderii exulis fama de die in diem augeretur, Brunichildes erga S. Virum pietatem simulans, jussit. *Eum ad propria redire, cum jam in exilio constaret eum per annos quatuor detentum fuisse.* Post ejus reditum (anno scilicet 607.) cum miracula ab eo, tunc patrata audisset Theodoricus, eum ad se revocatum benigne excepit, ac interrogavit, num melius esset uxorem ducere, an fornicationibus fœdari, cui eum Desiderius respondisset, melius esse nubere, quam uri; & ut propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat; ut hæc Brunichildi renunciata sunt, eum interfici jussit, quod & factum est in territorio Lugdunensi, juxta flumen, cujus vocabulum est, Calarona X. Kal. Junii. Ita vitæ scriptor Anonymus. Mortem S. Desiderii Fredegarius, & Aimonius citati, cum anno duodecimo Theodorici conjungunt, seu anno Christi sexcentesi-

S. Desiderius Viennensis Episcopus in exilium mittitur.

Ado in chronico, & in epist. ad eccles. Viennen. Jonas in vita S. Columb. num. 54. Fredeg. chron. c. 24. Aimonius lib. 3. c. 9.

S. Desiderii Martyrium.

JESU CHR. AN. 604.

tesimo septimo; cujus memoria in Martyrologio Romano, die undecima Februarii, & 23. Maii celebratur.

Boll. die 23. Maji.

Qua ratione Aredi Lugdunensis Episc. fama vindicetur.

24. De Avidio autem Lugdunensi Episcopo, quem tantæ iniquitatis participem fuisse Fredegarius, & Aimonius testantur, quique in ecclesia Lugdunensi inter Sanctos recolitur, & officio ecclesiastico celebratur, quarto idus Augusti, ut ejusdem sanctitatem, & famam tueatur Theophilus Raynaudus, in indiculo Sanctorum Lugdunensium, Fredegario, & Aimonio opponit silentium Adonis, & auctoris vitæ S. Desiderii, qui de Aridio nihil habent. Cointius etiam anno 607., & Mabillonius in notis ad vitam S. Romarici ejus sanctitatem tuentur, & falso ranti criminis insimulatum fuisse contendunt. At Savertius in catalogo Episcoporum Lugdunensium, alia via ejus sanctitatem tuetur, dicendo deceptum hæc fecisse, aut hanc culpam, aliasque, ad exitum, usque vitæ pœnitentiæ lacrymis detersisse, quæ quidem ejusdem famæ, ac sanctitatis tuendæ expeditior via est, sed de his hactenus.

Mabill. secul. 2. benedict.

JESU CHRISTI AN. 604. SABINIANI PAPÆ I.
PHOCÆ IMP. 3. AGILULPHI LONGOB. REGIS 15.

Ultima Gregorii gesta.

1. Annus adest Jesu Christi sexcentesimus quartus, Gregorii Papæ ultimus, quarto enim idus Martias, Deo vocante ex hac vita migravit; antequam de ejusdem felici transitu agamus, reliqua ab eo gesta narramus, quem a pastorali sollicitudine gerenda, nec ætas ingravescens, nec assidui acerbioresque dolores retardarunt, cumque anno proximo toti fere Italiæ pacem conciliasset, ut ex ejusdem epistola ad Theodolindam Longobardorum Reginam constat, de conciliandа inter Episcopos concordia, hoc anno sollicitus fuit. Inter Alcysonem Corcyræ Episcopum, & Joannem Euriæ in Epirotis exorta, diu magna animi contentione agitabatur, Joannes etenim Euriæ Episcopus, irruentibus Sclavis, seu Avaribus, inde cum clero suo aufugere coactus fuerat, ablatoque S. Donati corpore in Cassiopi castro, sacras deposuerat reliquias, suamque sedem, annuente Alcysone Corcyreo Episcopo collocaverat. At Joannes contra ecclesiasticam disciplinam, & sacerdotalem modestiam, Cassiopi oppidum suæ potestati subjicere conabatur. Alcyson vero Corciræus Episco-

ſcopus, dum apud Imperatorem, cum apud Andream Nicopolitanum Epiſcopum, utriuſque Metropolitam agit, ut ſuæ juriſdictioni Caſſiopum caſtrum reſtitueretur, Metropolitani autem ſententiam S. Gregorius confirmaverat; Joannes tamen Phocæ Imperatoris fultus patrocinio, Andreæ Metropolitani, & Gregorii Papæ ſpreta ſententia, Caſſiopi oppidum in ſuam retinebat poteſtatem. Quamobrem S. Gregorius Bonifacio, apud Imperatorem apocryſario juſſit, ut latam a ſe ſententiam ſervari ab Imperatore impetraret, atque longiorem hanc ſcripſit epiſtolam. *Quoties nos eorum diſcordia triſtes facit, qui pacis prædicatores eſſe debuerant, magna ſollicitudine ſtudendum eſt, ut litigii ablata materia, ad concordiam redeant, qui diverſa ab invicem voluntate diſcordant. Quæ igitur de Caſſiopi caſtro, quod in inſula Corcyra eſt poſitum, acta ſint, qualiterve id de juriſdictione Corcyritani Epiſcopi, Epiſcopus Euriæ moliatur ſubtrahere, & ſuæ nequiter juriſdictioni ſubjicere, valde prolixum eſt dicere. Sed dilectioni tuæ, ut cuncta ſubtiliter comprehendat, fratris noſtri Alcyſonis Epiſcopi Corcyræ ſcripta tranſmiſimus, atque ejus illic venire hominem fecimus, qui etiam verbo minutius te ad ſingula poſſit inſtruere. Hoc tamen breviter indicamus, quia dum Mauricio quondam Imperatori eſſet, in præjudicium Eccleſiæ Corcyritanæ ſubreptum, nec juſſio ejus, quippe quæ contra leges, & ſacros Canones data fuerat, habuiſſet effectum, & indeciſa inter partes contentio remanſiſſet, aliam illum ad Andream, quondam fratrem noſtrum, tunc Nicopolitanum Metropolitam juſſionem dediſſe, ut quoniam utraque pars ejus erat juriſdictioni ſubjecta, ipſe hanc cauſam cognoſcere, & finire canonice debuiſſet. Qui Metropolita, cognita cauſa, prolataque ſententia, cujus tibi exemplaria miſimus, prædictum Caſſiopi caſtrum ſub poteſtate, ac juriſdictione Corcyritani Epiſcopi, cujus & ſemper fuit diœceſis, eſſe diſtinxit. Quam nos ſententiam comprobantes, Apoſtolicæ Sedis auctoritate prævidimus confirmandam. Et ne ea decrevimus, ita potuiſſent eſſe diſtricta, ut nihil benignitatis habere videretur admixtum; curæ nobis fuit ita cauſam pro tempore diſponere, ſicut ſententiæ noſtræ, quam ad te miſimus, textus oſtendit, ut neque Epiſcopus, vel Clerus Euriæ civitatis neceſſitatem habitationis incurrerent, nec Corcyritanæ Eccleſiæ privilegia in aliquo turbarentur. Sed quia inter ipſa primordia ſereniſſi-*

nissimo domno Imperatori surreptum est, atque contra judicatum Nicopolitani Metropolitæ, quod Ecclesiastica rectitudine & canonica ratione suffultum est, Episcopo Euriæ, quod nec sine dolore audire, vel loqui sine gemitu possumus, cum majori injuria Episcopi Corcyritani, atque Clericorum ejus, antefatum Cassiopi castrum traditum memoratur; ut amota, quod grave est dici, jurisdictione Corcyritanæ Ecclesiæ, ipse illic omnem, tamquam principalem habeat potestatem, sententiam nostram nulli dare prævidimus, ne contra jussionem clementissimi Domni Imperatoris, vel, quod absit, in despectum ipsius aliquid facere videremur. Itaque dilectio tua pietati ejus cuncta diligenter insinuet, atque constanter adstruat, hoc omnino illicitum, omnino pravum, omnino injustum, & sacris esse valde canonibus inimicum. Et ideo hujusmodi peccatum temporibus suis introduci in Ecclesiæ præjudicium non permittat. Sed quid de hoc negotio judicatum antefati quondam Metropolitæ contineat, vel qualiter a nobis ea, quæ ab illo decreta sunt, confirmata fuerint, suggerat, atque id agere studeat, ut cum ejus jussione nostra illuc sententia transmittatur: quatenus & serenitati ipsius, sicut dignum est, reservasse, & rationabiliter correxisse, quæ male præsumpta sunt, videamur. Qua in re omnino danda opera est, ut, si fieri potest, etiam jussionem suam tribuat, in qua ea, quæ a nobis definita sunt, servari præcipiat. Nam hoc facto, omnis de cetero surreptionis locus obstruitur. Ita ergo ad compescenda hæc præjudicia vigilantiam tuam, cum Omnipotentis Dei adjutorio exercere festina, ut nec modo voluntas eorum, qui perversa moliuntur, aliquid contra antiquum Ecclesiasticæ consuetudinis statum obtineat, nec post ad exemplum res nefanda proficiat. Quanta præterea mala, quantasque oppressiones suprascriptus Alcyson, frater & Coepiscopus noster, ab actionariis Ecclesiæ Thessalonicensis asserat sustinere, ut possis cognoscere, ipsam quam ad nos misit epistolam Dilectioni tuæ transmisimus. Ideoque prædictæ Ecclesiæ responsalem venire ad te facito, atque causam ipso præsente cognosce, & de capitulis, quibus te ratio moverit, fratri & Coepiscopo nostro Eusebio scribe, ut homines suos agere injusta prohibeat, & minores non premere, sed magis in quibus justum fuerit, moneat adjuvare. Hoc quoque volumus, ut ei, qui in civitate Nicopolitana Metropolita fuerit ordinatus; Dilectio tua scribere

bere debeat: quatenus causam de damnis, quæ Ecclesiæ suæ illata prædictus frater noster Alcyson queritur, cognoscere, & quod justum est debeat definire: quia a decessore ipsius negotium ipsum non decisum, sed legitur reservatum. Hactenus Gregorius. Resipuit tandem Euriæ Episcopus, ut nos docet S. Gregorii ad Alcysonem epistola, qua eum hortatus est S. Pontifex, ut cautione accepta, qua locum Cassiopi Corcyritanæ ecclesiæ esse fatebatur, permitteret eidem in ecclesia S. Joannis corpus Beati Donati recondere, usquedum ad propriam redire ecclesiam posset, quo tempore Euriæ Episcopo clericisque, licitum esset S. Martyris reliquias secum transferendi.

JESU CHR. AN. 604.

2. Hoc tempore cum Anconitana ecclesia pastore viduata esset, ac tres præcipue delecti essent; horum mores, scientiam, quam diligentissime scrutari voluit S. Gregorius, ac Joanni Episcopo scribens jussit, ut singulorum qualitates examinaret; sibi quidem Florentium ecclesiæ Anconitanæ Archidiaconum, etsi Scripturæ Sacræ peritissimum, minus tamen tanto oneri ferendo aptum esse ajebat, nam senio eum confractum, ac eousque tenacem esse acceperat, ut nemo unquam ex ejus amicis, domum illius cenaturus intraverat. Rusticum etiam ejusdem ecclesiæ Diaconum minus aptum dixit, nam etsi vigilans, & in agendo promptus esset, psalterium tamen ignorabat. Quare Joannem, ut cautius ageret, admonuit.

S. Greg. diligentia in probandis delectis Episcopis.

3. Interea Felix Messanæ Episcopus, circa nonnullas quæstiones S. Gregorium consulendum censuit; quarum prima erat, cur Anglis ad fidem nuper conversis contra prædecessorum suorum statuta potestatem fecisset, nuptias in quarto consanguinitatis gradu contrahere. Unde quorumdam obmurmuratio, aut scandalum etiam exortum erat. *Quæ consuetudo*, addebat, *dudum in illis, aut in aliis partibus, quando una vobiscum ab infantia nutritus, atque edoctus fui, non erat, nec in ullis prædecessorum tuorum decretis, aut reliquorum generaliter, ac specialiter Patrum institutis legi, aut hactenus ab ullis recte sentientibus esse concessum didici. Sed semper usque ad septimum originis suæ gradum, hoc a Sanctis decessoribus vestris, & ceteris Sanctis Patribus, tam in Nicæna Synodo, quam in aliis Sanctis conciliis congregati servari debere reperi, & a recte viventibus, & Deum timen-*

Consultatio Felicis, & Gregorii responsio.

mentibus hominibus studiose prævideri cognovimus. Et inferius post duo alia ab eo quæsita, in id ipsum cujus causa epistolam scribere aggressus fuerat, rediens, subdit, ab eo admoneri petens, num pro Anglis tantum indulgendo ea statuissent, de quarto gradu, an omnibus etiam Ecclesiis servanda proponeret: *Nos*, inquit, *ea quæ legimus, & observari a Fidelibus cognovimus, non increpanda, quod absit, vobis significavimus, sed quid rationabiliter, & fideliter super his observare debeamus, requirimus. Et quoniam non modicum murmur super hac re nobiscum versatur: quid respondere fratribus, & Coepiscopis nostris debeamus, a vobis, quasi a capite, responsum quærimus: ne super his ancipites remaneamus, aut murmur ullum, tam nostris temporibus, quam post, inter vos, & alios remaneat: rumorque vester, qui semper bonus & optimus fuit, detractionibus laceretur, & subrodatur, aut nomen vestrum (quod absit) supervenientibus temporibus blasphemetur &c.*

Ex magna indulgentia Angli concessum quarto gradu matrimonia celebrare.

4. Felici autem satisfaciens S. Gregorius, in exemplum non esse adducendum, quod pro Anglicana ecclesia, nunc primum ædificata concesserat, admonet deinde ne fideles, usque ad gradum septimum affinitatis contrahant, uti a prædecessoribus traditum fuerat, in quam sententiam hæc habet. *Nam si ea destruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse juste comprobarer*, alia multa in hanc rem addit, quæ brevitatis causa omittimus; ad alia duo, de quibus interrogatus fuerat, hæc respondet: *Si David Regum justissimus, in Saul, quem constabat jam a Domino reprobatum esse, manum mittere non præsumpsit: quanto magis cavendum est, ne manum detractionis, aut vituperationis, sive indiscretionis, aut dehonorationis, quidam mittant in unctum Domini, vel in prædicatores Sanctæ Ecclesiæ? quia eorum vexatio sive detractio ad Christum pertinet, cujus vice in Ecclesia legatione funguntur. Unde summopere cavendum est omnibus fidelibus, ne clanculo, aut publice Episcopum suum, idest unctum Domini, detractionibus aut vituperationibus dilanient, perpendentes illud exemplum Mariæ: quia pro eo quod Moysi famulo Dei propter Æthyopissam detraxit, immunditia lepræ mulctata sit*; post alia in hanc rem ad aliud dubium, sic respondet. *De dedicationum vero ecclesiarum dubitatione, super qua inter cetera nos consule-*

sulere voluistis, hoc vos rite tenere debetis, quod ab Antecessoribus nostris traditum accepimus; idest ut quoties de baptismo aliquorum, vel confirmatione, quam de ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nunc scriptis, nec testibus ratio certa habetur utrum baptizati, vel confirmati, sive ecclesiæ consecratæ sint: ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque ecclesiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat. Quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur, rite peractum. Hæc nos, adminiculante divina gratia, ita tenere cupimus, vobisque ut postulastis tenere, & docere mandamus.

JESU CHR. AN. 604.

5. Ab admonendis etiam privatim amicis non cessabat, dum id ecclesiæ utile esse censebat; hinc Paulo Scholastico scribens gratulatus est, tum de ipsius sollicitudine in coercendis puniendisque maleficis, cum de ejus cum Leone Catenensi Episcopo reconciliatione, & utrumque hortatus est ad diligendam pacem, fovendamque charitatem. Amico etiam scripsit, ut Exarchum loquentem temere admoneret. Tandem dolenter audiens, abductam a quodam milite Ancillam Dei, de tanto facinore puniendo, scripsit ad Luduincon Neapolitanum Ducem, in hæc verba. *Cum inter multa bona, quæ nobis de magnitudine vestra sæpius nunciantur, illud in vobis plus laudabile dicitur existere, quod castitatem diligitis, & disciplinam (sicut dignum est) custoditis, satis mirati sumus, quod in milite illo, qui ancillam Dei diabolica instigatione perdiderit, districtissima vindicta hactenus facta non fuerit. Nam moribus, & bonitati vestræ valde conveniens fuit, ut ante ad nos ultio, quam perpetratæ culpæ iniquitas perveniret. Sed quia vindictam hujus sceleris non voluntate vestra, sed aliorum surreptionibus credimus esse suspensam, neque hoc peccatum, vel humerum indisciplinati militis, vel loca illa, in quibus commissum est, valeat premere: hortamur ut sine excusatione aliqua vel modo, qualis vobis fervor sit erga castitatis custodiam demonstrantes, ita pro exemplo aliorum stricte emendare tantum facinus festinetis, ut & Deum vobis, in cujus ille hoc injuriam perpetravit, & timorem ejus despexit, placabilem faciatis, & nos vobis de zeli vestri rectitudine gratias referamus: nam tantam iniquitatem inultam remanere nullo modo patiamur.* Hæc Gregorius pro ratione personarum nunc ad

Aliæ Gregorii epistolæ.

Jesu Chr. an. 604.

ad vindictam criminum remissos excitans, nunc ad fovendam charitatem invitans aptissima, cuique exhibens medicamenta.

S. Greg. basilicæ S. Pauli prædia donat pro luminaribus.

6. Cum vero incongruum Gregorio videretur. *Ut illa ei specialiter possessio non serviret, in qua palmam sumens martyrii capite truncatus est*; predia ad aquas Salvias posita, eidem Basilicæ adtribuit, scripto donationem confirmans, his verbis. *Licet omnia, quæ hæc habet Apostolica ecclesia, Apostolorum Petri, & Pauli, quorum honore, & beneficiis acquisita sunt, Deo sint auctore communia: esse tamen debet in administratione actionum diversitas personarum, ut in assignatis cuique rebus cura adhiberi possit impensior. Cum igitur pro Ecclesia B. Pauli Apostoli sollicitudo debita nos commoneret, ne minus illic habere luminaria, idem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine suæ prædicationis implevit, & valde incongruum esse, ac durissimum videretur, ut illa ei specialiter possessio non serviret, in qua palmam sumens martyrii, capite est truncatus, ut viveret: utile judicamus, eamdem massam, quæ ad Aquas Salvias noncupatur, cum omnibus fundis suis.* Hæc epistola, in tabula marmorea parieti affixa ad basilicam S. Pauli, legitur data VIII. Kal. Februarii indict. septima, ejusdemque donationis meminit Joannes Diaconus. Huic fere similis affixa legitur in porticu basilicæ Apostolorum Petri, & Pauli his verbis. *Dominis Sanctis, ac Beatissimo Petro, & Paulo Apostolorum Principibus Gregorius indignus servus. Quoties laudi vestræ usibus &c.*; ubi quamplurima prædia, pro luminaribus ecclesiæ SS. Petri, & Pauli donantur, hæc quidem a Gregorio primo post Baronium, Mabillonius, aliique donata fuisse scribunt. At hanc donationem a Gregorio secundo factam fuisse docent, hæc verba: idibus Novembris, imperante piissimo Leone, nempe Isaurico, cujus imperii annus primus fuit ann. D. 717. Gregorii II. Pontificatus anno tertio. Vide Bullarium Vaticanum tom. 1. pag. 7.

De obitu S. Gregorii Papæ.

7. Assiduis autem laboribus, non minus quam continuis morbis absumptus S. Gregorius, ad optatam tandem, ac sæpius desideratam quietem transivit, postquam Romanam ecclesiam summa prudentia, & sanctitate rexisset annis tredecim mensibus sex, & diebus decem ex computo Joannis Diaconi, initium ducens a mense Septembri anni quingen-

gentesimi nonagesimi, quo anno Pontifex ordinatus fuerat, & quidem tertio nonas ejusdem mensis. Decessit vero quarto idus Martias anno Phocæ Imperatoris secundo, indictione septima, æræ christianæ anno 604. scilicet currenti. Ejus tamen obitum venerabilis Beda, eumque secutus Paulus Diaconus anno sequenti, indictione octava collocarunt, quos errasse probat Baronius, aliique; sepultus est, in extrema porticu basilicæ Beati Petri Apostoli, ante vetus secretarium, ubi tempore Joannis Diaconi, hoc legebatur Epitaphium, a Beda quoque relatum.

Bar. an.604. num. 16. Mabill. secul. primo bened. p. 282. Maurini PP. in vita Greg. tom. 4. pag. 304. Joann. Diac. lib. 4. c. 64.

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum
Reddere quod valeas, vivificante Deo.
Spiritus astra petit: lethi nil jura valebunt,
Cui vitæ alterius mors magis via est.
Pontificis Summi hoc clauduntur membra sepulchro,
Qui innumeris semper vivit ubique bonis.
Esuriem dapibus superavit, frigora veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebatque actus, quidquid sermone decebat,
Esset ut exemplum mystica verba loquens.
Anglos ad Christum convertit mente benigna.
Sic fidei acquirens agmina gente nova.
Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc pastor agebas,
Ut Domino offerres plurima lucra gregis.
Hisque Dei consul factus lætare triumphis:
Nam mercedem operum jam sine fine tenes.

Hactenus Gregorii Epitaphium rude quidem, pro infelici temporum conditione.

Translatio corporis S. Greg. Papæ

8. Ejus corpus a Gregorio quarto, ante novellum secretarium, constructis absidibus sub altare collocatum fuit, ubi anniversaria solemnitas cunctis certatim pernoctantibus celebrabatur, *in qua pallium ejus, & phylacteria, sed & baltheus ejus consuetudinaliter osculantur*. Honores ei sacri ab Anglicana ecclesia, decreti sunt in concilio Closveshoviæ anno 747. canone 17. hoc modo: *Ut dies natalibus Beati Papæ Gregorii, & dies quoque depositionis S. Augustini Archiep. ab omnibus, sicut decet honorifice venerentur; ita ut uterque dies ab ecclesiasticis, & monasterialibus feriatus habea-*

Jesu Chr. an. 604. *Apud wilchins in collect. concil. Magnæ Britann. p. 97.* S. Gregorii elogium. *Idelph. de viris illust. cap. 1.* *Isid. de viris illust. c. 27.* *Odin. præf. ad tract. de script. eccles.* *Nat. Alex. in hist. eccles. secul. 6. cap. 4. art. 16.*

beatur. Nec solum a latinis coli meruit Sanctissimus Pontifex, sed etiam a Græcis, quorum menologio sacrum ejus nomen inscriptum legitur, cum amplissimo encomio die undecima Martii. De translatione reliquiarum tanti Pontificis legendi Mabillonius, & Bollandus, aliique.

9. In quanta autem æstimatione fuerit Gregorius ob virtutes animi, quibus certatim ornabatur, præstat referre elogium S. Idelphonsi Toletani Episcopi, qui in libro de viris illustribus, de S. Gregorio, hæc adnotat. *Gregorius Papa, Romanæ Sedis, & Apostolicæ præsul, compunctione timoris Dei plenus, & humilitate summus, tantoque per gratiam Spiritus Sancti scientiæ lumine præditus, ut non modo illi præsentium temporum quisquam, sed nec in præteritis quidem par fuerit umquam*. Hucusque ex Isidoro, Idelsonsus vero addit. *Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, ut exclusis omnium virorum illustrium comparationibus, nihil illi simile demonstret antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium; eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum*. Quæ etsi per hyperbolim dicta sint, id tamen constat tantæ sanctitatis, ac doctrinæ apud posteros fuisse, ut maxima quæque elogia Gregorio minora viderentur, hincque factum, ut Magni nomen obtinuerit, invito Odino catholicæ religionis, ne professionis monasticæ desertore, qui in tantum Pontificem stylum acuens, temeritate summa, Magni nomen immerito obtinuisse ait. Nam: *Anilis ingenii fuit S. Gregorius, nec solum anilis, sed stupidi, bardi, ac simplicis, & ad vana condenda, & scribenda proclivis, ac scripta ejus Judicii defectum ostendunt*. Cui etiam ut invidiam conflaret, ex Salisburiensi lib. 2. de nugis Curialibus c. 26., & lib. 8. cap. 19. fabulam adoptavit. De incensa a S. Gregorio Palatina bibliotheca, de qua apud antiquos ne vestigium extat: sed ut calumniæ esset locus has quisquilias, veluti prætiosas margaritas collegit Odinus. Nostrum non est, hic de scriptis S. Gregorii apologiam texere, quam post Maurinos editores, absolutissimam adversus Odinum, post Nat. Alexandrum, vulgavit Hieronymus Gradenigo Romæ anno 1753.. De eodem S. Gregorio refert Anastasius. *Ipsum fecisse ciborium, cum columnis quatuor, ex argento puro super sepulchrum S. Petri Apostoli, statuisseque ut supra sepulchrum ejusdem Apostoli missæ celebrarentur*; ac tandem: *Hic*

Hic fecit ordinationes duas, unam in quadragesima, aliam in mense Septembris: creavit Presbyteros trigintanovem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca sexaginta duos, & cessavit Episcopatus ejus menses quinque, & dies decem & octo. Hæc ipse, cetera Gregorii gesta, vel minoris momenti, vel dubiæ fidei consulto prætcrimus, quæ apud Maurinos videre quisque potest.

Fabula de liberato Trajano ab inferis exploditur.

10. Antequam ad successorem Gregorii transeamus, tempus est, ut fidem datam liberemus, dum de morte Trajani Imperatoris egimus, cujus animam Gregorii precibus ab Inferis ereptam fuisse, Joannes, & Paulus Diaconus narrant. Cumque hæc fabula tota quanta est, eo innitatur fundamento, quod scilicet Trajanus vir fuerit probitatis, ac integritatis summæ, ideoque ejus animæ misertum Gregorium, ingemuisse, precesque addidisse, quibus eum ab inferis evocaret; hoc destructo fundamento, & ipsa corruat necesse est. Vitiis autem obrutum ac fœdatum fuisse Trajanum, non solum ex Dione constat, qui cum multa de Trajano laude dignissima referat, hæc etiam addit. *Nihil omnino erat, quod optime non exerceret. Vini dumtaxat appetens, & in adolescentulos pronus citra calumniam habitus est, utpote qui numquam ex eo turpe, aut mali quidquam effecit. Nam qui vinum, usque ad satietatem biberet; sobrius tamen erat, neque in crimen prægravante vino, propulsus est: & in masculorum amoribus, ita sibi temperavit, ut nihil per vim, dum voluptati obsequitur, moliretur.* Hæc Dio non calumniandi animo, quinimmo, qua potuit arte excusans (sed laterem lavat,) dum nefando vitio adeo fuit obnoxius, ut in ea explenda, nec nepoti pepercerit; ut Ælius Spartianus scribit: *Fuitque in amore Trajani.* Hinc Julianus apostata, Trajanum in Deorum convivium, vix admittendum censuit, ne Jovis de Ganymede nimis sollicitus esset. Qnare inter scelestissimos Principes numerandum esse Trajanum constat, atque inter eos, quos Apostolo teste, Deus: *Tradidit illos in passione ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem, & masculi relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, qaam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in*

Trajanus nefandis moribus fuit.

 noti-

JESU CHR. AN. 604.

notitia; *tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni malignitate, & malitia*. Hunc ergo impurissimum hominem inferno erutum, in Cœlum inter Sanctos, una cum Deo deputabimus? His adde Trajanum christiani nominis hostem infensissimum fuisse, & christianorum innocentium sanguinem fudisse, ut suo loco diximus; constatque ex Martyrum actis sinceris, ex Sanctorum Patrum apologiis, eo regnante pro christiana fide vulgatis.

Trajanus persequutor christianorum.

Falsa historia de vidua, & Trajano.

11. Eadem facilitate evertuntur ea, quæ de Trajani statua equestri ex ære, vel lapide in Trajani foro collocata, quæ Trajanum ad bellum contra Dacos proficiscentem exhibebat, quasi ex equo descenderet, ut viduæ de nece filii querentis opem ferret, quam, si fides habenda fabulatoribus, ut Gregorius vidit, ita compassione affectus est, ut pro ejusdem anima ex inferis liberanda Dominum precatus fuerit. At ex antiquis scriptoribus, nemo de Trajano hæc refert, quæ sane in ejusdem panegyrico non præteriisset Plinius, ubi quæcumque laude digna Trajanus egerat, literis commendavit. Insuper quis sibi persuadeat, post tot tantasque clades, quibus Roma afflicta attritaque fuit ab Herulis, Gothis, & Vandalis, Romæ in foro Trajano adhuc Gregorii ætate stetisse Trajani statuam? Ut autem Sanctissimi Patris æstimationi consultum sit, dicimus Gregorium, id nec fecisse, & nequidem cogitasse, qui econtra eos insectatus est, & inter hæreticos recensuit, qui docebant Redemptorem nostrum *Jesum Christum ad inferos descendentem, omnes, qui illic confiterentur eum Deum, salvasse atque a pœnis debitis liberasse*. De qua re inquit S. Pontifex: *Volo ut charitas vestra longe aliter sentiat. Descendens quippe ad inferos, solos illos per gratiam suam liberavit, qui eum & venturum esse crediderunt, & præcepta ejus vivendo tenuerunt*. Solus hic locus sufficeret ad explodendam fabulam de Trajani anima ab inferis liberata precibus S. Gregorii. Eademque clarius adhuc in Dialogis tradit, quæstio ibi proposita, hæc est: *Si semper ardeant, qui gehennæ incendiis deputantur*, ad hæc respondet S. Gregorius; *constat nimirum, & inconcusse verum est, quia sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum. Nam cum veritas dicat: ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam: quia*

Quæ fuerit S. Greg. sententia de pœnis inferni.

Greg. Dialog. lib. 4. c. 44.

quia verum est quod promisit, falsum proculdubio non erit, quod minatus est Deus. His opponit Petrus: *Quid si quis dicat: idcirco peccantibus æternam pœnam minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret!* His vero iterum S. Pontifex satisfacit. *Si falsum est, quod minatus est, ut ab injustitia corrigeret: etiam falsa est pollicitus, ut ad justitiam provocaret. Sed quis hoc dicere, vel insanus præsumat? etsi minatus est, quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacem, quod dici nefas est, prædicare compellimur*; sequitur deinde explicare cur finita culpa puniatur sine fine, & cur Sancti pro damnatis non orent. Ex quibus sole clarius constat, quæ fuerit S. Gregorii sententia de æternitate supplicii, quo reprobi damnantur. Ut vim hujus argumenti elevet Joannes Diaconus, hoc excogitavit effugium: nempe, *Gregorium pro Trajano liberando non exorasse, sed flevisse*. Quasi lacrymæ coram Deo fusæ alicujus rei obtinendæ causa, preces non sint, & quidem aptissimæ. Addit Trajanum ita liberatum fuisse ab inferni cruciatibus, ut in inferno tamen remanserit, non autem sit evectus ad superos; sed hæc quoque Gregorii sensibus omnino resistunt, ut supra diximus, quem errorem confutarunt Basilius Magnus, & Augustinus.

Basil. in reg. brev. quæst. 267.
August. lib. 21. de civit. Dei cap. 11.

12. Nec antiquæ fabulæ fides adjicitur, etiamsi suffragati fuerint, eidem præstantes sanctitate, aut doctrina viri, ut Joannes Damascenus, qui in oratione de iis, qui in fide dormierunt, seu de fidelibus defunctis, eamdem fabulam recitat, & probat; nam imprimis an ea oratio Damasceno inscribi debeat, cum Bellarmino, Natali Alexandro, aliisque dubitari potest; at etsi Damasceno inscribatur; in ea tradenda historia deceptum fuisse, quis dicere prohibet, sicuti in aliis plurimis historiis ab eo narratis accidit? Quod quamplurimis aliis Sanctis viris commune est, ut ibidem, alibique passim a Baronio adnotatum est. Tanta quippe veritatis vis est, ut cujuslibet auctoritas efficere non possit, ut verum sit, id quod falsum est, & falsum esse certissimis constat argumentis, ut in quæstione, de qua agitur, demonstratum est. *Nam veritati*, ut ait Tertullianus, *nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum; & auctores acanonici*, ita legendi sunt; *Ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant*,

Scriptorum numerus, aut dignitas in historiis probandis quanti facienda sit.

Tertull. de veland. virg. cap. 1.

Jesu Chr. an. 604.

leant, non ideo verum putemus, quia ipsi ita senserunt, sed quia nobis, vel per auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt, ait Augustinus. Quare etsi Damasceno ceteros etiam addas, qui eamdem tradiderunt historiam, seu fabulam, Sanctum scilicet Thomam, Antoninum, Vincentium Bellovacensem, Gersonium, Tostatum, Giaconium, qui librum singularem, de Trajani liberatione edidit, Navarrum, aliosque; horum numerus, vel sanctitas, veritati nullum præjudicium afferre possunt.

Aug. epist. ad Hieron. S. Thom. in supplem. quest. 73. art. 3. Anton. 1. part. chronici.

Revelationes vulgatæ falsi convincuntur.

13. Denique pro Trajano ab inferis vindicando revelationes S. Birgittæ, in medium proferunt, ubi cum de eleemosinis, & orationibus agitur pro animabus fidelium defunctorum, id revelatum sibi fuisse legitur, atque ex iis, quæ in libro revelationum, sive visionum S. Mathildis nomine circumferuntur, idem confirmant, ubi lib. 5. capite 6. de animabus Sampsonis, Salomonis, Origenis, atque Trajani revelatum sibi fuisse traditur, noluisse Deum de illis occulta pandere, diversis ex causis. De Trajani autem anima hæc leguntur. *Quod ergo statuerim*, inquit Deus, *mea liberalitate de anima Trajani, nolo ut homines sciant, ut fides catholica ex hoc magis augeatur: quamvis enim iste tandem fuerit omnibus virtutibus plenus, fuit tamen infidelis, baptismate carens*. Audistin hæc non sane divinitus allata, sed humanitus fabricata, ac inter se pugnantia, dum asseritur noluisse Deum de Trajani anima aliquid sciri, voluisse tamen isthæc revelari, ac omnibus manifesta reddi per revelationes Mathildi factas, ac Sanctæ Birgittæ, quas, ait Baronius, ut Sanctas colo, & veneror, sed de revelationibus iisdem afflictis, qnod recipit ecclesia recipio, non hæc figmenta, quæ probare non potest. *Eloquia enim Domini casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*. Plura de his apud Baronium hoc anno videri possunt, aut apud Nat. Alexandrum differt. 2. in historiam seculi secundi. Nunc reliqua hujus anni prosequimur.

De creatione Sabiniani Papæ.

14. Postquam igitur S. Gregorii obitu Romana Sedes vacavit menses quinque, dies decem & octo, ut habet Anastasius, vel menses sex, diem unam, uti legendum esse eruditorum plurimi censent; communi omnium consensu, Sabinianus Rom. Pontifex electus, ac ordinatus est. Is porro natio-

natione Tuſcus, erat patria Volaterranus, ex patre Bono, qui cum Diaconus eſſet, a Gregorio Conſtantinopolim Apocryſarius miſſus fuerat, eoque revocato, in ejus locum ſuffectus eſt Anatolius, cui anno proximo ſucceſſerat Bonifacius, poſt Sabinianum Pontifex ordinatus.

Pontifices ex Diaconis aſſumpti an per ſaltum ordinarentur

Mabill. comment. prævio in ord. Rom. §. 16. & 18. tom. 2. muſei Ital.

15. Hoc tempore ex Romanæ eccleſiæ Diaconis Pontifices utplurimum eligebantur; cum etenim Rom. eccleſiæ legationes iis committerentur, ac rerum temporalium quoque curam gererent, regendæ eccleſiæ aptiores videbantur. Id porro in quæſtionem apud eruditos viros vertitur, num Diaconi, qui Romani Pontifices eligebantur, prætermiſſo presbyterali gradu Pontifices ordinarentur. Affirmativam partem tuetur Mabillonius, auctoritate ordinis Romani adductus, ubi cum de Pontificis Romani electione mentio fit, hæc leguntur: *Eligitur unus de Cardinalibus, de qualicumque titulo fuerit: tantum ut a prædeceſſore ſit Pontifice ordinatus, aut Presbyter, aut Diaconus. Nam Epiſcopus eſſe non poterit*. In electi itaque conſecratione, nullum ponitur diſcrimen electi Diaconi, aut Presbyteri, ſed una eademque pro utroque præſcribitur ordinatio. Tum exemplis Valentini, & Nicolai primi, quorum ille ex Archidiacono, hic ex Diacono electus, abſque alia ordinatione Pontifices creati ſunt, quantum ex Anaſtaſio conjicere licet; Valentinus *ad Lateranenſe Patriarchium deductus, & in Pontificali eſt poſitus throno. Deinde ejus conſecrationis die illuceſcente, eumdem ad Beati Petri Eccleſiam omnes pariter Romani a palatio deducentes, in alto throno ſummum conſecravere Pontificem: qui mox culmina ſcandens Beati Petri, ſacrificiis pie oblatis, ad palatium remeavit*. Nicolaus vero, ubi apud Lateranenſem Baſilicam, *Apoſtolico ſolio* impoſitus fuit; *poſtmodum in Baſilicam Beati Petri deductus, præſente Cæſare conſecratus eſt, Apoſtolicaque ſublimatus in Sede factus eſt Pontifex, & Miſſarum ſolemnia ſuper ſacratiſſimum Corpus Apoſtoli celebravit*. Hiſce Mabillonius Photii auctoritatem addit. Verum quis credat Photii criminationibus adverſus Eccleſiam Romanam allatis, ſi animo præſertim adverterit, Latinos conſtanter recriminationem illam a ſe diſpuliſſe? Ita ut de Æneа Pariſienſi dicendum omnino videatur, cum Juveninio (de Sacramento ordinis Diſſertatione VIII. cap. 4.) aliiſque ipſum in facto erraſ-

JESU CHR. AN. 604.

erraffe. Non meminit quidem Anaftafius Presbyteratus in Valentino, & Nicolao I.; at non inde certo confequitur, collatum illis minime fuiffe, cum præfertim contra facere videantur reliqua Romanæ ecclefiæ monumenta. Sed plura fortaffe, quam noftra interfit, de hac quæftione, qui plura cupit, præter citatum Juveninium ceteros adeat, qui rem facramentariam funt perfecuti.

De fynodo Virgonienfi in Anglia.

16. Cum chriftiana religio latius in Anglia Auguftini, & fociorum opera hoc tempore propagaretur, ad vicinos Britones ad ecclefiæ unitatem revocandos fefe Auguftini follicitudo convertit. Ii quippe, etfi ab antiquo tempore chriftianam religionem fufcepiffent, ab ecclefiæ tamen unitate, tanquam ab orbe divulfi erant, ac in Pafchalis celebratione, in baptifmatis adminiftratione, aliifque capitibus, ab ecclefiæ difciplina diffidebant; Anglofaxonibus præfertim infenfi, a quibus olim fuis fedibus ejecti fuerant. Hos itaque, ut ad officium revocaret. *Auguftinus, adjutorio ufus Edilberti Regis, convocavit ad fuum colloquium Epifcopos, five doctores maxime, & proximæ Britonum provinciæ, in loco ubi, ufque hodie lingua Anglorum Auguftineizat, id eft, robur Auguftini, in confinio Vectiorum, & Occidentalium Saxonum appellatur. Cæpitque eis fraterna admonitione fuadere, ut pace Catholica fecum habita, communem evangelizandi Gentibus pro Domino laborem fufciperent. Non enim Pafchæ diem dominicum fuo tempore, fed à decimaquarta ufque ad vigefimam lunam obfervabant: quæ computatio octogintaquatuor annorum circulo continetur. Sed & alia plurima unitati Ecclefiæ contraria faciebant. Qui cum longa difputatione habita, neque precibus, neque hortamentis, neque increpationibus Auguftini, ac fociorum ejus affenfum præbere voluiffent, fed fuas potius traditiones, univerfis, quæ per orbem fibi in Chrifto concordant Ecclefiis, præferrent: Sanctus pariter Auguftinus hunc laboriofi, ac longi certaminis finem fecit, ut diceret: Obfecremus Deum, qui habitare facit unanimes in domo Patris fui, ut ipfe nobis infinuare cæleftibus fignis dignetur, quæ fequenda traditio, quibus fit viis ad ingreffum regni illius properandum. Adducatur aliquis æger, & per cujus preces fuerit curatus, hujus fides & operatio Deo devota, atque omnibus fequenda credatur.* Accepta conditione, oblatus eft cœcus, quem cum Britonum Sacerdotes curare non

non potuissent, Augustinus, facta super eum oratione, sanavit. Tum Britones, sequitur Beda, confitentur quidem intellexisse se, veram esse viam justitiæ, quam prædicaret Augustinus, sed non se posse, absque suorum consensu, ac licentia priscis abdicare moribus. Unde postularunt, ut secundo Synodus, pluribus advenientibus, fieret. Quod cum esset statutum, venerunt (ut perhibent) septem Britonum Episcopi, & plures viri doctissimi, maxime de nobilissimo eorum monasterio, quod vocatur lingua Anglorum Bancornabug, cui tempore illo Dinooth Abbas præfuisse narratur. His vero in unum congregatis, dixit Augustinus. *Etsi in multis quidem nostræ consuetudini, immo universalis Ecclesiæ contraria geritis: tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, ut Pascha pro tempore celebretis, ut ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, juxta morem Romanæ sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ compleatis, ut Genti Anglorum una nobiscum prædicetis verbum Domini: cetera quæ agitis, quamvis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. At nihil horum se facturos, neque illum pro Archiepiscopo habituros esse respondebant, conferentes ad invicem: Quia si modo nobis assurgere noluit, quanto magis si ei subdi cœperimus, jam nos pro nihilo contemnet? Quibus Vir Domini Augustinus fertur minitans prædixisse, quod si pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hostibus forent accepturi: & si nationi Anglorum noluissent viam vitæ prædicare, per horum manus ultionem essent mortis passuri*, quæ quidem, ut auctor est Beda, post Augustini obitum contigerunt, cum Elefridus Bancorienses monachos supra mille interfecit, dum eam provinciam ingressus excurrendo, cœdibus, rapinis, igneque vastavit. *Sicque completum est præsagium Sancti Pontificis Augustini, quamvis ipso jam multo ante tempore ad cœlestia Regna sublato, ut etiam temporalis interitu ultionem sentirent perfidi, quod oblata sibi perpetuæ salutis consilia spreverant*, ait Beda. Hanc Augustini cum Brancoriensibus monachis, & Britonum Episcopis collationem inter annum 601., ad annum 604. auctores referunt, quo anno non constat, nec multum refert; unde hæc adnotasse sufficiant.

Jesu Chr. an. 604.

Augustini collatio cum Britonibus irrita redditur.

17. Britonibus in sua contumacia permanentibus: Orientales Saxones fidem christianam, & Evangelium susceperunt, qua de re Augustinus duos Episcopos creavit, Mel-

Orientalium Saxonum conversio.

 Beda hist. Angl. l. 2. c. 3.

Mellitum, & Justum, quorum alterum Landoniæ, alterum Roffensi civitati præfecit: quanta fuerit evangelica messis, & quomodo propagata fides, audiatur ex Beda. *Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quarto, Augustinus Britanniarum Archiepiscopus ordinavit duos Episcopos, Mellitum videlicet, & Justum: Mellitum quidem ad prædicandum provinciæ Orientalium Saxonum, qui Thamesi fluvio dirimuntur a Cantio, & ipsi Orientali mari contigui, quorum metropolis Londonia civitas est super ripam præfati fluminis posita, & ipsa multorum emporium populorum terra marique venientium. In qua videlicet gente, tunc temporis Saberethus nepos Edilberti, ex sorore Ricula regnavit, quamvis sub potestate positus ejusdem Edilberti, qui omnibus (ut supra dictum est) usque ad terminum Humbri fluminis Anglorum gentibus imperabat. Ubi vero & hæc provincia verbum veritatis prædicante Mellito, accepit; fecit Rex Edilberthus in Civitate Londonia ecclesiam Sancti Pauli Apostoli, in qua locum sedis Episcopalis, & ipse & successores ejus haberent. Justum vero in ipso Cantio Augustinus ordinavit Episcopum in Civitate Doroverni, quam gens Anglorum a primario quondam illius, qui dicebatur Rofschester cognominant. Distat autem a Droverni millibus passuum ferme vigintiquatuor ad Occidentem, in qua Rex Edilberthus ecclesiam B. Andreæ Apostoli fecit. Qui etiam Episcopis utriusque Ecclesiæ, hujus dona multa, sicut & Dorovernensis, obtulit; sed & territoria, ac possessiones in usum eorum, qui erant cum Episcopis adjecit.*

Orientales res ob bellum Persicum afflictæ.

18. Orientales autem res sub Phoca Imperatore, seu potius tiranno in interitum ruebant; Chosroes enim Persarum Rex, rupta cum Romanis pace, ingenti collecto exercitu Romanas invasit provincias. *Narses etiam Romani Dux exercitus rebellionem in Tyrannum movit, & Edessam occupavit. Quare Phocas germano Duci, ut Edessam obsideret præcepit. Narses Persarum Regem Chosroen, ut collecto exercitu in Romanos bellum moveat scriptis sollicitat, tunc Phocas creat magistrum militum Domentziolum.* Phocas vero auctis Chagano donis, barbaros pacem servaturos sperans copias omnes ex Europa in Asiam transmisit, divisas partim in Persas, partim in Narsetem. At ubique Romanos milites fugatos fuisse, Romanorumque provincias afflictas fuisse, sequentibus annis videbimus.

J E-

JESU CHRISTI AN. 605. SABINIANI PAPÆ 2.
PHOCÆ IMP. 4. AGILULPHI REGIS LONGOB. 16.

Fames urbem vexat. *Paul. Diac. lib. 4. c. 9.*

1. Sexcentesimus quintus annus adest, quo ut narrat Anastasius in vita Sabiniani Papæ: *Fuit fames in civitate Romana gravis*. Paulus quoque Diaconus. *Fuit hyems*, ait, *frigida nimis, & emortuæ sunt vites pene in omnibus locis, messesque percussæ uredine passim evanuere. Debuit etenim Mundus famem sitimque pati quando decedente tanto doctore animas hominum spiritalis alimoniæ penuria, sitisque ariditas invasit*. His subdit Adoaldum a Patre Agilulpho in Regni societatem adscitum fuisse. *Sequenti mense Julii Adaluvaldus Agilulphi filius creatus est Longobardorum Rex apud Mediolanum in Circo, in præsentia patris sui Agilulphi Regis, astantibus legatis Theodeberti, & pax firmata est perpetua cum Francis, & desponsata est eidem Regio puero filia Regis Theudeberti*.

Adoaldus ab Agilulpho Regno sociatur.

De Aquilejensi. & GradensiPatriarchis. *Paul. Diac. lib. 4. c. 34.*

2. Ex eodem Paulo Diacono scimus hoc anno, vel sequenti Severum Aquilejensem Patriarcham fatis concessisse: *His diebus defuncto Severo Patriarcha, ordinatus est loco ejus Joannes Abbas Patriarcha in Aquileja vetere, cum consensu Regis Agilulphi. In Gradu quoque ordinatus est Patriarcha Epiphanius, qui fuerat Primicerius notariorum, ab Episcopis qui erant sub Romanis: & ex illo tempore cœperunt duo esse Patriarchæ*, nempe Aquilejensis, atque Gradensis. Eadem narrat Joannes Diaconus, his verbis. *Denique Severus, quia ad unitatem Sanctæ universalis ecclesiæ redire non meruit, ad scindendum quoque suæ diœceseos unitatem Romanum Pontificem sua vecordia suscitavit, adeo ut ab ipso illius obitus tempore Aquilejensis Diœcesis in duos Metropolitanos, catholicorum videlicet, & schismaticorum divisa sit; neque potuit postmodum, licet omnes generaliter ad unitatem de schismate repedaverint, ad pristinæ conjunctionis unionem, usque hactenus reformari*. Hæc ille, quæ lucem accipiunt ex epistolis schismaticorum, quas ex veteri manuscripto nostræ Vallicellanæ bibliothecæ Baronius annalibus inseruit, a Madrisio deinde inter opera Paulini Aquilejensis, a Derubeis etiam inter monumenta ejusdem ecclesiæ, ac in Mantuano concilio sub Eugenio secundo anno 827. celebrato lectæ sunt. Cum etenim Aquilejensis se-

JoannesDiac. in vita Greg. lib. 4. c. 38.

JESU CHR. AN. 605.

sedes, ob Severi obitum vacasset, qui in schismate ob tria capitula excitato, ex Istriæ Episcopis perseverabant, Joannem quemdam elegerunt. At cum ex Venetiæ, Rhetiæ, & Istriæ Episcopis, quamplurimi, ii maxime, qui Græcorum Imperio, & Exarcho parebant, ad unitatem aut redierant, vel redire cupiebant, hinc Romani Pontificis industria, & Exarchi opera factum est; ut ii, qui schismati renunciaverant, ac in Romanæ ecclesiæ communionem transierant, ab Aquilejensis potestate, & jurisdictione sejungerentur, quibus Gradensis Metropolita datus est; dum ceteri, qui in schismate perseverarunt, Aquilejensi Patriarchæ parebant. Rem gestam narrant Episcopi in concilio Mantuano ann. 827., ac primo adnotant, quod tempore, quo Longobardi in Italiam irruerant, Paulus tunc temporis Aquilejensis Patriarcha, ut eorum feritatem vitaret, sedem suam Gradum transtulerat, cui postea Probinus, deinde Elias, ac tandem Severus successerant, qui etsi Gradum transiissent, Aquilejensis tamen Patriachæ & Episcopi fuerant, ac unus idemque Aquilejensis, ac Gradensis; at subdunt. *Defuncto Severo, ordinatur loco ejus Joannes Patriarcha in Aquileja, eo tempore quo Agilulphus Rex Longobardorum regnabat: in Gradu quoque ordinatus est hæreticus Candidianus.* Sic schismatici Candidianum dicebant, eo quod condemnationi trium capitulorum subscripserat, ac in Romanæ ecclesiæ communionem redierat. Deinde epistolam Joannis Aquilejensis Patriarchæ adversus Candidiani ordinationem, ad Agilulphum Longobardorum Regem scriptam proferunt, qua Regem rogant, ut totis viribus ordinationi Gradensis Episcopi, seu Patriarchæ, utpote in præjudicium, & injuriam Aquilejensis Patriarchæ, resisteret; frustra nihilominus hæc omnia cessisse addunt. *Quia Gradus mari, & fluctibus cingitur, & Istria quæ prius Aquilejæ suæ Metropoli subjecta fuerat, Smaragdo Exarcho existente, tum a Longobardis capi non potuerat, sed ad jura Græcorum transiit: quo factum est, quod Rex nullum ei potuit præstare auxilium: ac per hoc, ipso annitente Exarcho, Istriæ Episcopi de Ecclesiis suis a militibus Græcorum tracti sint, & hunc Candidianum ordinare compulsi.* Sicque Aquilejensis Patriarchatus, seu Metropolis in duas partes divisa fuit, quarum una Aquilejensi Episcopo, altera Gradensi parebat, ac usque ad annum 827. perseveravit;

etiam

etiam cum jamdiu Aquilejenses Metropolitæ schismate abdicato, ad ecclesiæ unitatem rediissent; sæpe tamen pristinam jurisdictionem recuperare conati sunt Aquilejenses Antistites. At cum Aquilejensium conatibus adversarentur Gradenses Metropolitæ, quibus utplurimum favebant Romani Pontifices; usque ad Mantuanam synodum anno 827. celebratam, nihil obtinere potuerunt Aquilejenses Patriarchæ, uti suo loco, cum de eadem synodo sermo fiet, adnotaturi sumus. Hactenus epistola Joannis Patriarchæ Aquilejensis ad Agilulphum Regem Longobardorum, cujus auxilium contra catholicos interpellabat. At frustra; nam tum Gradensis Episcopus, cum Istriæ Episcopi sub Græcorum Imperio degentes, ab Aquilejensi Metropolita, vel a Longobardis nil metuere poterant. Ex hac Aquilejensis Patriarchatus divisione, ea exorta sunt dissidia inter utrumque Episcopum, quæ longa temporum serie agitata sunt; ut neque Mantuano concilio anni 827. sopita fuerint, cum jam Aquilejenses Episcopi, ac Istriæ & Venetiarum ad ecclesiæ unitatem rediissent, tempore Sergii Papæ primi. At Gradensis Patriarchatus Venetias, postea tempore Laurentii Justiniani translatus est, Aquilejensis vero sub Benedicti 14. Pontificatu extinctus est, ac in duas Metropoles distinctus, quarum una Venetis Episcopis præesset: altera Episcopis, qui Austriæ Principibus suberant. At de his hactenus.

De synodo Cantuariensi & monasterio ab Edelberto Rege dotato.

3. Cum christiana fides in Anglia fidelium numero, & pietate augeretur; monastica quoque disciplina ibidem propagata est. Quare cum Augustinus Anglorum Apostolus monasterium prope Cantuariam ædificasset, Petrum, unum ex iis, quos Apostolicæ missionis socios habuerat, Abbatem in eo constituit, ac congregata in solemnitate Natalis Domini ibidem synodo, ex clero, & populo cum Optimatibus Regni; Rege ipso Ædilberto adstipulante, qui monasterium amplissimis possessionibus, & privilegiis ditaverat; ab synodo ibidem collecta, Monasterii jura, ac privilegia confirmari jussit. Instrumentum donationis eidem monasterio ab Ædelberto Rege factum, in appendice ad concilia M. Britanniæ per Wilchins collecta, extat tomo 4., atque his verbis exorditur. *In nomine Domini Jesu Christi. Notum sit omnibus tam præsentibus, quam posteris, quod ego Ethelbertus Dei gratia Rex Anglorum per evangelicum genitorem meum Au-*

Jesu Chr. an. 605.

Thom. Sprottus in monast. Angl. pag. 23. Wilkins to. 1. concil. M. Britt. p. 28. Labb. to. 5. pag. 1614.

gustinum &c. Hujus concilii meminit Thomas Sprottus in monastico Anglicano, qui refert fundi donationem, in quo constructum fuit monasterium, ejusque confirmationem, datum autem utrumque scriptum in civitate Doroberniæ anno ab incarnatione Christi DCV. indictione VI.; sed in indictione error irrepsit, legendumque indictione VIII., quæ anno Dionysiano DCV., quo acta illa exarata, in cursu erat mense Januario, atque ad hunc annum referunt Conciliorum editores, VVilkins, aliique.

Seberetus Orientalium Saxonum Rex baptizatur.

Beda lib. 1. hist. Angl. cap. 3.

4. Ad fidei catholicæ augumentum in Anglia accessit Seberti Regis conversio, qui ut chronographus Saxo narrat, baptismum suscepit. Is Ethelberti Regis nepos erat, ac Secundus ex Anglorum Dinastis, qui Christo nomen dedit, ut adnotat Beda; ac addit in eam regionem Orientalium Saxonum, Mellitum cum Justo ad prædicandum Evangelium missum fuisse, quem etiam Episcopum Augustinus ordinaverat. Mellitus vero illuc profectus, cum eas gentes, cum Rege adjuvante Deo ad Christi fidem convertisset, Augustini exemplo, ac Seberti Regis munificentia adjutus, monasterium Beati Petri, in Occidentali Landoniæ urbis parte ædificavit, unde VVestmonasterio indita appellatio, in qua urbe cathedralem ecclesiam in honore Beati Pauli, ad Orientalem partem Rex Ethelbertus, jam construxerat, ut habet Beda. Celebre semper fuit, hoc monasterium, & a Vilelmo Rege propter S. Edwardi memoriam illuc sepulti, in Regum sepulturam electum, duravitque hic mos, usque ad Henrici octavi tempora, cum ob ejus ab ecclesia catholica defectione in solitudine redactum fuit, ut ceteris aliis monasteriis accidit.

De monasterio B. Petri Londini per Mellitum, & Seberetum Regem extructo.

Beda ut sup.

De synodo Londinensi.

5. Synodus altera hoc anno ab Augustino, & Coepiscopis Londini celebrata est, cujus acta cum perierint, vix mentio in conciliorum editoribus occurrit. At ejusdem mentio fit in epistola Bonifacii Mogontini Archiepiscopi ad Zachariam Pontificem, qua de incestuoso quodam matrimonio ab illustri viro inito agens, refert, hujuscemodi matrimonii in tertio cognationis gradu initi, licentiam ab Apostolico viro, & synodo Londinensi obtinuisse, quod vix se credere posse adnotat, his verbis. *Tale enim matrimonium supradictus homo, sibi ab Apostolico affirmat esse concessum. Quod non æstimamus esse verum, quia synodus, & ecclesia in qua natus, & nutritus fui, idest in transmarina Saxonia,*

nia, Londinensis synodus: quæ in primis a discipulis Sancti Gregorii, idest Augustino, Laurentio, Justo, Mellito Archiepiscopis constituta, & ordinata fuit, talem copulam, & matrimonium maximum scelus, & incestum, & horribile flagitum, & damnabile piaculum esse ex auctoritate Sanctæ Scripturæ judicabant. Eo quoque spectat, quod in epistola Zachariæ ad eumdem Bonifacium legitur. *Primum capitulum pro synodo provinciæ, in qua natus & nutritus es: quam & in gentem Anglorum, & Saxonum in Britannia insula, primi prædicatores ab Apostolica Sede missi, Augustinus, Laurentius, Justus, & Honorius &c. In illa tale decretum, & judicium firmissime præceptum, & diligenter demonstratum esse dignoscitur; ut quicumque sine invocatione Trinitatis lotus fuisset, Sacramentum regenerationis non haberet*. Hoc est, ab ea statutum synodo, ut qui vel unam de Trinitate personam in baptismo omisisset, irritum baptismum fieret. Unde Gratianus, tamquam ex Anglorum synodo, hæc refert; *De Consecratione dist. quarta*.

Romani a Longobardis pacem auro redimunt.

6. Cum induciæ inter Romanos, & Longobardos Gregorii Papæ industria initæ, transactæ essent; Smeraldus Exarchus duodecim millia solidorum auri pretio a Longobardis, annuales adhuc obtinuit, sicque auro pacem redimere coacti sunt Romani, cum nullæ ad resistendum vires suppeterent, ac in interitum pene Romanorum res, tum in Occidente, cum in Oriente ruerent, nam in Oriente, ut narrat chronicon Alexandrinum, *Persæ Eufratem transgressi, Siriam universam, & Palæstinam, atque Phœniciam populati sunt, ingentemque stragem, atque prædam in Romanorum ditione fecere, quæ partim currenti, partim sequenti anno facta sunt*. His tetriora erant, ea, quæ ex Phocæ crudelitate fiebant, dum pro quavis, etsi levissima suspicione, in mortem, vel in carcerem nobiliores trahebantur, ita ut cum nullus jam carcer iis continendis sufficeret, ne multitudine suffocarentur, pia fœmina commiseratione mota, eumdem dilatavit, suam Imperatori domum tradens, ut carceres ampliarentur. Hæc Clycas in annalibus de Constantino Magno verba faciens, *pag. 252. edit. Paris. Regiæ*.

JE-

Jesu Chr. an. 606.

JESU CHRISTI an. 606. Romana Sedes vacat. Phocæ Imp. 5. Agilulphi Longob. Regis 17.

Mors Sabiniani Papæ. *Anast. to. 4. pag. 11. Pag. hoc an.*

1. Sextum supra sexcentesimum annum vix attigit Sabinianus Pontifex, qui postquam sedisset, inquit Anastasius. *Annum unum, menses quinque, dies novem: sepultus est in ecclesia Beati Petri Apostoli die 22. mensis Februarii.* Quare cum Pontificatum iniisset anno superiori, die 13. mensis Septembris, mors ejus accidit currenti anno, die 22. Februarii, quo eum sepultum fuisse adnotat; Non vero 11. Kalend. Martii, seu die 19. Februarii superioris anni, ut per errorem habet Baronius, asserens eum sedisse menses quinque dies 19., quem errorem habet etiam Fleurj, contra omnium Codicum fidem. Hinc factum, ut in sequentium Pontificum sede describenda, unius anni procronismo, iidem erraverint. Post Sabiniani obitum, addit Anastasius. *Cessavit Episcopatus menses 11. dies 26.*, quare Bonifacii tertii ordinatio in diem decimanonam Februarii sequentis anni accidit. De Sabiniano hæc etiam, addit Anastasius. *Eodem tempore fuit fames in civitate Romana gravis. Facta autem pace cum gente Longobardorum, (de qua anno superiori diximus) & jussit aperire horrea ecclesiæ, & venundari frumentum populo, per solidum unum tritici modios triginta. Hic in ecclesia Beati Petri Apostoli luminaria dedit. Quo defuncto, funus ejus ejectum est, per portam Sancti Joannis, & ductum est foris muros civitatis per pontem Milvium. Qui & sepultus est in ecclesia beati Petri Apostoli, die 22. mensis Februarii. Hic ecclesiam de clero implevit. Hic Episcopos fecit, per diversa loca numero sex, & viginti.* Hactenus Anastasius; apud aliquos male audit Sabinianus, eo quod frumentum venundari pauperibus jusserit, cum illud erogare debuisset, ut in more fuit apud Gregorium, ut narrat Anastasius. Hinc factum, addit Baronius, ut non per mediam civitatem, cum funebri pompa deferretur ejus corpus ad Basilicam Beati Petri, sed exiens per portam Sancti Joannis, & extra muros circumductum, usque ad Pontem Milvium duceretur, ac inde tandem ad ecclesiam S. Petri, cujus quoque famæ detrahit Sigebertus in chronico, his verbis. *Cum Sabinianus Papa, & ipse liberalitati Gregorii prædecesso-*

Fleurj l. 36. num. 52.

cessoris sui derogaret, Gregorius eum per visum ter pro culpa tenaciæ, & hujus derogationis increpatum, quod non resipisceret, etiam quarto horribiliter increpans, & comminans, in capite percussit, quo ille dolore vexatus, non multo post mortem obiit.

Sabiniani fama vindicatur.

2. Unde autem hanc historiam, sive fabulam hauserit Sigebertus non constat. Quare hæc inter apocrypha delegamus, utpote a scriptore duodecimi sæculi absque ullo teste prodita. Quin ex Anastasio facile probatur, non fuisse Sabinianum adeo illiberalem, ac avaritiæ deditum, cum urgente fame jusserit. *Aperiri borrea ecclesiæ, & venundari frumentum populo per solidum unum, tritici modios triginta.* Quid etenim in hac narratione occurrit, quod avaritiam redoleat, dum taxavit libras sexcentas tritici, pretio viginti quinque Juliorum (juxta Baldini computum) quinimmo in maxima frumenti charitate maximæ liberalitatis exemplum dedit, ob idque laudandus potius, non reus agendus. Verum enim vero errandi caussam præbuit Baronio, præter Sigebertum, corrupta Anastasii lectio, qua ipse usus est; Sabinianum nempe triginta solidis, tritici modium unum vendidisse, quod sane intollerabile fuisset. Qua vero de caussa ejus funus, extra portam S. Joannis deductum fuerit, id præter consuetudinem factum fuisse non adnotat Anastasius, nec nos divinare possumus; certum tamen id æque in ejus laudem, ac vituperationem cedere posse. Cujus famam egregie vindicant Anastasii editores, ut in notis ad Sabiniani vitam tomo 4. videre est.

Bar. ann. 605. num. 8.

Cyriaci Constantinop. Episc. obitus.

3. Postquam Sabiniani Pontificis Romani memoriæ justa persolvimus; de morte Cyriaci Patriarchæ Constantinopolitani, nonnulla addimus, de qua hæc auctor chronici Alex. ad hunc annum. *Hoc anno Cyriacus Patriarcha Constantinopolitanus mense Hyberbereteo, idest Octobri: apud Romanos 29. die sabbati obiit, funusque curatum est, trigesimo ejusdem mensis die Dominica, & repositum corpus pro more in æde SS. Apostolorum.* Qua die, 30. scilicet Octobris Cyriacus in Ecclesiasticis fastis recolitur; in aliis vero die 27. Octobris, de Thoma Cyriaci successore anno sequenti, hæc idem auctor addit. *Hoc anno mense Audyneo, apud Romanos 23. Januarii creatus est Patriarcha Constantinopolitanus Thomas magnæ ecclesiæ Diaconus, &*

Pa-

Patriarcha ultro expetitus. Atque hæc de gestis hoc anno satis sint.

JESU CHRISTI AN. 607. BONIFACII 3. PAPÆ 1. PHOCÆ IMP. 6. AGILULPHI LONGOB. REGIS 18.

De Bonifacii 3. ordinatione.

1. Anno septimo supra sexcentesimum, postquam anno fere integro vacasset Romana Sedes, ideſt per menses undecim, & dies 26. ut habet Anastasius, Bonifacius tertius natione Romanus ordinatus est, is cum Diaconus esset Rom. ecclesiæ, Apocrysarius ad Phocam Imperatorem a S. Gregorio Papa missus fuerat, eoque functus munere, facilius Romanum Pontificatum adeptus est. Cum enim ad cleri electionem, consensus Imperatoris expeteretur, eum sæpe eligebat Rom. clerus; quem Imperatori acceptum esse sciebat, ut in Vigilio, Paschali, Gregorio, Sabiniano, ac Bonifacio contigit, ac die decimanona Februarii, in quam Dominica incidit, ordinatus fuit, ut ait Pagius, alii vero die 29. Januarii, ejusdem ordinationem alligant.

Pag. nota 2. ann. 606.

Phocas Bonifacio favet

2. Bonifacius interea Pontifex ordinatus, a Phoca Imperatore obtinuit, *Ut Sedes Apostolica Beati Petri Apostoli caput esset omnium ecclesiarum, ideſt Romana ecclesia; quia ecclesia Constantinopolitana primam se omnium ecclesiarum scribebat*. Eadem narrat Paulus Diaconus: *Hic Phocas Imperator, rogante Papa Bonifacio statuit sedem Romanam, & Apostolicæ ecclesiæ primam esse, cum prius Constantinopolitana se primam omnium diceret*. Hæc in gratiam Romani Pontificis decrevisse Phocam, in odium Cyriaci CPolitani Episcopi, quem sibi resistentem invenerat, dum Germanum, aliosque e sacro asilo extrahi jusserat, ait Theophanes; at hæc non solum incerta, sed etiam levissima sunt, nam ante Bonifacii ordinationem Cyriacus obierat, eique Thomas successerat, qui nullam hactenus cum Phoca simultatem habuerat. Ex his tamen, quæ Phocas in gratiam Rom. Pontificis statuit, perridiculam sane illationem Novatores deducunt, quam Baronius his verbis exsufflat. Sagacissimi Novatores qui ad labefactandum Ecclesiæ Romanæ Primatum undique machinas adstruunt, simulac invenerunt a Phoca Imp. Romanæ Ecclesiæ tributum esse primatum; quot putas ipsos plausibus accepisse sententiam, eamque acclamationibus celebrasse, & declamationibus exagerasse? Nimirum, quod ejus super omnes Ecclesias prærogativa sit tyrannice usurpata,

Paul. Diac. de gestis Long. lib. 4. cap. 11.

pata, a tyranno concessa, a Phoca scilicet Imperatore primitius impertita Bonifacio, hujus nominis tertio Ecclesiæ Romanæ Pontifici? Verum cum exultant, sicut victores capta præda, eisdem perinde accidit, quod ac reprobi Saulis apparitoribus, atque nunciis (ut de divina scriptura prodatur exemplum), cum putantes se Davidem, quem quærebant, jam tenere captivum, & vincire catenis; illo elapso, pellitum simulacrum loco ipsius apprehendisse videntes, cum rubore senserunt se fuisse delusos, ubi longe aliter, quam putarent accidisse noverunt. At quomodo potuit Phocas, super Constantinopolitanam Ecclesiam Romanæ contulisse Primatum, quem numquam aliquem Constantinopolitanum Episcopum usque nunc profiteri desiisse, quis poterit invenire? Nonne vidimus nuper a sententiis Joannis Episcopi Constantinopolitani esse a pluribus appellatum ad Apostolicam Sedem, & adversus latam ab eo sententiam sanctum Gregorium judicasse; nec ipsum Joannem ab ipsius Apostolicæ Sedis judicio resiliisse? Nonne & ejus successorem Cyriacum vidimus esse professum, subjectum se esse Romano Pontifici, prout superius dictum est suo loco? Si hæc de refractariis Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarchis dici possunt, atque probari: de pacificis, & obsequentibus, quid dicendum: Si hoc jure Sedi Apostolicæ debitum; quid de nomine altercandum? Nonne longe ante Phocam nomen Œcumenici a Synodo Chalcedonensi, & a Patriarcha Alexandrino Romano Pontifici esse oblatum certum est, ut testatur ipse Gregorius, ut taceamus de inferioribus Episcopis? Quid ergo suo edicto contulit Romanæ Ecclesiæ Phocas? Nihil plane, nisi quod declararit sua sententia, indebite usurpari ab Episcopo Constantinopolitano Œcumenici nomen, quod Romanæ dumtaxat deberetur Ecclesiæ: cum alioquin Romanam Ecclesiam semper tenuisse Primatum super omnes totius orbis Ecclesias, ne ipsi quidem adversarii contradixerint, ut superius suis locis latissime est demonstratum: sed in eo dumtaxat, cum dictis Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopis controversia erat, quod invitis ac reclamantibus Romanis Pontificibus, Constantinopolitani Episcopi titulum sibi Œcumenici usurpassent. Quod ergo Phocas in odium Cyriaci (ut dictum est) adjudicasset causam Rom. Pontifici, ut non Constantinopolitanus, sed ipse solus Œcumenicus diceretur, putarunt rerum ignari, a Pho-

Isai. 9.

1. Reg. 19.

Primatus Romanæ Ecclesiæ semper cognitus.

Greg. l.7.ep. 30. Ind. 1.

JESU CHR. AN. 607.

a Phoca Imp. Romano Pontifici tributum esse privilegium, ut in Ecclesia Catholica primatum gereret. Sed quam hæc ridenda sint, & sibilis insectanda (si ita liceret christianæ modestiæ) omnes intelligent, qui ab adventu Domini, usque ad Phocam, elapsos annos singillatim in Annalibus recensuerint, atque viderint vix aliquem prætercurrere annum, quo non eluceat Ecclesiæ Romanæ primatus: adeout facilius sit negare non lucere solem, vel ignem non calefacere, quam ejusmodi fulgentes veritatis sparsos ubique radios obscurare. Hæc Baronius. Nihil ergo aliud a Phoca obtinuit Bonifacius, quam quod a Mauritio sæpe expetierat S. Gregorius, ut de Œcumenici titulo blandientes sibi Joannem, & Cyriacum cohiberet.

Concilium Romanum, ne vivente Pontifice de successore ageretur.

3. Romanum Pontificatum adeptus Bonifacius, ad comprimendum ambitum in electione Romanorum Pontificum: *Constitutum fecit*, ait Anastasius, *in Ecclesia Beati Petri, in qua sederunt Episcopi septuaginta duo, Presbyteri Romani triginta quatuor, Diaconi, & omnis clerus, sub anathemate, ut nullus, Pontifice vivente, aut Episcopo civitatis suæ, præsumat loqui de successore, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus, adunato clero, & filiis ecclesiæ, tunc electio fiat, & quem quisque voluerit habebit licentiam eligendi sibi Sacerdotem*. Ambitio enim verecundiæ nescia, eo procaciæ venerat, ut superstite adhuc Romano Pontifice, ab aliquibus interdum de successore eligendo tractaretur, quæ etsi jam alias prohibita fuissent, adhuc tamen synodali simul, Pontificioque decreto, eliminanda Bonifacio visa sunt.

Bonifacii Papæ 3. obitus.

Apud Anast. p. 15. to. 4. Pag. not. 4. ann. 606.

Papebroch. in paralipomenis ad conatum in Rom. Pontif. catalog.

Pag. not. 5. ann. 606.

4. Non diu super cathedram Petri Bonifacius sedit, nam hoc eodem anno, & sedere cœpit, & vivere desiit, scilicet post menses octo dies 22., ut habent quamplurimi Codices Anastasii. *Sepultus autem est Bonifacius in ecclesia B. Petri Apostoli, die duodecima mensis Novembris. Hic fecit Episcopos per diversa loca numero viginti unum, & cessavit Episcopatus menses decem, dies 6.*, teste Anastasio. Extat ejus Epitaphium in Codice Vintoniano Verdunensis cœnobii a Papebrochio primum, deinde ab Antonio Pagio editum, his verbis.

Hic

Hic requievit Bonefatius qui sedit
menses VII. dies XXXII.
Depositus pridie idus Novembris
Imperante Domno PP. AUG. A. VI. IND. XI.

5. Hoc anno cum adhuc Apostolicæ Sedi præsideret Bonifacius tertius, Faustus S. Mauri discipulus, e Gallia rediens ad Cassinates suos, qui tunc in monasterio Lateranensi degebant, S. Mauri vitam Bonifacio obtulit, ut habet Leo Marsicanus, sive Ostiensis. *Tertio interea Bonifacio Apostolicæ Sedi præsidente, memoratus Faustus, qui cum Beato Mauro ad Gallias perrexerat, ad prædictum Lateranense cænobium rediit, atque a B. Theodoro (qui tunc post sanctæ memoriæ Valentinianum tertius, eamdem congregationem regebat) rogatus atque compulsus, historiam de vita Beati Mauri signata veritate conscripsit, quam idem Papa Bonifacius approbans, sua auctoritate roboravit*. Cassinense monasterium jam pridem a Longobardis eversum fuerat, & monachi Lateranense monasterium incolebant, ibique, si Petro Diacono fides, Faustus sepultus est. Hanc Mauri vitam Odo inventam vulgavit, quam tamen pluribus adhuc mendis scatere Mabillonius testatur.

Faustus libellum offert Bonifacio de vita S. Mauri.

Leo Ostiensis chron. Cassinensi lib. 1. cap. 3.

Petrus Diac. de ortu, & vita justorum Sacri Cœnobii Cassinensi.

6. Ad eumdem Pontificem Bonifacium tertium Columbanus Luxoviensis Abbas epistolam scripsit, quam in collectaneis B. Columbani Patritius Flamingus edidit, cujus inscriptio hæc est: *Domino Sancto, & in Christo Apostolico Patri Papæ*, absque ullo Pontificis nomine, hinc Flamingus ad Bonifacium quartum scriptam asserit, quia in ea epistola Columbanus dicit, litteras a se ad Gregorium transmissas, Sathanæ insidiis non fuisse redditas, & a Gregorii obitu, usque ad mortem Columbani duo dumtaxat Romani Pontifices intercessisse leguntur, Sabinianus, & Bonifacius quartus. Sabinianum vero mensibus tantum 5., ac diebus 19. in Pontificatu vixisse adnotat; unde in remotissima eremo vix ejusdem cognitio haberi potuit. Verum præterquam quod memoriæ lapsu Bonifacium tertium omittit, diuturnior quoque fuit Sabiniani Pontificatus; ideft anni unius cum mensibus quinque, ut supra adnotavimus. Ad Bonifacium tertium ergo scripsit Columbanus. In ea petit humiliter, ut dignetur sibi con-

Columbani epistola ad Bonifacium tertium.

Jesu Chr. an. 607.

concedere, ut ritum Paschæ sicut acceperat observare liceret, ac ciclos de Paschate a se editos misit, quos etiam Gregorio miserat. An responsum obtinuerit a Pontifice ignoramus; at patrium ritum in Paschæ celebratione retinuisse, constat ex ejus epistola ad Luxovienses Namnete scripta, cum in Hiberniam rediturus esset. Hanc tamen traditionem deposuisse videtur, cum in Italiam, perrexit idque suadet, tum ejus epistola ex Bobiensi monasterio scripta ad Bonifacium quartum, tum synodus Matisconensis Gallicanorum Antistitum, instinctu Agrestii monachi congregata adversus singulares, quosdam ritus Luxoviensium monachorum, in quibus nulla amplius de Paschate mentio occurrit.

S. Augustini obitus. *Beda hist. Angl. lib. 2. c. 3. & 4.*

7. Hunc annum Augustino Anglorum Apostolo ultimum fuisse, verosimile est; nam Beda post Melliti ordinationem, de qua anno elapso egimus, Augustinum obiisse subdit; Die autem 26. Maii obiit, quæ in tota Anglicana ecclesia solemnis fuit, ac in monasterio S. Petri juxta ecclesiam sepultus est, deinde in interiorem ecclesiam translatus. Anno sexcentesimo tertio decimo, cum in priori loco per septem annos jacuisset, ut habet vetus inscriptio relata in monastico Anglicano. Unde patet ejus obitum hoc anno contigisse. Id quoque certum est, anno octavo Phocæ Imperatoris, Christi scilicet sexcentesimo decimo Bonifacium quartum epistolas Laurentio Archiepiscopo dedisse, quem proinde jam tum Augustino successisse intellexerat. Augustini epitaphium, his verbis conceptum recitat Beda. *Hic requiescit Domnus Augustinus, Dorovvernensis Archiepiscopus primus, qui olim huc a Beato Gregorio Romanæ urbis Pontifice directus, & a Deo operatione miraculorum suffultus, Ethelbertum Regem, ac gentem illius ab idolorum cultu ad fidem Christi perduxit, & completis in pace diebus officii sui defunctus est VII. Kalendas Junias, eodem Rege Regnante.*

S. Augustini epitaphium.

Beda lib. 2. cap. 4. Laurentius successor Augustini.

Hæc Beda, qui addit vivente se, successorem sibi ordinasse Laurentium. *Successit autem Augustino in Episcopatum Laurentius, quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto, status ecclesiæ tam rudis, vel ad horam pastore destitutus vacillare inciperet. In quo & exemplum sequebatur primi pastoris ecclesiæ, hoc est Beatissimi Apostolorum Principis Petri, qui fundata Romæ ecclesia Christi, Clementem sibi adjutorem, evangelizandi simul, & successorem consecrasse perhibetur.*

8. Post

8. Post Augustini mortem Laurentius super Anglicanæ ecclesiæ fundamenta a decessore suo tam firmiter jacta, superædificare sategit nobile ædificium, accessione etiam Brittonum, & Scotorum, qui a Romana ecclesia in multis, & præcipue in Paschatis celebratione diffidebant, de quibus hæc narrat Beda. *Laurentius Archiepiscopatus gradu potitus, strenuissime fundamenta ecclesiæ, quæ nobiliter jacta vidit, augmentare, atque ad perfectum debiti culminis, & crebra voce sanctæ exhortationis, & continuis piæ operationis exemplis provehere curavit. Denique non solum novæ, quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat, sed & veterum Britanniæ incolarum, nec non & Scotorum, qui Hiberniam insulam Britanniæ proximam incolunt, populis pastoralem impendere sollicitudinem curabat. Siquidem ubi Scotorum in præfata ipsorum patria, quomodo & Britonum in ipsa Britannia vitam, ac professionem minus Ecclesiasticam in multis esse cognovit, maxime quod Paschæ solemnitatem non suo tempore celebrarent, sed (ut supra docuimus) a decima quarta Luna, usque ad vigesimam Dominicæ Resurrectionis diem observandum esse putarent: scripsit cum coepiscopis suis exhortatoriam ad eos epistolam, obsecrans eos, & contestans unitatem pacis, & catholicæ observationis cum ea, quæ toto orbe diffusa est Christi Ecclesia tenere.*

Fidei propagatio per Laurentium facta. Beda lib. 2. cap. 4.

9. Hac de causa exhortatoriam ad Scotos epistolam, cum Mellito, & Justo Coepiscopis scripsit, obsecrans eos, & contestans, ut catholicæ pacis unitatem cum ea, quæ toto orbe diffusa est ecclesia tenerent, his verbis. *Dominis charissimis Fratribus Episcopis, vel Abbatibus per universum Scotiam. Laurentius, Mellitus, & Justus Episcopi servi servorum Dei. Dum nos Sedes Apostolica more suo, sicut in universo orbe terrarum, in his Occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc insulam, quæ Britannia noncupatur, contigit introisse, antequam cognosceremus, credentes quod juxta morem universalis Ecclesiæ ingrederentur, in magna reverentia sanctitatis, tam Britones, quam Scotos venerati sumus; sed cognoscentes Britones, Scotos meliores putavimus; Scotos vero per Dagamum Episcopum in hanc, quam superius memoravimus insulam, & Columbanum Abbatem in Galliis venientem, nihil discrepare a Britonibus in eorum conversatione didicimus. Nam Dagamus Epi-*

Laurentius Scotis epistolam scribit.

JESU CHR. AN. 607.

Episcopus ad nos veniens, non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio, in quo vescebamur, sumere voluit. Hucusque ex epistola recitat Beda, ad ostendendum, tam Britones, quam Scotos ab Ecclesia Catholica fuisse ante divisos. Sed subdit: *Misit idem Laurentius, cum Coepiscopis suis etiam Britonum sacerdotibus litteras suo gradu condignas, quibus eos in unitate catholica confirmare satagit. Sed quantum hoc agendo profecerit, adhuc præsentia tempora declarant.* Hactenus Episcoporum epistola.

Brittonum cædes.

10. Hæc ad Brittones epistola procul dubio scripta fuit ante cladem, quæ ipsis (juxta Augustini vaticinium) inflicta est, nam intempestiva prorsus fuisset, post illam stragem ad unitatem adhortatio, nam Brittones a Romanis jam aversi, tanta accepta clade infensiores evasere. Rem gestam sic narrat Beda, post Augustini mortem, dum de collatione habita ab Augustino cum Brittonibus, de qua egimus anno 604.. *Quibus vir Domini Augustinus fertur minitans prædixisse, quod si pacem cum Fratribus accipere nollent, bellum ab hostibus forent accepturi. Etsi nationi Anglorum noluissent viam vitæ prædicare, per horum manus ultionem essent mortis passuri. Quod ita per omnia ut prædixerat, divino agente judicio, patratum est. Siquidem post hæc ipse, de quo diximus, Anglorum Rex fortissimus Edilfridus, collecto grandi exercitu, ad civitatem Legionum, quæ a gente Anglorum Legacestir, a Britonibus autem rectius Carlegion appellatur, maximam gentis perfidæ stragem dedit. Cumque bellum acturus videret sacerdotes eorum, qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente convenerant, seorsum in tutiore loco consistere, sciscitabatur, qui essent hi, quidve acturi illo convenissent? Erant autem plurimi eorum de Monasterio Bancor, in quo tantus fertur fuisse numerus monachorum, ut cum in septem portiones esset, cum præpositis sibi Rectoribus monasterium divisum, nulla horum portio minus, quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant. Horum ergo plurimi ad memoratam aciem, peracto jejunio triduano, cum aliis orandi causa, convenerunt, habentes defensorem nomine Brocmalium, qui eos intentos precibus a barbarorum gladiis protegeret. Quorum causam adventus, cum intellexisset Rex Edilfridus, ait: ergo si adversum nos ad Deum suum clamant, profecto & ipsi,*

Beda lib. 2. cap. 2.

quam-

quamvis arma non ferant, contra nos pugnant, qui adversis nos imprecationibus persequuntur. Itaque in hos primum arma verti jubet, & sic ceteras nefandæ militiæ copias, non sine magno exercitus sui damno delevit. Extinctos in ea pugna ferunt de his, qui ad orandum venerunt, viros circiter mille ducentos, & solum quinquaginta fuga esse lapsos. Brocmalius ad primum hostium adventum, cum suis terga vertens, eos quos defendere debuerat, inermes ac nudos, ferientibus gladiis reliquit. Sicque completum est præsagium sancti Pontificis Augustini, quamvis ipso jam multo ante tempore ad cœlestia Regna sublato: ut etiam temporalis interitus, ultionem sentirent perfidi, quod oblata sibi perpetuæ salutis consilia spreverant. Hæc Beda, unde nonnisi per calumniam novatorum aliqui, cladem Augustino instigante accidisse tradunt.

Thomas CP. Episc. ordinatur. Eulogii Patriarcha Alex. obiit.

II. Orientales oras nunc adeamus. Mortuo superiori anno Cyriaco Constantinopolitano, ut diximus, Thomas in ejus locum hoc anno die 23. Januarii ordinatus est. Eulogius vero Alexandrinus Episcopus vir Sanctissimus, qui anno 580. ad Episcopatum evectus fuerat, hoc etiam anno ad Deum abiit. Nicephorus quidem in chronico annos tantum 17. eidem tribuit; at 27. legendum esse constat. Is porro cum doctrina, & sanctitate claruerit, die 13. Septembria recolitur, ut videre est apud Photium. Cod. 208. 225. 226. 227. 230., & 280., ubi multa operum ejus fragmenta recitat. Combefisius vero in tomo primo Actuarii bibliothecæ Græco Latinæ pag. 651, sermonem S. Eulogii in diem Palmarum, & in pullum asini edidit. Successorem habuit Theodorum Scribonem, de quo infra.

JESU CHRISTI AN. 608. BONIFACII QUARTI PAPÆ I. PHOCÆ IMP. 7. AGILULPHI LONGOB. REGIS 19.

Bonifacius 4. Rom. Pontifex ordinatur. *Anast. to. 4. pag. 19.*

I. Hoc Christi anno sexcentesimo octavo, cum Romana Sedes, per menses decem, ac dies sex viduata remansisset, Bonifacius quartus, die 25. Augusti Rom. Pontifex ordinatus est, de quo Anastasius. *Bonifacius, natione Marsorum, de civitate Valeria, ex Patre Joanne medico, sedit annos sex, menses octo, dies tredecim. Hujus temporibus famis, pestilentiæ, & inundationes aquarum gravissimæ fue-*

JESU CHR. AN. 608.

fuerunt. Eodem tempore petiit a Phocate Principe templum, quod appellatur Pantheon, *in quo fecit ecclesiam Sanctæ Mariæ semper Virginis, & omnium Martyrum. In qua ecclesia Princeps multa bona obtulit. Hic domum suam monasterium fecit, quod & ditavit. Qui defunctus sepultus est, ad Beatum Petrum Apostolum, die 25. mensis Maii. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decemb.. Diaconos octo Episcopos per diversa loca triginta quinque*. Eadem de consecratione Pantheon narrat Paulus Diaconus, his verbis. *Idem* (Phoca) *alio Papa Bonifacio petente, jussit in veteri Fano, quod Pantheon vocabant, ablatis idolatriæ sordibus, ecclesiam Beatæ semper Virginis Mariæ, & omnium Martyrum fieri, & ubi quondam omnium non Deorum, sed Demonum cultus erat, ibi deinceps fieret memoria Sanctorum*.

Paul. Diac. lib. 4. c. 37. Beda lib. 2. hist. eccles. cap. 4.

Pantheon consecratur in Dei honorem sub invocatione Sanctissimæ Virginis, & omnium Martyrum.

Sic celeberrimum toto orbe Templum Deorum omnium cultui dicatum, sapientissimo consilio in honorem Beatissimæ semper Virginis Mariæ, & omnium Martyrum consecravit, Antecessorum vestigiis inhærens, qui profana templa in Dei honorem commutarunt. Romæ vero præter Pantheon, ædes Martis in S. Martinæ, & Romulo, Remoque fratribus sacræ ædes in S. Cosmæ, & Damiani pariter Fratrum honorem transierunt. Pantheon seu templum in honorem omnium Deorum, vel a fundamentis excitavit, vel incœptum absolvit, porticum certe ornavit M. Agrippa Augusti gener, ut nos docet fronti operis posita inscriptio, his verbis. *M. Agrippa L. F. Cos. Tertium fecit*. De Pantheon nomine, hæc adnotat Dion. *Pantheon quoque perfecit Agrippa. Id sic dicitur fortasse, quod in simulacris Martis, & Veneris multas Deorum imagines acceperit, ut vero mihi videtur, inde id nominis habet, quod forma convexa fastigiatam Cœli similitudinem ostenderet*. Etiamnum Romæ integrum perseverat Pantheon, ornatu ex metallo aurato denudatum; ob formam ædificii *Rotonda* dictum, vel S. Maria ad Martyres, ejusdemque dedicationis dies Martyrologio Romano, tertio idus Maii, seu die 13., ejusdem mensis inscriptus est. Hodie tamen Kal. Novemb., ejusdem Templi dedicatio celebratur, quæ festi translatio nono seculo a Gregorio quarto facta est, ut Maurolicus narrat, his verbis. *Kal. Nov. Festivitas B. Dei Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum Martyrum, quam Bonifacius Papa celebrem, & generalem insti-*

Dion. lib. 53.

instituit, quotannis agendam: ut Pantheon templum, quod M. Agrippa Jovi, & omnibus Diis dicaverat, merito a christianis Salvatori, Sanctisque universis describeretur, obtentum a Phoca Imperatore: quam postea Gregorius Papa IV. solemnitatem ad Novembres Kalendas translulit.

Phocæ sævitia in Theophanem & Pamphilum. *Miscell. lib.* 17.

2. De gestis in Oriente hoc anno adnotamus, inter nuptiarum solemnia, in nonnullos Phocam sæviisse. *Anno Imperii quinto*, ait auctor Miscellæ, *Phocas filiam suam Domitiam Prisco Patricio, & Comiti excubitorum junxit, & factis in palatio Marinæ nuptiis, jussit fieri ludum equestrem. Demarchi autem utriusque partis, Prasinæ scilicet, & Venetæ Principes, apud quatuor columnas, cum Imperialibus signis statuerunt Prisci, ac Domitiæ signa, nempe ipsorum imagines. Quibus auditis Imperator iratus est, & mittens adduxit Demarchos. Theophanem scilicet, & Pamphilium; & statuens nudos, jussit eos decollari. Cum enim misisset protocursorem, ut interrogaret eos, quo præcipiente fecerint hoc: dixerunt, quia juxta consuetudinem Lineatoris hoc fecerunt. Porro Lineatores, sive Mensores interrogati, quam ab caussam id fecerint, dixerunt: Quia cum Imperatores ab omnibus nominati sint, hoc a nobis ipsis fecimus.* Cum etenim in faustis nuptiarum acclamationibus, iidem nempe filia, & gener Imperatoris, æque fuissent acclamati Imperatores; ii quibus curam ornandi pompam incumbebat (dicebantur hi Mensores, sive Delineatores) eorumdem imagines, cum insignibus Imperatoriis publice exposuerunt. Cumque nullum sæviendi finem Phocas faceret, Priscus ipse sibi timens, adversus Phocam insidias moliri cœpit, ut narrat Theophanes. Eodemque tempore Persæ in Romanum Imperium irruentes *Armeniam, Cappadociamque cœpere: & inito certamine Romanas prostraverunt acies: Et Galatia, Paphlagoniaque occupata, & omnibus devastatis, nullo ætatis, aut sexus habito discrimine, Chalcedonem usque devenere. Atque ita Persæ extra urbem tyrannidem in Romanos exercuere: Phocas interius domesticum accendebat bellum, idque crudelius, civibus interfectis, & in carcerem detrusis.*

Portentum de Crucibus se collidentibus.

3. Præludia tamen hæc fuerunt ingentium calamitatum, quæ Romano instabant Imperio, quas portento præsignatas fuisse, narrat auctor vitæ Theodori Siceotæ, idest Eleusius, his verbis. *Cum in oppidis Galatiæ finitimis suppli-*

cationes fierent, & Cruces quæ gestari solent, horribili miserandoque spectaculo per se concuterentur, & commoverentur: interrogatus vir divinus Theodorus, quid sibi id vellet, respondit: Deum, o Filii, precibus placate; quoniam magnæ mundo imminent calamitates. &c. Cum hæc autem ex Diaconi relatione didicisset Thomas Constantinopolitanus Episcopus, epistolam scripsit ad servum Dei, rogans eum, ut quam celerrime ad se in civitatem regiam proficisceretur. Annuit vir Sanctus. Quæ autem proficiscens miracula in via ediderit, idem auctor pluribus narrat, quæ brevitatis causa prætermus; Ingressus igitur Theodorus in urbem regiam, Thomas Patriarcha honorifice, & magno cum gaudio eum excepit. *Et cum se inter se consultassent, obtulit ei discipulum suum Joannem, & vitæ sanctitatem, ac mores ejus commendans, petiit ut eum monasteriorum Præfectum constitueret: quod statim fecit sanctissimus Patriarcha, palliumque tribuit, & præmisit ad sancta monasteria. Phocas etiam Imperator eum accersendum curavit: manuum enim, ac pedum doloribus excruciatus jacebat. Sancto igitur viro ingresso, & manus suas illi imponente, atque precante, sublevatus Imperator rogavit eum, ut pro se proque Imperio precaretur. Quamobrem admonuit eum vir sanctus, ut ab hominum afflictione, & sanguinis effusione temperaret, si preces suas a Deo vellet exaudiri.* Inde vero digressi, Theodorum rogavit Thomas Patriarcha, ut pro sua in illum benevolentia, apud se diverteret, & Deum obsecraret, ut in cœlesti vita una simul essent. Et quæsivit ab eo, an vere accidisset admirabilis ille Crucium in supplicationibus motus. Quod cum verum fuisse intellexisset, cœpit orare virum Sanctum, ut indicaret, quid signum illud protenderet. Theodorus vero se primum excusare cœpit, nec scire quid responderet ad interrogata. At cum Thomas, ut sibi portentum indicaret, enixe instanterque rogaret. *Verum quando ita vis, scito ea Crucium concussione, multa nobis gravia molestaque prænunciari. Significat enim plurimos a religione nostra defecturos, & barbararum gentium incursiones, & magnam sanguinis effusionem, & ingens exitium, & in universo orbe seditiones fore, & Sanctas Ecclesias desertum iri, & divini cultus, atque Imperii interitum, & adversarii adventum appropinquare. Reliquum est, ut tamquam gubernator*

tor Ecclesiæ, & populi pastor Deo totis viribus assidue supplices, ut ignoscat populo, & pro misericordia sua, hæc omnia moderetur. Eumque ut apud se maneret, rogavit Thomas. Quare Theodorus in monasterio S. Stephani transiit, ibidem orationi, & jejunio vacans. Quas Orientali Imperio instare calamitates prædixerat Theodorus, non multo post acciderunt. Nam præter immanes strages a Persis in Oriente patratas, accessit post paucos annos Monothelitarum hæresis, quæ totam turbavit Orientalem ecclesiam. His tamen funestius, adhuc acerbiusque accidit, dum ante hujus seculi medietatem immane monstrum ex Inferis prodiit, quod universum fere sibi orbem subegit, & armorum vi Crucibus ferale bellum indixit. Mahometem dico Sectæ Mahometanæ Principem. Hic meminisse oportet S. Gregorii vaticinium ad Salonitanum Episcopum, quo tanta mala obventura prædixerat, ut beati a posteris dicendi essent majores, innumeris licet calamitatibus pressi. *Nolite*, ajebat, *de talibus omnino contristari; quia qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt; itaut comparatione sui temporis, felices nos æstiment dies habuisse.* Hæc S. Gregorius Papa, quem si quis prophetasse dixerit, falsi argui vix poterit; ut ex hujus seculi historia constabit.

JESU CHR. AN. 609.

Quomodo impleta sit Theodori prædictio.

Greg. l. 10. epist. 36.

JESU CHRISTI AN. 609. BONIFACII 4. PAPÆ 2. PHOCÆ IMP. 8. AGILULHPI LONGOB. REGIS 20.

1. Quamplurimas Orientali Imperio strages futuras, Theodorum Siceotam prædixisse anno proximo diximus; acerbissimas sane Regiæ urbi hoc anno, ex Phocæ Imp. crudelitate, & imprudentia accidisse Theophanes, his verbis narrat. *Porro æquestribus ludis a Phoca populo datis, Prasini ei palam conviciati sunt, vociferantes. Iterum Caliculo bibisti, (sive cacabo, qui prægrandis erat poculi genus) atque iterum sensum amisisti. Ex ejus itaque jussu Constans urbis Præfectus, multis extrema membra decurtavit, eaque ad Circi metam suspendit; alios autem capite mulctavit, & alios tandem saccis inclusos, in pelagi profundum egit præcipites. At Prasini ad invicem collecti ignem prætorio subjecerunt. Secretumque scrinia, & carceres incenderunt; adeo ut, qui custodia tenebantur libertatem fuga reciperent. Iratus subinde*

Tumultus & cædes CPoli excitatæ, & conjuratio adversus Phocam detecta.

Theoph. in chronog. p. 248.

JESU CHR. AN. 609.

Phocas Prasinos, ne publicis Reip. muneribus fungi possent, damnavit. Porro Heraclius Africæ præfectus a Senatu frequenter sollicitatus, Heraclium filium classe, ac militibus instruxit, ut adversus Tyrannum Phocam procederet: Legatus pariter ejus in Præfectura Gregoras filium Nicetam armavit, & CP. ablegavit, iis cum Heraclio pacti conditionibus initis, ut qui alium præveniret, & tyrannum devinceret, is imperium consequeretur. At detecta paulo post conjuratione, quotquot ejusdem participes, aut suspecti fuerunt, variis exquisitisque suppliciis affecti sunt; ut pluribus verbis, idem narrat Theophanes.

Anastasius Episcopus Antiochen. a Judæis occiditur. *Theoph. ut supra.*

2. Eadem rebellionis flamma, quæ in urbe Regia grassata est, Antiochiam quoque invasit; ubi eodem Theophane teste. *Seditione mota, Hebrei Antiochenses tumultuati sunt, & Anastasio magno Antiochiæ Patriarcha occiso, virilia in ejus os inseruerunt, & per medias urbis vias raptatum interfecerunt: pluresque opulentiores cives summisso domibus igne absumpserunt.* Bonosum autem Orientis Comitem, & Cottonem militiæ Magistrum adversus eos misit Phocas, qui copiis eductis, eorum plurimos interfecerunt, alios membris mutilaverunt, ceteros demum urbe extorres fecerunt. Hic porro Anastasius a Judæis, ob christianæ fidei odium interfectus, inter Martyres die 21. Decembris Martyrologio Romano inscribi meruit.

Theodori Scribonis Alexand. Patriarchæ obitus, cui succedit Joannes.

3. Hoc quoque anno Theodorus Scribo Patriarcha Alexandrinus, ubi sedisset annos duos mortuus est, atque in ejus locum ordinatus est Joannes cognomento Eleemosynarius, cujus res præclare gestas Leontius coevus Neapoleos Cypri Episcopus scripsit. Heraclium sceptra Romanorum tenuisse, quando Joannes Patriarcha renuntiatus est, scribit Metaphrastes; at imperante Phoca id accidisse hoc anno, vero propius est. Fuit Joannes genere Cyprius filius Epiphanii, ejusdem insulæ Præfecti, ac invitum pene ordinatum fuisse scribit Leontius, ac plurima Episcopatus sui initio, tum pro tuenda catholica fide, vel ecclesiastica disciplina instauranda, & pauperum inopia sublevanda, eum egisse commemorat. *Nam cum Petrus Cnaphæus blasphemam quamdam in Divinitatem additionem, hymno ter sancto ausus est inserere, & ei quod est, Sanctus immortalis, adjecisset, Qui crucifixus es propter nos: divinus ille vir, hac blasphemia sublata, impa-*

impatibilem, & immortalem Divinitatem suo dogmate asseruit, & gregem ita sentire docuit. Quamvis enim Eulogius, ejusdem Ecclesiæ Episcopus, in id ipsum plurimum laborasset, multumque profecisset, tamen deficiente, qui eos in officio contineret, in morbum graviori damno relapsi fuerant, quos Joannes curare ſategit. Nam audi, quæ mox Leontius subdit: *Cum autem invenisset septem sola orthodoxorum oratoria, ea effecit decies plura, ut qui ea septuaginta constituerit, &c. in ordinationibus vero* clericorum ejus quoque enituit zelus, ut scilicet *puræ essent a lucris, & muneribus; nulla autem earum fieret circa examinationem. Præterea autem maximam adhibuit diligentiam in defendendis iis, quibus fiebat injuria, & ne judices gratificando personis jus proderent sed justitiæ trutina ponderarent judicia, & nec ad gratiam respicerent, nec ad odium.* Præ ceteris vero ejus dotibus, misericordia in pauperes in eo eminebat; ita ut in eorum miseriis sublevandis totus esset, ac Eleemosynarii nomen promeruit. Hinc ut narrat Leontius in ejus vita, cum extruxisset Xenodochia, Nosocomia, & Ptocotrophia, eis frumentum attribuit quotidianum; *Tantaque hæc erant ei cura, ut etiam pauperibus fœminis, quibus ad pariendum non erant habitacula neque aliquid eorum, quæ sunt apta ad eorum curationem, septem domos attribuerit ex diversis locis civitatis, effeceritque ut in eis essent lecti, & stragula, & suppeditatio alimentorum, qua reficeretur indigentia parientium. Præter hæc pauperibus quoque clericis providebat, & unicuique pecuniæ præbebantur annuæ: non eis autem solis, sed etiam Episcopis, quibus sumptus minime suppetebant ad victum.*

JESU CHR. AN. 609.

Singulos pauperes describi fecit Joannes.

4. His addenda sunt, quæ hoc ipso sedis suæ exordio, idem Joannes circa pauperum curam memoratu digna instituit. Cum clericis suis jussit, ut per civitatem abeuntes Dominos suos describerent, iis autem mirantibus quinam Patriarchæ Domini essent, aperte dixit pauperes esse. *Nam ii soli mihi possunt opem ferre, ut a Christi regno non excidam. Postquam autem cito factum fuerat, quod jusserat, intellexit, omnes qui numerati fuerant, efficere septem millia, & quingentos, & jussit unicuique eorum dari sumptum diurnum. Post hæc autem suum convertit studium ad hoc, ut justis ponderibus & mensuris uterentur, qui vendebant in civitate:*

quod

JESU CHR. AN. 609.

quod quidem pulchre fecit vir justus publicæ præscriptis edictis; ac ut ad se facilis cuique esset accessus effecit, nam duobus hebdomadæ diebus, in Templi porticu sedens, quemlibet adeuntem excipiebat. *Si nobis* (*dicens*) *qui sumus homines, licet omnino ad Deum accedere, absque ullo intercessore, & de quibus volumus eum rogare: quomodo non ipsi quoque nostris conservis portas aperuimus, absque ullo impedimento? & non cuilibet, cui est opus, benignam aurem præbuerimus? Scimus enim eadem mensura, qua mensi fuerimus, eamdem nos esse mensuram vicissim accepturos*. Hæc & alia de ejusdem sancti viri praclare gestis Episcopatus sui initio.

Isacius Hierosolym. Episcopus obiit. *Chron. Alex. an. 5. Post Coss. Phocæ.* Zacharias Episcopus Hierosolym. ordinatur.

5. Theodori Alexandrini Episcopi funeri, cui Joannes successit, Isacii Hierosolymorum Episcopi, mortem addit chronicon Alex. ad hunc annum. *Hoc anno Africa, & Alexandria ab Imperio deficiunt; & occiditur Patriarcha Alexandrinus ab adversariis: Isacius Hierosolymorum Pontifex vixit* (dicendum requievit sive obiit) *in cujus locum sufficitur Zacharias præsbyter, & sacrorum vasorum custos ecclesiæ Constantinopolitanæ*. Vixit porro in Episcopatu Isacius annos octo, ut habet Nicephori chronicon. De Zacharia ejus successore suis locis, plura dicturi sumus.

De obitu S. Virgilii Episcopi Arelatensis.

Mabill. act. ord. Bened. secul. 2. p. 1. pag. 59.

6. Virgilium Arelatensem Episcopum anno 601., adhuc in vivis fuisse probat epistola S. Gregorii ad eum data sub indictione quarta. Quot autem annis supervixerit, adhuc in incerto est, quia auctor ejus vitæ, quem sub octavi seculi initium vixisse fertur, nec diem, nec annum mortis ejus indicavit. Hinc anno 616., eum obiisse scribit Mabillonius anno ætatis suæ centesimo vigesimo sexto. Id si admittamus dicendum erit, ad Episcopale officium vocatum fuisse centenarium, quod sane creditu difficile est, cui præsertim Gregorius Pontifex prudentissimus suas vices in Galliis demandavit, verosimilius ejus mortem circa, hæc tempora refert Pagius; eumque ad Childeberti 2. annum 13., anno scilicet Christi 588. ordinatum fuisse, narrat Gregorius Turonensis lib. 9. cap. 33. Post Virgilium, Arelatensem ecclesiam gubernarunt Florianus. cujus mentio extat in Dypticis ecclesiæ Arelatensis, & post Florianum Theodosius. Virgilii gesta Mabillonius seculo secundo part. 1. pag. 55. & sequentibus, pluribus describit, quæ ibidem videri possunt.

7. Hoc

7. Hoc etiam tempore Tassilo Bojariorum Dux moritur, de cujus morte hæc Paulus Diaconus habet. *Mortuo Tassilone Bojoariorum Duce, filius ejus Garibaldus Agunti a Sclavis devictus est, & Bojoariorum termini a prædantibus invaduntur. Bojoarii tamen viribus resumptis, & prædas ab hostibus excusserunt, & hostes de finibus suis repulerunt.* Sed de his hactenus.

Jesu Chr. an. 610. Moritur Tassilo Dux Bojariæ. *Paul. Diac. lib. 4. c. 41.*

JESU CHRISTI an. 610. Bonifacii quarti Papæ 3. Heraclii Imp. 1. Agilulphi Longob. Regis 21.

1. Qui sequitur annus Christi sexcentesimus decimus, indictionis decimæ tertiæ, Phocæ Imperatoris octavus, & ultimus fuit, nam hoc anno crudelissime trucidatus interiit; Heraclii autem annus primus dicitur, hac formula notatus in chronico Alexandrino. *Octavo PostCss. Phocæ Augusti 6.* Deinde: *A septimo Octobris præsentis indictionis; usque ad 13. Januarii indict., ejusdem in publicis tabulis Imperii Heraclii anno primo.* Quomodo autem hæc facta sint, ex Græcorum annalibus accipe, ex quibus auctor Chronici Alex. hæc narrat. *Hoc mense Hyperbereteo Romanis Octobr., die tertio indict. 14. Heraclius ex Africa appulit cum navibus turritis, in quarum malis arculæ erant Dei matris imagines appensæ, prout Pisidius Gregorius narrat, ingenti exercitu ex Africa, & Mauritania advecto: & Nicetas Patricii Gregoræ filius, cum maximis pariter pedestribus copiis ab urbe Alexandria, & Pentapoli advexit .... Heraclius Abidum appellens, Theodorum Abidi Comitem conveniens, sciscitatus quæ CPoli gererentur, cuncta didicit. Phocas autem Domentiolum fratrem Magistrum, longos muros custoditurum misit. Ille vero Magister Abidem appulisse Heraclium, ubi rescivit, muris relictis fugit, & CP. se recepit. Abidi cunctos in exilium a Phoca relegatos adjunxit sibi Heraclius, & Heraclæam illis comitibus profectus est. Stephanus autem Cizicenus Metropolita coronam ex ecclesia S. Dei Genitricis, cui Artaces nomen, depromptam ad Heraclium detulit. Heraclius CPolim profectus ad Sophiæ portum applicuit, & inito certamine Phocam tyrannum Dei præsidio vicit &c.* Extemplo populi factiones comprehensum Phocam tradidere neci, & ad bovem locum dictum igne combussere, una cum crudelitatis suæ

Heraclii Conjuratio in Phocam ejusque interitus

Theoph. pag. 250.

Jesu Chr. an. 610.

Heraclius Imperator cum uxore coronatur.

suæ administris, ut ibidem idem Theophanes addit. His gestis: *Heraclius Regiam ingressus in Oratorio S. Stephani, quod in ipso palatio conditum a Sergio Patriarcha coronatus est. Desponsa pariter Eudocia, eodem die redimita est Augusta. Ambo igitur a Sergio Patriarcha coronas nuptiales acceperunt, & eodem die Imperator simul, & sponsus renunciatur, & corona utraque insignitur*. Hæc de Phocæ Imp. interitu, & de Heraclii nuptiis, & inauguratione in Imperium, is auctor. Eademque ceteri scriptores Græci; ex Africa itaque cum classe CPolim advenerat Heraclius Africæ Præfectus, quem supra diximus ab ipso Senatu ad defectionem fuisse sollicitatum, & ut ad urbem Regiam accederet invitatum. Et sane cum CPolim accessit Heraclius, ab omnibus derelictus Phocas miserrime periit, eadem ipse crudelitate affectus, qua in Mauritium Imp., ejusque familiam usus fuerat.

Occisi in bello inter martyres recenseri non possunt.

Theodorus Balsamon in cant. 13. Basilii epist. ad Amphil.

2. De Phoca narrat Theodorus Balsamon eum optasse, ut ii, qui in bello occubuerant martyrum titulo, & honore afficerentur. Episcopi tamen ejus voluntati restiterunt, Basilii Episcopi auctoritate, qui epistola ad Amphilochium pœnitentiæ regulas statuit pro iis quoque, qui justo bello militaverant, antequam communionis participes fierent.

Nicephorus Calixti historiam suam hoc anno absolvit.

3. Usque ad interitum Phocæ Nicephorus, Calixti Xantopuli filius historiam suam ecclesiasticam perduxit, ut ipse testatur in fine libri 18., qui ejus operis ultimus est. Legitur quidem in ejus historia argumentum aliorum quinque librorum ab Heraclii exordio, usque ad mortem Leonis sapientis Imp., seu annum Christi 911.. Sed hæc capita Nicephori historiæ addita fuisse constat sub Andronico Seniori, qui exeunte seculo ecclesiæ 13. imperavit ab Nicephoro, qui multa etiam inseruit, quæ vix alibi occurrunt; at in chronologia digerenda, ut adnotavit Pagius, vix sibi constans est, ejusque errores emendari vix possunt, cum unicum ejus historiæ MS. exemplar, hactenus inventum sit, illudque ex reliquiis bibliothecæ Mathiæ Hungariæ Regis, in præda Turcica repertum, & in Cæsarea asservatu m, quo usi sunt Langus, & FrontoDuceus in suis versionibus historiæ Nicephorianæ. Hic porro Nicephorus, quem Calixti dicimus, alius est ab Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, qui breviarium historicum scripsit, quod a Phocæ imperio

perio exorditur, ex quo usque ad annum 768. annales illustrabimus.

Thomas Patriarcha CP. moritur. *Chron. Alex. pag.* 382.

4. Hoc anno urbs Regia non solum novum vidit Imperatorem, sed etiam Patriarcham, a quo novus Imperator coronatus est, mortuo enim Thoma in ejus locum, dum adhuc Phocas viveret Sergius successit, auctor enim chronici Alex. indictionis 13., hoc anno 610. hæc adnotat. *Hoc anno mense Dystro, qui Romanis est Martius, die 20., qui incidit in feriam sextam, moritur Thomas Patriarcha Constantinopolitanus, & 22. ejusdem mensis die Dominica terræ mandato. Octavo Artemisii, seu Aprilis, indict.* 13. *Sabbato magno Constantinopoli Patriarcha creatus est Sergius, Magni templi Diaconus Constantinopoli.* Verum loco Artemisii Octavo, legendum decimo octavo Xantici putat Pagius, Baronius, qui mendoso Nicephori chronico usus est, annos duos, & menses decem Thomæ assignavit; verum ex eodem chronico, & in Græca editione Scaligeri anni tres, & aliquot menses tribuuntur. Consentiunt Menologia, & Menea excussa, & MSS., ut videre est, apud Bollandum die 20. Martii, qua Thomas colitur. Nicephorus Calixti de eodem addit. *Thomas iste domum maximam in ædibus Episcopalibus extruxit, quæ domus nomen a conditore suo acceptum, in hodiernum usque diem retinet, & Thomaitis vocatur.*

Niceph. Calixti lib. 18. *cap.* 44. *Boll. die* 20. *Martii.*

De ædibus a Thoma constructis.

Sergius Episcopus Constantinop. ordinatur, Theodori orationibus se commendat.

5. Sergius autem CP. Episcopus ordinatus, Prædecessoris sui exemplo, cum Theodoro Siceota amicitiam coluit, atque ad eum profectus, ejusdem se orationi commendavit, quem Sanctus vir complexus, ut bono animo esset hortatus est: *Idcirco*, inquit, *tibi juveni tantum Deus onus imposuit, ut majori virtute viribusque sustineas calamitates, & molestias impendentes, id quod præcessor tuus, sibi præstare non posse videbatur. Confirma igitur te, & robustus sis, atque viriliter age. Deo enim confisus, spero administrationem tuam, & diuturnam, & præclaram fore. Ex eo tempore majores vires suscipiens Patriarcha in suo munere administrando recte se gessit, & majore quam præcessor ipsius benevolentia virum sanctum est prosecutus.* Hunc vero Sauli comparavit Annalium Parens, qui ipso exordio coram Samuele magnum specimen dedit optime administrandi regni, cum esset humilis in oculis suis, neque (teste divina Scriptura) esset vir melior illo in Israel. Hinc

 quæ

JESU CHR. AN. 610.

quæ de Sergio prænunciavit Theodorus, non prophetice dicta intelligas, sed quod ita ipse fore speraret: Deo enim confisus, inquit, *Spero administrationem tuam, & diuturnam & præclaram fore*. Talia namque de ipso sperare cogebat vita Sergii famaque vulgata, & ostensa illa, tunc convenientis ipsum, & sternentis se ad pedes ejus, humilitas. Verum sicuti Saul, ita & iste in transversum actus, non in eadem qua cœperat animi demissione persistens, in foveam erroris lapsus, ex eadem, sicut ille, numquam exurgens, pessime periit; ex optimo nequissimus redditus, caput & Dux factus Monothelitarum hæreticorum, de quo inferius plura dicenda erunt.

Concilium Rom. pro Anglis.

6. Cum Mellitus Londoniæ Episcopus, Romam, de necessariis Ecclesiæ Anglorum causis, cum Bonifacio tractaturus advenisset; accidit, ut Romæ Bonifacius Synodum Episcoporum Italiæ, de vita monachorum, & quiete ordinaturus coegisset, cui inter alios Mellitus adfuit, *anno octavo Imperii Phocatis, Indictione decimatertia, tertia die Kalendarum Martiarum*: sicque factum est, ut in Britanniam rediens Mellitus, synodi Romanæ decreta deferret, una cum epistolis, quas idem Pontifex Archiepiscopo Laurentio, & Clero universo, Edilbertho etiam Regi, atque Genti Anglorum direxit, ait Beda. Hujus concilii acta, sicuti & epistolam Bonifacii quarti ad Ethilbertum Regem, deperditam credidit Baronius, & synodo causam dedisse Melliti consultationem, adnotavit, utrum scilicet ecclesiæ consecrationem miraculo peractam rata habenda foret, cum etenim Ethelbertus Rex monasterium extra Londinenses muros, in honorem Beati Petri ædificasset, apparens Apostolus cuidam piscatori dixit, se Episcopalem benedictionem prævenisse; ut in vita Eduardi Anglorum Regis a Baronio hoc anno, & a Bollando aliisque narratur. Post Baronii mortem, cum Holstenii opera, tum Bonifacii synodale decretum, cum etiam ejusdem Pontificis epistola ad Ethelbertum Regem, data in lucem prodierit, aliam omnino causam in synodo agitatam fuisse scimus, quam scilicet clerici adversus monachos excitaverant. *Qui zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati, monachos arcere volebant ab administratione Sacramentorum, dicentes quia qui Mundo mortui sunt, & Deo vivunt Sacerdotalis officii potentia indignos,* neque

Synodi decretum in monachorum gratiam

neque pœnitentiam, neque christianitatem, idest baptismum largiri posse, neque absolvere per Sacerdotalis officii divinitus sibi injunctam potestatem. Sic enim Clericorum sententiam exponit synodus; *Sed omnino labuntur*, ait decretum: *Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ compar sedis beatissimus Gregorius monachico cultu pollens ad summum nullatenus apicem conscenderet. Quoniam quidem hæc ostiatim fungendi, ligandi, solvendique potestas a Deo summa conceditur. Augustinus quoque ejusdem sanctissimi Gregorii discipulus, Anglorum prædicator egregius, ac Pannoniensis Martinus beatissimus, cujus sanctitatis fama longe, lateque diffusa totus personat mundus; alii quoque jam plurimi sanctissimi prætiosissimo monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo pontificali subarrarentur, si quia monachi fuerunt, prædictis uti prohiberentur.* Quare post aliqua: *Tantorum*, inquiunt, *Patrum instituti exemplis, quibus periculosissimum est refragari, credimus a Sacerdotibus monachis ligandi solvendique officium Deo imperante haud indigne administrari, si eos digne contigerit ad hoc ministerium sublimari.* Hactenus synodi decretum, quod ab Ivone integrum refertur, & apud Petrum Damiani ad calcem opusculi 28. legitur, ubi sacramentorum administrationem monachis, æque ac clericis, licitam esse probat.

Bonifacii epistolæ ad Ethelbertum Regem pro monasterio S. Petri. *Beda lib. 2. cap. 4.*

7. In Bonifacii autem epistola ad Edelbertum scripta, quam una cum synodi decretis in Angliam missam fuisse narrat Beda, in ea summus Pontifex Regi significat, se omnia libenter concessisse, quæ per Mellitum petierat, nempe ut ecclesia beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, quam Doroberniæ a fundamentis excitaverat, ubi Deo dilectus Augustinus, jam requiescebat, Apostolicis privilegiis munita perpetua libertate frueretur, secus attentare audentes anathematis vinculo subjicit: monasterio ibidem ædificato Joannes præerat, qui Petro successerat.

S. Columbanus a Brunichilde exagitatus.

8. Columbanus in Luxoviensi monasterio, cum suis monachis quietam vitam, familiaritate & amicitia Theodorici Regis ejusque protectione innixus, hactenus duxerat, quem etiam sæpe adibat, ut ejusdem se orationibus commendaret. Columbanus vero de Regis salute sollicitus, ut tandem, dimissis concubinis, justum iniret matrimonium hortabatur. At salubri-

JESU CHR. AN. 610.

liberrima Columbani consilia iram Brunichildis Theodorici amitæ in sanctum virum excitarunt, nam superba fœmina, dominandi cupiditate obcæcata, cum timeret, ne Theodoricus legitimam uxorem duxisset, sua dignitas, & auctoritas minueretur, fœmineo agitata furore sanctum virum persequi exagitareque cœpit; ita ut Luxovio abire, cum suis monachis cogeretur, ut fusiori stilo auctor vitæ persequitur.

Colombanus Luxovio relicto, in Sveviam transit.

9. Luxovium itaque egressus vir sanctus, militari custodia ductus, per Vesontiorum, Augustodunum, & Avallonem, Nivernum pervenit; deinde per Ligerim Aurelianos, ac Turonos transiit, ubi a Leopario ejusdem urbis Episcopo benigne exceptus, S. Martini sepulchrum videre meruit, cujus non solum vitæ sanctitatem imitabatur, sed etiam miraculorum fama, ac ubique morbos curasse, ac vexatos a Dœmone cum in itinere liberasse narrat Jonas in ejus vita. Atque ad Clotharium Chilperici filium, Francis ad Oceanum positis imperantem profectus, in ejusdem Regno sudsidere recusavit, ne forte ejus causa adversus Clotharium Theodoricus irasceretur, aut civile bellum excitaretur. Quare ad Theodebertum perrexit, a quo benigne exceptus, etsi ei suisque monachis locum obtulisset, inde tamen migravit, & ultra Rhenum progressus, ad locum, qui Tucconia dicebatur substitit prope Tigurinium Lacum. *Sunt etenim ibidem vicinæ nationes Svevorum. Quo cum moraretur, & inter habitatores loci illius progrederetur, reperit eos sacrificium profanum libare velle, vasque magnum, quod vulgo cupam vocant, quod viginti modios amplius, nec minus capiebat, cerevisia plenum in medio positum. Ad quod vir Dei accessit, sciscitaturque quid de illo fieri vellent. Ajunt illi se Deo suo Vadono nomine, quem Mercurium (ut alii ajunt) autumant esse, libare velle. Ille autem pestiferum opus audiens, vas insuflat, miroque modo vas cum fragore dissolvitur, & per frusta dividitur. Vas ergo dum rapido, cum liquore cerevisiæ prorumpit, manifeste est datum intelligi Diabolum in eo vase esse occultatum, qui per profanum liquorem caperet animas sacrificantium. Videntes autem barbari, stupefacti, ajunt magnum virum Dei habere halitum, qui sic posset dissolvere vas ligaminibus munitum. Castigatos itaque Evangelicis dictis, ut ab his segregarentur Sacrificiis, domum redire impe-*

imperat. Multi enim eorum, tunc per B. Columbani suasum vel doctrinam ad Christi fidem conversi, baptismum sunt consecuti: alios quos jam lavacro ablutos error detinebat profanus, ad cultum evangelicæ doctrinæ monitis suis, ut bonus pastor, Ecclesiæ finibus reducebat. In sequentem usque annum illic moratum esse Columbanum, auctor ostendit. Quæ autem antequam recederet, Theodoberto Regi, jam adversus fratrem bello certanti suaserit, suo loco dicturi sumus. Hactenus Jonas in vita S. Columbani, quæ anno superiori, aut currenti 610. contigerunt, quam ultimam peregrinationem ad Lacum Turicinum vulgo Zurich, distinctius describit Walfridus in vita S. Galli cap. 4., & sequentibus, qui post narratam aliquorum conversionem, addit. Post hæc permansit ibi beatus Columbanus, cum commilitonibus suis tribus annis, ab anno scilicet sexcentesimo decimo ad 613.

Witterici obitus, cui Gundemarus succedit.

10. Hoc etiam anno 610., qui ab Hispanis æra sexcentesima quadragesima octava notatur; VVittericus Visigothorum Rex in Hispania, postquam regnasset, ut habet Isidorus in chronico annos septem, inter epulas interfectus gladio periit, additque Gundemarum eadem æra 648., currenti anno, eidem successisse. Primo ejus Regni anno celebratum est Concilium Toletanum tertium, ut legitur. *Sub die 10. Kal. Novemb. anno Regni primo piissimi, atque gloriosissimi Gundemari Regis æra* 648.. Celebrandæ synodi causa fuit, quod nonnulli Primatum Toletanæ ecclesiæ in tota Carthaginensi provincia negabant, quasi Carpetaniæ tantum provinciæ Metropolis esset, argumentum inde ducentes, quod in alio Toletano concilio, Euphemius Toletanus Episcopus Carpetaniæ provinciæ Metropolitæ se subscripserat, quod per modestiam tunc factum, Toletanæ ecclesiæ juribus præjudicare non poterat. Hinc Episcopi in hoc concilio, hoc unum egerunt, ut profiterentur ecclesiam Toletanam Carthaginensis provinciæ Metropolim esse, eamque dignitatem antiquitus habuisse, cujus decreti hæc verba sunt. *Convenientibus nobis in unum pro religione, & fide quam Christo debemus, placuit, ne quid ultra in nobis absurdum, vel illicitum oriatur, alterna collatione decretum justissimæ promulgare sententiæ; quo perspicue clareat inter nos ordo, ac disciplina Ecclesiasticæ dignitatis, & agnoscatur fraternæ con-*

Concil. Tolet. III. Tom. 5. concil. p. 1620.

JESU CHR. AN. 610.

concordia pacis. Tali ergo diſpoſitione neceſſarium contuentes, ob ſtudium noſtri ordinis, communi electione decrevimus, congruum eſſe provida diſpoſitione judicium, fatentes hujus ſacroſanctæ Toletanæ Eccleſiæ ſedem Metropolitani nominis habere auctoritatem, eamque noſtris Eccleſiis, & honoris anteire poteſtate, & meritis. Quam dignitatem antiquitus obtinuiſſe addunt, ac ut prima ab omnibus per totam Hiſpaniam agnoſceretur, jubent; Deinde. *Facta Conſtitutio ſacerdotum in urbe Toletana, ſub die 10. Kalendarum Novembrium, anno regni primo piiſſimi, atque glorioſiſſimi Gundemari Regis, Æra DCXLVIII.* Synodi ſententiam Gundemarus regio diplomate confirmavit, cui Epiſcopi viginti ſex ſubſcriperunt, quorum primus Iſidorus ſic habet: *Ego Iſidorus Hiſpalienſis eccleſiæ provinciæ Bæticæ Metropolitanus Epiſcopus, dum in urbem Toletanam pro occurſu Regio adveniſſem, agnitis his conſtitutionibus, aſſenſum præbui, atque ſubſcripſi.* Sequitur Innocentius Emeritenſis Metropolitanus Luſitaniæ, iiſdem verbis, deinde ceteri. Ut autem Toletana eccleſia primatum haberet, non ſolum in Carthaginenſi provincia, ſed in tota Hiſpania, ab eccleſia Romana id obtinuiſſe dubitari vix poteſt. Quando id eidem eccleſiæ tributum fuerit, in obſcuro eſt, ac id ſe ignoraſſe fatetur Baronius; Garzias quidem Loaſia, aliique Hiſpani, ab Apoſtolo Petro Primatum per totam Hiſpaniam Toletanæ eccleſiæ conceſſum fuiſſe ſcribunt, atque Anacleti, & Aniceti Romanorum Pontificum epiſtolis, & auctoritate confirmant; at cum eas ex Iſidori officina prodiiſſe ſciamus, nil certi inde erui poteſt. Id potius ab eruditis viris adnotatum eſt, nunc in tota Hiſpania Primatum, tunc primum Toletanis Epiſcopis tributum fuiſſe, cum anno milleſimo nonageſimo nono, Urbanus ſecundus anno duodecimo ſui Pontificatus, Bernardum Toletanum Epiſcopum in tota Hiſpania Primatem dixit, quam quidem dignitatem antiquitus eum obtinuiſſe adnotat. De Toletanæ eccleſiæ dignitate, & Primatu pro argumenti dignitate agit Nicaſius, opuſculo in eam rem edito, maximo volumine in folio, ut dici ſolet, *digeſto*.

De Primatu Toletanæ eccleſiæ in tota Hiſpania.

JESU CHRISTI AN. 611. BOBIFACII QUARTI PAPÆ 4. HERACLII IMP. 2. AGILULPHI LONGOBARD. REGIS 22.

S. Auftregefilus Epifcopus Bituric. vitæ ejus feries.

1, Anno fexcentefimo undecimo, Heraclii Imperatoris confulatu infignito, ob fcriptorum inopiam, res ecclefiæ in obfcuro adeo funt, ut de iis aliquid vix dicendum occurrat. Hoc vero, vel fequenti anno Auftrogefilus S. Nicebii Abbas, mortuo Apollinari Bituricenfi Epifcopo, ei in Epifcopatum fucceffit. Cujus vitam Anonymus, ac coevus quidam fcripfit, quam referunt Henfchenius, Mabillonius, Cointius; hoc tempore mortuum Aftregefilum fcribit Baronius, verum ad annum 624., protrahendam ejus mortem oftendit, ex ejus vita Pagius, poft Mabillonium, & Cointium. In lucem prodierat Aftregefilus circa annum 551., & pubes factus in obfequio Regis Guntramni a Patre miffus, non modicum temporis fpatium fub feculari difciplina militaverat; Aulæ deinde pertæfus a Beato Aunachario Antiffiodorenfi Epifcopo, fubdiaconus eft ordinatus; deinde Abbas juffu Ætherii Lugdunenfis Epifcopi, ac tandem Apollinari demortuo Epifcopus Bituricenfis eft renunciatus; quam ecclefiam quoad vixit doctrina, & exemplo fanctiffime gubernavit ad annum ufque 624. Ceterum dum diximus ejus vitam ab Anonymo coevo fcriptam, id tantum intelligas velim de primo libro, quo ejus virtutes, & præclara opera ad obitum ufque narrantur, nam ultimi in quibus miracula recenfentur, pofterioris ætatis funt, & quæ ibidem narrantur dubiæ fidei, ut notatum a Cointio, quorum plurima hoc anno Baronius enarrat.

Henfch. die 20. MaiiSur. ibidem. Mabill. fec. 2. bened. act. pag. 95. Coint. in annal. Franc. anno 624.

Romani a Perfis cæduntur. *Theoph. pag. 250.*

2. Res imperii mutato Imperatore, non funt mutatæ, nam hoc quoque anno, infaufto marte a Romanis contra Perfas pugnatum eft, ut habent Græcorum annales. *Menfe vero Maii caftra moverunt Perfæ contra Syriam, & cœperunt Apameam, & Ediffam, & venerunt ufque Antiochiam. Porro Romani occurrentes eis fuperati funt, & periit omnis populus Romanorum, adeo ut valde pauci ex his evaderent*, ait Theophanes, ac addit Imperatorem fœminea prole auctum. *Julio menfe eadem indictione filiam ex Eudocia nomine Epiphaniam Imperator fufcepit, quæ Augufti quinto & decimo die in Blanchernis a Sergio Patriarcha baptizata eft.* Ad

malo-

JESU CHR. AN. 611. *Chron. Alex. pag.* 383. Constantinop. terremotu concussa.

malorum cumulum accessit ingens terræmotus, de quo in chronico Alexandrino, hæc narrantur. *Eodem anno mense Xantico juxta Romanos Aprilis* 20., *feria* 3., *hora* 7. *ingens adeo terræ motus extitit, ut ante Pentecostem, die* 22. *populus coactus fuerit, supplicationes in campo peragere, & trisagium psallere; Septimo vero Julii nata est Epiphania filia Heraclii, & Eudociæ in secessu Hieriæ.*

Lemigius Exarchus in Italiam mittitur loco Smaragdi. *Paul. Diac. lib.* 4. *c.* 38. & 42.

3. In Italiam Imperator, remoto Smaragdo, Joannem Lemigium Exarchum misit, qui cum Agilulpho Rege Longobardorum pacem, vel phœdus confirmavit, seu potius emit, nam pacem pecunia a Longobardis redimere cogebantur Romani, cum armis resistere non possent. Hoc etiam tempore Forum Julii ab Unnis, sub Chagano Duce, eorum, sive Rege direptum, ac dirutum fuit, ut narrat Valdefridus, seu Paulus Diaconus. *Circa hæc tempora Rex Avarorum, quem sua lingua Chaganum appellant, cum innumerabili multitudine veniens, Venetiarum fines ingressus est. Cui obviam factus Gilulphus Forojulianus Dux, cum Longobardis fortiter pugnans, cum suis extinctus est.* Romilda defuncti uxor, cum filiis quatuor, totidemque filiabus, ceterisque Longobardis, qui prælio superfuerant, intra Forojuliani castri septa se munivit. Paulo post Romilda Chagani amore capta, dum castrum circuiret, ei portas aperuit.

Chaganus Hunnorum Rex Forum Julii proditione captum diruit.

4. Meritas tamen perduellionis, & impuri amoris pœnas Romilda dedit, de quibus hæc Paulus. *Cum eorum Rex circa muros armatus perambularet, ut qua ex parte urbem facilius expugnare posset, inquireret, hunc Romilda de muris prospiciens, cum eum cerneret juvenili ætate florentem, meretrix nefaria concupivit, eique mox per nuntium mandavit, ut si se in matrimonium sumeret, ipsa eidem civitatem cum omnibus, qui aderant traderet. Quod rex barbarus audiens, eidem, malignitatis dolo, quod mandaverat se facturum promisit, eamque in matrimonium spopondit accipere. Illa vero nihil morata, portas Forojuliensis castri aperuit, & ad suam cunctorumque qui aderant perniciem hostem introduxit. Ingressi vero Avares, cum Rege suo Forum-julii, universa, quæ invenire poterant, rapinis diripiunt. Ipsamque urbem flammis concremantes, universos, quos repererant captivos abducunt, fallaciter tamen eis promittentes, quod eos unde digressi fuerant, Pannoniæ in finibus collocarent. Qui cum Patriam rever-*

revertentes, & ad campum quem sacrum nominant pervenissent, omnes qui jam in majori ætate constituti erant Longobardos, perimere gladio statuunt: mulieres vero, & parvulos captivitatis sorte dividunt. Taso vero, & Cacco, seu Rodoaldus filii Gisulfi, & Romildæ, cum hanc Avarorum malitiam cognovissent, statim ascensis equis fugam arripiunt. E quibus unus Grimualdum puerulum fratrem suum, dum existimaret, utpote parvulum, super equum currentem se tenere non posse, melius ducens eumdem gladio perimere, quam captivitatis jugum sustinere, eum occidere voluit. Cum igitur ut eum percuteret lanceam elevasset; puer lacrimans exclamavit, dicens: Noli me pungere, quia possum me super equum tenere. Qui injecta manu eum per brachium apprehendens, super nudum equi dorsum posuit, eundemque ut se contineret hortatus est. Puer vero frenum equi manu arripiens, fugientes germanos, & ipse secutus est. Quo comperto Avares, mox ascensis equis eos persecuti sunt, & reliquis veloci fuga evadentibus, Grimoaldus puerulus, ab uno eorum, qui velocius cucurrerat capitur, nec tamen eum suus comprehensor gladio ferire propter parvitatem ætatis dignatus est, sed sibi eumdem potius serviturum reservavit. Cumque eum ad castra revertens apprehenso, ejusdem equi freno reduceret, deque tam nobili præda exultaret (erat enim ipse puerulus eleganti forma, micantibus oculis, lacteo crine perfusus) qui cum se captivum trahi doleret, ingentes animos angusto in pectore versans, ensem qualem in illa ætate habere poterat vagina exemit, seque trahentem Avarem, quantulo annisu valuit, capitis in vertice percussit. Moxque ad cerebrum ictus perveniens, hostis ab equo dejectus est. Puer vero Grimoaldus verso equo, fugam lætabundus arripiens, tandem fratribus junctus est, eisque liberatione sui nuntiata, insuper hostis interitu, inæstimabile gaudium fecit.

Romilda per duellionis,& infani amoris dat pœnas.

5. *Avares vero omnes Longobardos, qui jam in virili ætate erant, gladio perimunt, mulieres vero, & parvulos captivitatis jugo abducunt. Romildam vero, quæ totius malitiæ caput extitit, Rex Avarum propter jusjurandum, sicut ei spoponderat, nocte una, quasi in matrimonio habuit, novissime vero duodecim Avaribus tradidit, qui eam per totam noctem vicibus sibi succedentes libidine vexarent. Postmodum quoque palum in medio campo configi præcipiens, eamdem in ejus acumine*

mine inferi mandavit, hæc insuper exprobrando inquiens, talem te dignum est maritum habere. Igitur dira proditrix Patriæ tali exitio periit, quæ amplius suæ libidini, quam Civium & Consanguineorum saluti prospexit. Filiæ vero ejus non matris libidinem secutæ, sed castitatis amori studentes, ne ab Avaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes sibi inter mammas sub fascia posuerunt, quæ ex calore putrefactæ, odorem fœtidum exhalabant. Cumque eas vellent Avares contingere, non sustinentes fœtorem, putabant eas naturaliter ita fœtere, procul ab eis cum execratione recedentes, atque dicentes, omnes Langobardas fœtidas esse. Hac igitur arte, Avarum libidinem puellæ nobiles evadentes, & ipsæ castæ servatæ sunt, & utile servandæ castitatis, si quid tale fœminis contigerit, mandaverunt exemplum. Quæ postea per diversas regiones venundatæ, juxta nobilitatem suam dignis sunt nuptiis potitæ. Nam una earum Alamannorum regi, alia vero dicitur Bojariorum Principi nupsisse.

Castitatis exemplum ex filiabus Romildæ.

JESU CHRISTI AN. 612. BONIFACII 4. PAPÆ 5. HERACLII IMP. 3. AGILULPHI LONGOB. REGIS 23.

Persæ Cæsaream occupant. *Theoph. pag. 245. Theophil. lib. 8. cap. 12.*

1. Insequens annus Domini sexcentesimus duodecimus, infaustus quoque Romanis fuit, nam Persæ Duce Raxate, Cæsaream Cappadociæ occuparunt, ut his verbis narrat Theophanes. *Hoc anno Persæ Cæsareæ Cappadociæ potiti, plures hominum myriades in captivitatem egerunt. Heraclius autem imperio assumpto, rem omnem Romanam labefactatam reperit. Europam etenim barbari reddiderant desertam, universam Asiam Persæ pessum dederant, & urbes integras in captivitatem adduxerant, Romanumque exercitum bellis consumpserant continuis. Ista conspiciens Imperator, quid ageret dubius hærebat. Exercitu siquidem omni perlustrato, num aliqui ex iis, qui cum Phoca Tyrannidis ejus fautores adversus Mauricium præliati inter viros superessent, perscrutatus, per legiones cunctas rimatus, duos solos invenit residuos.* Interea Heraclius filium ex Eudoxia suscepit, Heraclius junior dictus, aut Constantinus. *Hoc anno mense Artemisio, secundum Romanos Maii III., feria IV. natus est in secessu Sophianarum*, ait auctor Chronici, aliique Græci historici. *At mensis Augusti, die* 14. *mortua est in secessu Blachernarum*

Heraclius junior nascitur

rum Eudocia Augusta, Fabia dicta, illusque funus navigio in urbis Palatium illatum, postridie factis exequiis, in æde Apostolorum conditum est. Cum ad sepulchrum deferretur accidit, ut puella quædam barbara prospectans, sputum imprudens in feretrum dejecerit: *Ob quod factum comprehensa, & cremata, Imperatrici infeliciter parentavit. Eodemque anno die 4. Octobris coronata est puella Epiphania, quæ & Eudocia appellata, in æde Sancti Stephani in Palatio. Et in curru sedens stipantibus eam Philareto Cubiculario, & Chartulario, & Sincto Castrensi, ut fieri solet, venit in magnam ecclesiam:*

Epiphania Heraclii filia coronatur.

2. Circa hæc tempora Gundoaldus Astarum Dux, & Theodolindæ Frater, sagitta percussus interiit, duobus relictis filiis, quorum secundus, scilicet, Aribertus anno 651. Longobardorum Regnum obtinuit, ut suo loco dicturi sumus.

Gundoaldi Astarum Ducis interitus. *Paul. Diac. lib. 4. c. 42.*

3. Hoc anno Theodoricus Burgundiæ Rex, Brunichilde avia instigante, Theodeberto fratri excidium paravit; coactisque copiis in Austrasiæ, sive Austriæ Regnum irrumpit, ac Fratrem bis in acie Theodoricus occidit, ut Fredegarius, & Aimonius ad annum Theodorici decimumseptimum, Christi vero 612. de quibus Jonas in vita S. Columbani, hæc narrat. *Theodoricus Theodebertum ad bellum provocat, & propter Tullum devictum fugat, postque collecto exercitus robore persequitur. Simili modo gentium multarum Theodobertus robore vallatus, ad Tulbiacense castrum pugnaturus occurrit, ibi prælio inito innumeræ gentium phalanges, ex utroque exercitu perierunt, & victus tandem Theodebertus fugit. Persecutus est Theodebertum Theodoricus, & suorum proditione captum, ad aviam Brunichildem direxit, quem cum avia recepisset, quia Theodorici partibus Brunichildis favens erat, furens Theodebertum fieri clericum rogavit; At non post multos dies, impie nimis, post clericatum perimi jussit.* Hactenus Jonas in vita Columbani, cui paucis demptis, vel immutatis consentiunt Aimonius, & Fredegarius supracitati: Post Theodeberti vero interitum, ejusdem filios, Clotharium, scilicet, ex Belielilde natum, Meroveum vero ex Theudechilde Theodeberti uxoribus, Theodoricus victor, & patruus interfici in Austria jussit, eo tempore, quo Theodebertum

Theodebertus a Fratre victus occiditur. *Fredeg. cap. 38.*

Aimonius lib. 3. c. 98. Coint. Ann. hoc anno. Mabill. ann. bened.

Jonas apud Mabill. Act. seculo secundo pag. 95.

Jonas c. 27.

 Fra-

Jesu Chr. An. 612. *Aimon. l. 3. cap. 98.*

Fratrem in Burgundiam, ad aviam Brunichildem miserat. Moroveum eliso ad petram capite peremptum tradunt, quem etiam in albis tunc fuisse, ideſt nuper baptizatum, narrat auctor appendicis ad Marii chronicon, & Aimonius.

S. Columbanus Italiam petit, & monasterium Bobiense ædificat.

Jonas vita Columb. c. 59.

4. Columbanus vero, cum Theodebertum, cujus patrocinio fulciebatur, a Theodorico victum, & occisum audivit, ex Svevia in Italiam migravit, ubi ab Agilulpho Longobardorum Rege benigne exceptus monasterium Bobiense condidit, ut in ejus vita narrat Jonas. *Beatus ergo Columbanus, cum vidisset (ut superius diximus) devictum a Theoderico Theodebertum, redacta Gallia atque Germania sub Theoderico Italiam ingreditur, ubi ab Agilulpho Langobardorum Rege honorifice susceptus est, qui largita optione, ut intra Italiam, quocumque in loco voluisset, habitaret.* Quare in Alpium solitudinem progressus, in loco, qui Bobium dicebatur, substitit, ubi veterem ecclesiam invenit, Deo dicatam in honorem S. Petri Principis Apostolorum, ibique monasterii sui fundamenta posuit; quod temporis tractu celeberrimum evasit, ut in ejus vita narrat Jonas. De Bobiensis monasterii fundatione Agilulphi Regis Longobardorum, apud Ughellum, litteræ leguntur, quibus Basilicam Beati Petri, cum loco Bobio, ad quatuor millia per circuitum donat; at cum erroribus tum chronologicis, cum historicis scateant; hinc inter supposititias merces nonnulli easdem epistolas relegant; quibus nec subscribimus, nec repugnamus, cum in iis de diplomatum antiquorum sinceritate, vel falsitate judices sedere, instituti nostri ratio non patiatur.

De epistola S. Columbani ad Bonifacium Papam

5. In Placentina Diœcesi Bobium erat, nunc vero urbs Episcopalis Januensi Metropolitæ subdita, ac in dominium Sardiniæ Regis translata. Cum vero Agilulphi, & Theodolindæ Longobardorum Regis, & Reginæ benevolentiam promeruisset, eorum nomine ad Bonifacium Papam litteras, de schismate ob tria capitula exorto, dedit. Nam Agilulphus, æque ac Theodolinda, cum in schismate fovendo, cum Venetiæ, cum Istriæ Episcopos obstinatiores cernerent, eisque etiam ex Insubriæ Episcopis favere intelligerent, quid in ea causa sibi agendum esset, hœrebant animo, ac Columbani opera, Romanum Pontificem, uti olim apud Gregorium fecerant, iterum consulendum censuerunt. Ex Colum-

lumbani tamen epiſtola, quid in ſynodo quinta actum eſſet, eoſdem ignoraſſe manifeſtum eſt; nam Eutychetem, cum Neſtorio, & Dioſcoro in communionem eccleſiæ admiſſos, aut ab hæreſi abſolutos a Vigilio Papa fuiſſe ſupponit, his verbis. *Vigila itaque quæſo Papa, vigila, & iterum dico vigila, quia forte non bene vigilavit Vigilius, quem caput ſcandali iſti clamant, qui vobis culpam injiciunt*, ideſt ſchiſmatici; poſt plurima vero hæc etiam addit. *Hæreticorum enim, ut audio, receptio vobis reputatur, quod abſit credi verum fuiſſe, eſſe, vel fore. dicunt enim Eutychem, Neſtorium, Dioſcorum, antiquos, ut ſcimus hæreticos a Vigilio in ſynodo, neſcio qua, receptos fuiſſe. Ecce cauſam totius, ut ajunt ſcandali, ſi & vos ſic recipitis, ut dicitur, aut ſi & ipſum Vigilium ſcitis, ſic infectum defunctum fuiſſe; quare illam contra conſcientiam recitatis*, ideſt cum catholicis Epiſcopis in albo retinetis . . . *Jam veſtra culpa eſt, ſi vos deviaſtis de vera fiducia, & primam fidem irritam feciſtis, merito veſtri juniores vobis reſiſtunt, & merito vobiſcum non communicant, donec prædictorum memoria deleatur, & oblivioni tradatur &c.* Hinc ut etiam ſe ab ea labe purgaret, multa cum libertate, ac majori fortaſſe, quam Monachum decebat, Bonifacium Papam admonet. Inter cetera; *Ut ad id loci unde digreſſus ſum, rogo vos, quia multi dubitant de fidei veſtræ puritate, ut cito tollatis hunc nævum de Sanctæ cathedræ claritate &c.* Modeſtiam nihilominus, animique demiſſionem, cum dicendi libertate conjungit, ut vel ipſa inſcriptio docet, his verbis concepta; *Pulcherrimo omnium totius Europæ*, (melius dixiſſet, totius Orbis) *Eccleſiarum capiti, Papæ prædulci, Præcelſo Præſuli, Paſtorum Paſtori, Reverendiſſimo Speculatori, humillimus Celſiſſimo, Minimus Maximo, agreſtis Urbano, Micrologus eloquentiſſimo, extremus Primo, Peregrinus indigenæ, pauperculus præpotenti. Mirum dictu! nova res! rara avis, ſcribere audet Bonifacio Patri Palumbus*, ideſt Colomba, ut dici ſolebat, ſeu Columbanus; Regis autem Agilulphi nomine hæc ſcripſiſſe, ab eoque rogatum his verbis teſtatur. *A rege cogor*, inquit, *ut ſingillatim ſuggeram tuis piiſſimis auribus ſui negotium doloris, dolor namque ſuus eſt ſchiſma populi, pro Regina, pro filio; fortaſſe & pro ſe ipſo, fertur enim dixiſſe, ſi certum ſciret, & ipſe crederet, &c.* ideſt ſi certo ſciret a ſynodo

Biblioth. SS. PP. tom. 12. pag. 28.

Jesu Chr. An. 612.

nodo Quinta catholicam fidem confirmatam fuisse, iis libenter & ipse subscriberet, nam Agilulphum cum uxore sua Theodolinda, non solum christianos, sed etiam catholicos tunc fuisse, hæc ejusdem Colombani verba indicant, quibus epistolam claudit. *Reges namque Arianam hanc labem in hac die regione calcando, fidem catholicam firmarunt: nunc nostram rogant roborari fidem. Forte Christus pio oculo nunc nos respicit, cujus favore omne nascitur bonum ... Rogat itaque Rex, rogat Regina, rogant te toti, ut quam celerrime possit fieri, fiant omnia unum, fiat ut patria pax, pax fiat mox fidei, ut toti deinceps grex unus fiat Christi.* Hæc & alia Colombanus, quibus patet, pro catholica fide & ecclesiæ unitate sollicitum fuisse Agilulphum Longobardorum Regem, quæ sane nec Ethnico, aut Ariano aptari possunt; Colombanus vero in Bobiensi monasterio, usque ad annum 615. bonis operibus intentus perseveravit, eoque anno in Cœlum abiit. A Clothario quidem qui anno sequenti Francorum Regnum adeptus fuerat missa legatione rogatus, ut in Gallias rediret, senectutem causatus, e Bobiensi monasterio egredi recusavit: Moriens vero in Bobiensis monasterii præfectura Attalam successorem reliquit, ut in ejus vita narrat Jonas; cujus etiam nonnulla opuscula supersunt, & epistolæ, præter eas quarum hactenus mentionem fecimus, de quibus plura apud Dupinium, aut Caveum videri possunt. Omnia vero tomo duodecimo bibliothecæ SS. Patrum inserta sunt. Dupinius seculo 7. pag. 14. Caveus tom. primo p. 542. In eo tamen turpiter cum Odinio de script. eccles. tom. 1. pag. 1571. erravit, dum uterque Bobiense monasterium, prope Neapolim Colombanum ædificasse, scribit.

Eustasius Luxovii Abbas creatur.

6. Inter primos Columbani discipulos locum habebat Eusthasius, qui Luxoviensi monasterio (discedente Columbano) præfectus est. *Inter hæc*, ait auctor Anonymus, & coevus vitæ Sancti Valerici Abbatis Leucaniensis capite nono. *Beatus Eusthasius a beato Columbano fuerat destinatus, ad hoc ipsum cœnobium regendum*; ideft Luxoviense, atque ab Eusthasio & sociis monasticum institutum, in Galliis mirifice propagatum est, adjuvante Clothario Francorum Rege, uti pluribus in actis ordinis S. Benedicti, & in annalibus prosequitur Mabillonius.

7. In-

7. Inter S. Columbani discipulos, non est prætereundus S. Gallus, auctor & fundator celeberrimi monasterii, quod ejusdem adhuc nomen retinet. Cujus Abbates jurisdictionem, & insignia Episcoporum adepti, inter Romani etiam Imperii Principes recensentur, cum tractu temporis circa Monasterium insigne oppidum ædificatum est. Hic porro S. Gallus cum Luxovio, una cum S. Columbano egredi statuisset, repentina detentus febre, ibidem subsistere coactus est. Quare post discessum Columbani, & sociorum, recuperata valetudine inde egressus, cellulam inter duos fontes, in valle speciosa extruxit, ut pluribus narrat Valfridus. Cumque apud eum vitæ monasticæ alumni confluxissent, non multo post ad lacum Aronium in finibus Helvetiorum, & Vindelicorum, non longe ab Augia Insula, monasterium ædificavit; de quibus apud supracitatum Mabillonium plura videri possunt.

S.Gallus monasterium ædificat.

8. Hoc quoque anno obiit Gundemarus Hispaniarum Rex, cum regnasset, ut habet Isidorus, annis duobus, numero rotundo utens, quem Vulsa in chronico regnasse ait, annum unum, menses 10., dies 13.. Ei successit Sisebutus, cujus exordium ad annum præcedentem refert Baronius, sed cum æra justa Hispanos 650., ut habet Isidorus in chronico, Regnum post Gundemarum inierit, sequitur currenti anno ejus Regni initium esse collocandum, quod confirmatur, (ut notatum est a Pagio) ex epitaphio relato a Garzia Loasia in notis ad concilium Hispalense secundum, in quo sic legitur. Sacerdos occurrit Amator. *Ætatis suæ XLIII. die ID. Febr. æra DCLII. feliciter II. Sisebuti Regis. Episcopatus anno I. & men. X. T. in pace, Amen.* Æra 652. cum anno 614. currebat; si ergo idibus Februarii secundum Regni annum agebat Sisebutus, anno 612. post idus Februarias Regnum inierat, hactenus ex Pagio de initio Regni Sisebuti.

Moritur Gundemarus Rex Hispaniarum

Sisebutus Gundemaro succedit.

Pag. not.ult. ann. 612. & nota 40. ann. 614.

JESU CHRISTI AN. 613. BONIFACII QUARTI PAPÆ 6. HERACLII IMP. 4. AGILULPHI LONGOB. REGIS 24.

1. Anno Redemptoris sexcentesimo decimotertio ineunte. *Mense Audyneo* (ut habet auctor chronici Alexandrini, *Romanis 22. Januarii, feria secunda filius Heraclius junior, Constantinus, Imperator, a Patre suo Heraclio in Palatio inau-*

Heraclius Junior Imperio a patre sociatur.

tus, hæc habet Eleusius discipulus, in fine vitæ a se scriptæ: *Decessit e vita Sanctissimus, & beatissimus, ac fidelissimus Christi servus Theodorus, tertio imperii anno pietatis, & Christi studiosissimi Imperatoris Heraclii, quo quidem anno filius ejus Deo carissimus creatus fuit Cæsar, indictione prima, die vigesimasecunda mensis Aprilis: Cujus precibus, utinam ad Christi Dei nostri tribunal misericordiam consequamur.* Hæc auctor, qui ad fidem faciendam hoc veluti sigillo scriptionem suam munivit, dum in fine ejusdem vitæ S. Theodori hæc altera addidit. *Hæc ego Eleusius, qui & Georgius a S. Theodoro vocatus sum, omnia Deo adjuvante conscripsi. Neque vero miraculorum ipsius expers fui, sed ea maxime omnium expertus sum. Cum enim parentes mei ex oppido Adigermaro oriundi, diu simul vixissent, nec ullos possent liberos suscipere, ad sanctum virum accesserunt; cumque Zonas quibus ille benedixerat, accepissent, ego conceptus sum, & in lucem editus, & infans ipsi oblatus: qui & in ejus sancto monasterio enutritus, a religiosissimo præfecto litteras didici. Cumque parentes mei filium alterum S. Theodori precibus suscepissent, ejus illi nomen imposuerunt. Duodecim igitur annorum spatio, quo apud illum vixi, multorum miraculorum, quæ ab ipso facta sunt, inspector fui: quæ autem ab illo superioribus temporibus gesta fuerant, ea vel a ministris ejus, qui spectatores extiterant, vel ab iisdem qui curati sunt, accepi: quamquam, & multa me oblitum esse confiteor, & nonnulla propter imbecillitatem meam prætermisisse. Pauca igitur e plurimis attigi. &c.* Quoad res occidentales attinet, in Italia summa pax fuit, prorogato Romanos, inter ac Longobardos fœdere, quod singulis annis, tributo præstito, Romani a Longobardis redimebant.

Italiæ pax.

Theodorici Regis infelix obitus.

4. In Galliis vero terribile Dei judicium emicuit adversus Theodoricum, & Brunichildem ejus aviam, cum enim completa esset iniquitas eorum, dum Nepotum, & propinquorum sanguine exatiari vix poterant, etsi decem saltem, ex iis injuria occidissent, nec semel sanctos viros persecuti fuissent; atque ex his S. Desiderium Viennensem Episcopum necari jussissent, Sanctum vero Colombanum e Galliis ejecissent, ut diximus, durum tandem, quod iis, qui præsunt fiet, experti sunt judicium. Theodoricus igitur, Theodeberti Fratris interitu, & Austriæ Regno aucto, ferocior factus

 reli-

JESU CHR. AN. 613.

reliquam Francici Regni partem, quam Clotharius tenebat, occupare maturabat, jamque cum exercitu in Clotharii Regnum irruens, cum eidem resistendo impar Clotharius esset, fugam capere cogitabat. At mutata repente fortuna, Francicum Regnum, in tres olim partes distinctum, in Clotharii potestatem transiit, ut eidem a S. Colombano prædictum fuerat. Nam Theodoricus dum Mettis esset, ventris profluvio repente extinctus est, igne etiam a Cœlo immisso percussus, ut ait Jonas, exercitus autem ejus adversus Clotharium immissus continuo dispersus est. Annum 26. agebat Theodoricus, regnavitque annos septemdecim, relictis filiis quatuor Sigiberto scilicet, Childeberto, Corbo, & Meraco, quorum nemo paternum obtinuit Regnum. Nam Clotharius Sigibertum, quem Brunichildis paterno solio imponere tentavit, captum peremit, una cum fratribus, & Avia, sicque nullo negotio Theodorici Regno potitus est, de Brunichildis ignominiosa morte hæc habet Jonas. *Porro Theodericus penes Mettense morans oppidum, divinitus percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est: postquam Brunichildis filium ejus Sigebertum in Regno suffecit. Itaque Clotharius memor prophetiæ viri Dei, collecto exercitu, quæ suæ ditioni degebantur, conatur recipere. Contra quem Sigebertus cum hostium cuneis pugnaturus advenit, quem Clotharius captum peremit, fratresque ejus quinque (legendum duos) Theoderici filios cum proavia Brunichilde cæpit, pueros separatim peremit. Brunichildem vero primo ignobiliter Camelo impositam hostibus gyrando monstravit, post indomitorum suorum caudis ligatam miserabiliter vita privavit.* Eadem habent Fredegarius, & Anonimus in appendice ad Marii Chronicon, qui vivente Clothario scripsit; sic Deo vindice crudelissima fœmina propinquorum sanguine non semel fœdata, bellorumque auctrix, & instigatrix, teterrimo supplicio parricidiis debito miserrime periit, cujus cadaver in Sancti Martini templo, quod Augustoduni ipsa ædificaverat, conditum fuit, ubi adhuc ejus sepulchrum marmoreum extat cum loculo plumbeo, ubi ejus cineres, cum semiambustis ossibus servantur.

Brunichildis infame supplicium. *Jonas c. 58.*

Coint. ann. 613.

J E-

JESU CHRISTI AN. 614. BONIFACII 4. PAPÆ 7. HERACLII IMP. 5. AGILULPHI LONGOB. REGIS 25.

1. Annus adest sexcentesimus decimus quartus, Bonifacii IV. Papæ septimus, Heraclii Imp. quintus, infaustus ac Christianæ Reipublicæ luctuosissimus, ob Cristianorum sanguinem a Persis effusum in circuitu Jerusalem. Hoc enim anno Persæ non solum Syriam, & Palæstinam, nullo resistente cœdibus, rapinis, & incendio vastarunt; sed etiam Hierosolyma capta, christianorum quamplurimos in captivitatem duxerunt, aut vilissimo prætio venundatos, Judæis tradiderunt, & diversis suppliciis crudeliter interfecerunt, ac supra nonagintamillia miserrime periisse narrat Theophanes. Luctuosæ tragœdiæ seriem his verbis narrat auctor chronici Alex. *Hoc anno circa mensem Junium, malum nobis accidit, perpetuo luctu prosequendum. Cum aliis quippe compluribus Orientis civitatibus, Hierusalem a Persis capta est, multis Clericorum, Monachorum, Sanctimonialium, & virginum millibus trucidatis. Incensum etiam Dominicum sepulchrum, & celeberima Dei templa: & ut verbo dicam, prætiosa omnia destructa: Veneranda crucis ligna, cum sacris vasis innumeris capiuntur a Persis, & Zacharias Patriarcha captivus abducitur: Atque hæc omnia non multa anni parte, nec tota mense, sed intra paucos dies contigere.*

Hierosolyma a Persis capta & Christianorum strages.

Chron. Alex. pag. 385.

2. In tanta rerum deprædatione, hoc unum Christianis solatio fuit, quod Nicetas, a Sabara Persarum duce illas accepit prætiosiores omni auro reliquias, spongiam scilicet, & Lanceam, quas Constantinopoli misit, quæ, ut habet Chronicon. 14. *Corpiæi mensis secundum Romanos Septembris mensis, indictione 3., in tertia exaltatione vivifica Crucis alligata veneranda spongia, & ipsa exaltatur in Sanctissima magna ecclesia, missa a Niceta Patricio, & 28. Hiperberetei, secundum Romanos Octobris mensis feria septima, ea nocte, quæ præcedit Dominicam, veneranda lancea e sacris locis allata est, quam quidam familiaris abominandi Sabaræ, cum ab iis fuisset ablata, dedit memorato Nicetæ: & statim eo ipso die Dominico in Sanctissima magna ecclesia publicatum ac nunciatum eam esse allatam; ac tertia deinde, & quarta feria a viris, quinta autem, & sexta a fœminis est adorata.*

Lancea, & Spongia Constantinopoli missæ.

Chron. Alex. ibid.

Viri a fœminis separati ad ecclesias accedunt.

3. Quæ

Jesu Chr. an. 614. Joannes Eleemosynarius subvenit Hierosolymitanis.

3. Quæ autem hac data occasione egerit Joannes Patriarcha Alexandrinus, eleemosinarius dictus pro fovendis, ac sublevandis miseris, qui Jerosolymis remanserant, aut iis, qui in captivitate, vel profugi erant, sic narrat Leontius in ejus vita. *Cum Persæ populati essent universam Syriam; qui eorum manus potuerunt effugere, tum laici, qui magistratum gerebant, & privati, tum clerici, cum Episcopis confugiunt Alexandriam. Quibus omnibus dives ille, & minime angustus convivator, quotidie suppeditabat quæ erant ad usum necessaria, non ad indigentium aspiciens multitudinem, ut aliquid faceret quod esset sordidi, & illiberalis animi, sed ad eum, qui aperit manum, & omne animal implet benedictione. Cum autem Rasmizus Dux exercitus Cosrhois vastasset, & depopulatus esset veneranda loca Hierosolimorum: postquam hoc audivit ille homo Dei, & quod omnia Sancta fuissent igni tradita, deflet quidem non secus ac Hieremias, id quod factum fuerat. Non hactenus autem constitit ejus commiseratio, sed mittit etiam Chrysippum quemdam virum pium, tradens ei multum auri, frumentumque, & alia alimenta, & indumenta, & ad ea vehenda jumenta plurima, tum ut aspiceret vastitatem, tum etiam ut eos qui remanserant ex captivitate satis per ea quæ dicta fuerunt recrearet: Præterea autem Theodorum quoque Amathunti Episcopum, & Anastasium Præfectum magni montis Antonii, & Gregorium Episcopum Rinocurorum emittit ad eos recipiendos, qui abducti fuerant in captivitatem, vim auri præbens prope innumerabilem.*

Threni Antiochi monachi pro Hierosolyma capta.

4. Super captivitatem Jerusalem, & filiarum ejus, novus Jeremias, qui proxime hæc vidit, flevit, aliosque ad flendum provocavit. Antiochus scilicet monachus in laura S. Sabæ, cujus extant homiliæ 130. in quibus passim eam cladem lamentatur. Has Eustachio præposito monasterii Datalensis Ancyræ civitatis Galatiæ dicavit, ut ex epistola ibidem præfixa patet. Ex pluribus locis aliqua saltem accipe, ex homilia decima. *Debemus lacrymas profundere amaritudinis plenas. Primum quidem, quod Civitas sancta incendio conflagravit. Crux quoque Sancta Christi Dei nostri in Persidem transmigravit. In eorum item gratiam, qui tot attriti bellis perierunt: nobis enim erant concorporei, & eadem nobiscum insigniebantur fide. Ad quem modum Joel Propheta clamat: Plangite Sacerdotes qui ministratis Altari, quia misere afflicta*

Joel. 2.

Eta est omnis terra. Flete Sacerdotes qui ministratis Domino, & dicite: Parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur ejus nationes, ut ne dicant: Ubi est Deus eorum? Eademque alibi passim deplorat.

Antiochi monachi exomologesis.

5. Sicuti autem Hieremias ad Threnorum finem orationem addidit, sic Antiochus monachus ad Deum conversus, hanc orationem subdit: *Domine Deus Omnipotens, magnus tu, & admirabilis, qui custodis testamentum tuum, & misericordiam tuam his, qui te diligunt, & custodiunt mandata tua. Memor esto miserationum tuarum, & copiosæ misericordiæ tuæ, quæ a sæculo sunt. Ne obliviscaris testamenti tui, qui dixisti: si mandata mea non custodieritis, visitabo in virga iniquitates vestras, & in verberibus injustitias vestras, misericordiam autem meam non dispergam a vobis; & quæ procedunt per labia mea non faciam irrita. Confirmentur sermones isti tui, Here benignissime, & aufer peccata nostra, quippequi miserator es & longanimis. Tibi enim Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio facies nostra adoperuit (ut hæc dies probat) quia peccavimus coram te, Domine, neque exaudivimus vocem tuam, ut ambularemus in mandatis tuis. &c.* His alia multa ad promerendam Dei misericordiam addit, quæ exscibere longum esset; Hoc unum adnotamus, quod ejus oratio inutilis, & infructuosa non remansit, non enim, ut olim, cum sub Sedecia Rege capta fuit Jerusalem, ad septuaginta annos retardata est restauratio, sed paucos post annos contigit hostium præpotens debellatio, & captivorum qui remanserant postliminio reversio, una cum Zacharia Patriarcha, atque Sanctissimæ Crucis cum triumpho restitutio solemnis, ecclesiarumque restauratio.

Psal. 24.

Psal. 88.

Epistola Antiochi ad Eustathium.

6. Has autem homilias Antiochus monachus, eo fine hoc tempore vulgavit, ut monachis, ob barbarorum incursiones, uno loco consistere non valentibus, prodessent. Quod autem istud fuerit animi ipsius consilium constat, ex iis, quæ in earum exordio præfatur ad Eustathium, cujus exhortatione illud opus susceperat. *Tale enim*, inquit, *scribendi munus vestra suscepi exhortatione, quod momentis singulis loca, & civitates permutare cogimur, per hanc Chaldaicæ gentis tempestatem, quæ totum pene terrarum orbem sua premit tyrannide*, & paulo post: *Non ausus uni e vobis peculia-*

JESU CHR. AN. 614.

liariter, sed in commune omnibus qualemcumque hanc inferre doctrinam. Id dedicatoria autem epistola fusius, clariusque mentis suæ propositum explicat, ac Monachorum suæ lauræ Martyrium narrat, quod diebus aliquot præcesserat, antequam Persæ Hierosolymam ingrederentur, de quibus post aliqua addit.

De martyribus necatis a Saracenis.

7. *Quoniam vero illud præterea scripsisti, ut tibi aliquid diceremus de Sanctis patribus nostræ Lauræ, an vera sint quæ a nonnullis audisse dicis de eorum videlicet vita, & nece, cum vix illa credi possint, & sensum omnem superent: necessarium propterea duxi, brevibus tibi prius aperire, quæ ad illos attinent, ea deinceps subjicere, quæ diximus Sacræ Scripturæ capitula. De laudabili vero vita eorum in præsentiarum agere, id temporis non postulat, nec mea lingua illa posset facile percurrere. Illud tantum dicam, quod revera homines erant divini (si homines tantum illos oporteat dicere potius, quam Angelos, cum in exercitatione spirituali, & monastica vita, & laboribus, quos pro pietate sustulerunt a juventute sua, insenuerint) senes quidem venerandos, & canos capillos habebant, sed mente magis præstabant & humilitate, honesti, modesti, veridici, irreprehensibiles, justi, pii, ab omni turpidine, & pravitate, alieni, omnibus bonis exornati, & divino repleti amore: nonnulli ipsorum centum excesserant annos, & quinquaginta sex in quieta, & monastica vita cum peregissent, nec e Laura & monasterio unquam recesserant: nonnulli vero neque ad Ecclesiam processerant, nec civitatem amplius viderant, ex quo vitam monasticam semel fuerant amplexati: variis etiam virtutibus emicabant, terrestres scilicet Angeli, & cælestes homines. Quapropter hunc finem sunt adepti, & victoriæ præmium sunt consecuti. Cum enim Ismaelitæ ad nostrum accessissent monasterium, una septimana antequam Sancta Civitas fuisset occupata, & universa Ecclesiæ sacra vasa jam diripuissent: plerique patres aufugerunt quamprimum: remanserunt autem in monasterio, qui fortiores Christi fuerant servi, sacrum illum locum destituere nullo pacto volentes. Barbari vero cum illos comprehendissent, & multos illos dies inhumane tractassent, & tormentis afflixissent, pecunias hoc pacto se inventuros putantes, apud quos nihil hujus seculi reperiebatur. Illi simul atque intellexerunt, sua se tandem spe, & pro-*

proposito excidisse, in efferatissimam versi rabiem, ad unum membratim beatos illos conciderunt. Qui & lætitia incredibili perfusi, ac proinde alacri vultu renidentes, omni cum actione gratiarum animas reddiderunt Domino, quippe non ita pridem in votis habuerant resolvi, & esse cum Christo. Corpora vero plusquam tragice cæsa, cum non paucos dies in humum disjecta sine sepulturæ beneficio jacuissent, ab Arabia illo usque adproperavimus. Et quidem eximius Abbas Nicomedes spectaculum illud miserabile cæsorum patrum contemplatus, deliquio animi concidit, atque illinc relatus mortuus prope est. Modestus præterea, & ipse Sanctissimus adventum nostrum cum antevertisset, & sanctorum illorum lustrasset prius habitacula omnia, itidem angore animi contractus, multis se protulit lacrymis, ac sancta quæ hactenus resederant lipsana (hoc est, sanctorum reliquias) circumplexus, in patrum superiorum deposuit conditoriis. Id ad hæc ubi solemnem persolvit ex more sermonem consuetum, illud mox oraculum Isaiæ exerta voce deprompsit. Viri justi tolluntur, & nemo recogitat. A facie iniquitatis sublatus est justus. Erit in pace sepulchrum ejus, & spes illorum immortalitate plena. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quia Deus tentavit illos, & invenit eos dignos se, & quasi holocausti hostiam accepit eos in tempore visitationis ipsorum, splendescent ac refulgebunt. Et hæc de Sanctis illis cum edisseruisset, unumquemque nostrum hortari cœpit, ne quo emigraremus loci illius nostri desertores, magis vero eas, quæ imminebant tentationes generoso pectore perferremus, Dominicæ illius memores sententiæ, quia angusta est porta, & arcta via quæ ducit ad vitam; sed & Apostoli dicentis. Quia per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei. Hujus itaque admonitioni visum est gerere morem, eoque in Laura duos prope menses permansimus. Hactenus de Monachorum martyrio Antiochus.

JESU CHR. AN. 614. Saracenorum sævitia in sanctos monachos.

Isai. 57.

Sapien. 3.

Matt. 7. *Luc.* 13.

Act. 14.

8. Ad hæc autem, quæ a Persis passi sunt Christiani, illud intolerabilius adhuc accessit. Judæorum scilicet exprobratio, ac persecutio, cum enim a Persis potestatem accepissent, in christianos sæviendi ferro, flammis, irrisionibus insectati sunt, ita ut amisso Crucis vexillo, (quod Dæmones etiam horrebant) collapsæ pœnitus viderentur res christianorum, hinc nonnulli pusilli animi, ac modicæ fidei, scandalum

Judæi christianis insultant.

passi

JESU CHR. AN. 614.

Hom. 84. *pag.* 265.

Monachus in Judaismum prolapsus.

passi sunt, & retro abeuntes ad Judæos defecerunt, miserabilem casum cujusdam Sinaitæ monachi, his verbis Antiochus narrat. *Fuit*, inquit, *in monte Sina Monachus quidam, qui celebre adeo edidit suæ continentiæ specimen, ut in cellula multos vixerit annos inclusus: postremo multifariis revelationibus Diaboli, & insomniis illusus, ad Judaismum delapsus est, & carnis circuncisionem. Cum igitur Diabolus huic identidem vera quædam insomnia demonstrasset, & veluti objecta illecebra inescasset illius obscuratam mentem: novissime oculis illius objicit copiosam turbam Apostolorum, Martyrum, aliorumque omnis generis Christianorum densissimis tenebris, & omni dedecore oppletam: parte opposita, Mosen, Prophetas, populum quoque Judæorum (Deo alioqui invisum) offert splendida admodum luce conspicuos, inque gaudio & hilaritate vitam traducentes. Hæc cum spectasset miser, e vestigio surrexit, derelictoque sancto illo monte in Palæstinam usque pervenit, rectaque contendit in Noara, & Libyadem, asyla Judæorum. Cum istis denarrasset, quæ sibi visæ fuissent, diabolicas apparitiones, circumcisus est, ac professus Judaismum, accepit uxorem, inque omnium prospectu adversus Christianos edidit dogmata, propugnator factus Judaicæ superstitionis. Hunc ego vidi, ac plerique monachorum: neque enim quatuor anni sunt a morte illius, qua misere perruptus est: catharri enim profluvium aliquandiu passus, & vermium arrosione contabescens, expiravit. Hunc cum vidissemus ego, & alii aliquot monachi, correpti timore ingenti, cum luctu lamentati sumus. Erat id sane quam miserabile spectaculum. Vir hic totus incanuerat in monastica exercitatione, consenueratque laboribus attritus: & is tandem cum mulieribus jocabatur, immundarum carnium, nempe Judaicarum gustu se defœdabat, & inquinabat, verba loquebatur obscœna & impudica, blasphemabat Christum, Spiritum Sanctum non tollerandis afficiebat contumeliis. Et hunc talem illi, sine lege Judæi, secundum vocabant Abraham.* Hucusque de his Antiochus. Sed redeamus ad Chosroen, Crucem sanctam Hierosolymis in Persidem transferentem.

Vindicta in monach. apostatam.

Sancta Crux intacta translata in Persiden.

9. Plane admiratione dignum illud fuit, impium hominem adeo esse reveritum salutis nostræ trophæum, ut nec ausus fuerit ab ipsa theca, qua operiebatur, signaculum amovere, & clave aperire, ut vel illud inspiceret; sed timore per-

perculsum, uti in sacrosancto templi loco asservabatur, eodem modo in Persidem voluisse transferre. Unde intactum Hierosolymam reportatum fuit, quod testatus est Modestus, tunc Hierosolymorum Episcopus, itemque universus Clerus Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Tradit hæc omnia Suidas in Heraclio. His adde quæ in eamdem sententiam, apud Adonem in Martyrologio narrata habentur, nimirum summa religione Crucem in Perside asservatam, & honorifice custoditam fuisse. Majora his adhuc contigerunt; nam sicut qui in Cruce pependit, tunc vicit omnia, cum victus atque mortuus visus est; ita plane cum a Chosroe capta veluti se defendere nescia Crux fuit, inter hostium manubias collocata, tunc ipsa victorem vicit, & Christianum Populum liberavit, atque triumphans, debellatis penitus hostibus, divina potentia ad propria remeavit, ut longe id superet miracula illa, quæ Arca fœderis, cum captiva ducta est, in terra Philisthinorum olim edidit: etenim tunc etsi afflicti, non tamen victi ab Israelitis penitus sunt Philistæi. Quam vera sint, hæc ex Actis Martyris Anastasii Persæ, manifesto constat, quæ quidem etsi referat Metaphrastes, ante ipsum tamen cognita probataque in sacrosancto Nicæno secundo Concilio, & a Latinis ut fide dignissima recepta fuere.

Anastasius instruitur in Christi fide.

10. Is porro, ut is auctor narrat post plurima, cum adolescentiam attigisset, ac Rex Chosroes novum exercitum in Perside colligeret, ipse quoque cum aliis in numerum tyronum relatus est; cumque de Crucis, tunc in Persidem translatæ virtute, multa accepisset, quidnam hoc esset, sciscitari cœpit, & quonam modo fierent interrogavit. *Cum audiret autem ab omnibus, eam esse Crucem, in qua Christus Dei filius, qui a Christianis adoratur, fuit crucifixus, veluti ignem igni adjecit, & quæstioni conjunxit quæstionem, & ex responsione accepit occasionem alterius interrogationis, & multo magis sitiebat discere. Quemadmodum ex Cælo quidem descenderit, cum sit Deus, & quemadmodum etiam factus sit homo, & cur etiam sit ad Crucem condemnatus, & a quibus, & an sit ad Cælum reversus, unde descenderat. Cum autem a piis ei annunciaretur carnis susceptæ divini consilii mysterium, aures quidem pietatis semina libenter suscipiebant, anima vero producebat sensim spicam fidei, & ei desiderium paulatim innascebatur, subibatque æmulatio ejus perpessionem:*

Jesu Chr. an. 614.

quæ cum in ejus anima aucta, & amplificata essent, eum informant & instituunt ad optimum vitæ genus, clarumque & insignem testem, martyrem, inquam, efficiunt. His quomodo, relicto Anastasius Persarum exercitu, amore suscipiendi baptismatis, se contulerit ad Romanorum exercitum, indeque Hierapolim, ubi apud argentarium degens genere Persam hominem Christianum, enucleatius res didicerit Christianorum; incensus vero fuerit multo magis ad subeundum martyrium; ubi in ecclesiarum (ut ait auctor) parietibus picta intueretur certamina sanctorum martyrum. Quomodo autem inde abiit Hierosolymam, atque consecutus est sacrum Baptismum, suo loco dicturi sumus.

Fulget in Perside Crucis signum.

11. Virtus etiam Crucis tunc in Perside iis illuxit, qui vincti absque spe redemptionis tenebantur in carcere, dum per hostiam illam in Cruce primitus immolatam, divinitus liberantur. Rem admirandam Leontius hujus temporis Scriptor, qui rem in sua patria gestam narrat. *Dicebat enim*, inquit, *quod a Persis quidam abductus captivus, in custodia quæ appellatur Lethe asservabatur vinctus. Lex autem erat apud Persas, ut qui conjecti erant in eam custodiam, numquam revocarentur, & ea ratione consentaneum est, eam fuisse vocatam Lethem, idest oblivionem. Illinc autem eum quidam potuissent aufugere, & in Cyprum venire, affirmarunt parentibus adolescentis, eum esse mortuum in custodia. Illi vero tres quotannis Synaxes celebrabant, tamquam eo mortuo. Quatuor anni præterierant, cum filius illinc aufugiens, redit domum. Quem cum Parentes, non tamquam qui fuisset e custodia, sed tamquam qui surrexisset e mortuis, eum magno stupore aspexissent; & fuissent ineffabili voluptate repleti, & alia faciebant, & dicebant, quæ anima quæ talem vidisset, faceret & diceret; & quemadmodum ei tamquam jam mortuo fecerant, justa quæ fiunt mortuis; & cum eum docuissent, quinam essent ii dies, nempe dies Sanctorum Theophaniorum, & dies salutaris Paschæ, & dies Sanctæ Pentecostes. Hæc cum ille audisset, & in memoriam revocasset, parentibus affirmabat, quod iis ipsis diebus relaxabatur a vinculis adventu cujusdam, qui gestabat lampadem, & fruebatur omni securitate; diebus autem sequentibus tenebatur vinculis, sicut prius.* Hæc Leontius in vita Joannis Eleemosynarii.

Leon. in vita S. Joan. Eleemosy.

12. Pa-

12. Parisiensis synodus, hoc anno celebrata est, qua Episcopi octoginta circiter adfuerunt, eosque Clothario Francorum Rege suadente convenisse, ex Præfatione scimus, qua hæc testantur. *Cum in Dei nomine secundum priscorum sanctorum Patrum constitutionem in urbe Parisios, ex evocatione Gloriosissimi Principis Domni Glothacarii Regis in synodali concilio convenissemus, tam pro renovandis antiquorum canonum statutis, quæ præsentis temporis necessarium facit opportunitas iterari, quam his quæ ad surgentes undecumque querelarum materias recentis definitionis ordo popofcit institui, tractantes quid Principis, quid saluti populi utilius competeret, vel quid ecclesiasticus ordo salubriter observaret.* Hactenus Patres ejusdem concilii. Post synodum Rex Clotharius constitutionem edidit, qua eam confirmavit, canonumque observantiam præcepit, ingenue profitens. *Felicitatem Regni succrescere sine dubio, si quæ in Regno nostro, Deo propitio bene acta, statuta atque decreta sunt, inviolabiliter nostro studuerimus tempore custodire, & quæ contra rationis ordinem acta, vel ordinata sunt, ne in antea, quod avertat divinitas, contingant dispofuerimus, Christo Præsule per hujus edicti nostri tenorem generaliter emendare: ideoque definitionis nostræ est, ut canonum statuta in omnibus conserventur &c.* Data est sub die XV. Kalend. Novembris anno 31. Regni nostri Parisiis, idest currenti anno 614.

Parisiensis synodus celebratur.

Constitutio Regia.

13. Quindecim supersunt hujus synodi canones; licet plures in ea editos fuisse constet, ex ejusdem Clotharii Regis edicto. Canonum hujus synodi summa hæc est. Primo: Ut canonum statuta ab omnibus observarentur, ac ut Episcopus a Clero, & populo civitatis eligatur, & a Metropolitano cum Provincialibus suis ordinetur, absque ullo commodo, aut datione pœcuniæ, aliter ordinatio facta irrita erit. Secundo, ut nullus Episcoporum se vivente successorem eligat, ne vivente Episcopo alius illi subrogetur, nisi cum infirmitate mentis, vel corporis urgente inceptus, & incapax regimine redditur. 3. Clericus ad Principum, vel ad personas potentes, contempto Episcopo, non confugiat. 4. Nullus judicum Presbyterum, Diaconum, vel clericum sine consensu Episcopi damnare præsumat; si fecerit donec errorem correxerit, ab ecclesia excludatur. 5. Liberti a Sa-

Canones 15. Synodi Paris. de electionibus Episcoporum.

cerdotibus defendantur, ne injuriam patiantur. 6. Quæcumque pro sartis tectis ecclesiis fuerint relicta, Episcopis, vel presbyteris tradantur, si quis abstulerit aliquid, ab ecclesia, quousque ablata restituerit, ejiciatur. 7. Defuncto Episcopo, Presbytero Diacono, vel clerico inferiori, per Archidiaconum, vel alium ex clero res defuncti conserventur, quousque cognoscatur, an testamentum, aut qualem obligationem fecerit. 8. Deficiente Abbate, Presbytero, vel alio ex his, qui per titulos deserviunt, neque Episcopus, aut Archidiaconus exinde aliquid auferre præsumat, sed in loco ubi moriens inserviebat, res ejus perseverent. 9. Ne quis Episcoporum in alterius Diœcesi, sub quocumque prætextu res ecclesiæ, Clericorum, aut secularium invadat. 10. Donationes, legata ab Episcopis, Clericis ecclesiæ facta suum sortiantur effectum, etsi juris solemnitates in testamento defecerint. 11. Si Episcopus cum Coepiscopo negotium habuerit, ad Metropolitani judicium recurrat. Si spreto Metropolitano, vel reliquis comprovincialibus, judicem publicum adierit, tandiu a charitate Metropolitani habeatur extraneus, quandiu in proxima synodo, facti sui rationem reddiderit. 12. Si quis monachus, aut monacha, post susceptam religiosam conversationem, de Congregatione se subtraxerint, & moniti ab Episcopo ad septa monasterii redire distulerint, usque ad obitum a communione excludantur, 13. Viduæ, vel puellæ, quæ in propriis domibus, sibi vestes in habitu religionis per seipsas, vel per parentes mutaverint, & postea ad conjugia transierint, tandiu utrique habeantur a communione suspensi, quousque quod illicite perpetraverint, emendent. 14. Incestæ conjunctiones ab omni christianorum populo tollantur, itaut si quis relictam fratris, sororem uxoris, privignam, consobrinam, sobrinam, vel relictam item patrui, aut avunculi, vel in religionis habitu dicatam, conjugii crediderit consortio violandam, tamdiu a communionis gratia segregetur, quamdiu ab illicitis conjunctionibus se sequestraverit. 15. Ut nullus Judæorum qualemcumque militiam, aut actionem publicam super christianos, aut petere a Principe, aut agere præsumat. Hactenus Parisienses canones, quos edicto suo Rex Clotharius, his verbis confirmavit. *Quicumque vero hanc deliberationem, quam cum Pontificibus, vel tam magnis viris optimatibus,* *aut*

aut fidelibus nostris in synodali concilio instituimus, temerare præsumpserit; in ipsum capitali sententia judicetur; qualiter alii non debeant similia perpetrare. Quam auctoritatem, vel edictum perpetuis temporibus valiturum, manus nostræ subscriptionibus decrevimus roborandum, Hamingus Clothacarius in Christi nomine Rex hanc definitionem subscripsi. Data sub die XV. Kal.] Novemb. anno 31. Regni nostri Parisiis.

JESU CHRISTI AN. 615. DEUSDEDIT PAPÆ I.
HERACLII IMP. 6. AGILULPHI REGIS LONGOB. 26.

Bonifacii quarti obitus.

1. Insequenti anno decimoquinto supra sexcentesimum, Bonifacius Papa 4. moritur, cum sedisset annos sex, menses octo, dies tredecim, ut habet Anastasius, aliique cathalogi; Confirmantur hæc de duratione ejus sedis ex epitaphio a Baronio, aliisque recentioribus ex Manlio relato, in quo sic legitur: *Hic requiescit Bonifacius junior, qui sedit annos sex, menses octo, dies duodecim, depositus est VIII. idus Maii, Imperante Domino Heraclio anno ejus quinto*. Ibi dies tantum duodecim supra menses octo numerat, quia scilicet diem emortualem excludit. Plerique Codices Anastasii, & catalogi tradunt Bonifacium IV., dies 25. Maii, apud S. Petrum esse depositum, quæ dies de aliqua translatione intelligi potest, ita ut die octava in Lateranensi Basilica sit sepultus, & die 25. ejusdem mensis ad S. Petrum translatus fuerit. Aliam Bonifacii IV. sepulchralem inscriptionem ex eodem Manlio, quam & Romanus canonicus exhibet, qui sub Eugenio tertio scribebat, quatuorque seculis Manlium præcessit, referunt Baronius, aliique, in qua de Pantheon dedicatione ab eodem Pontifice, facta sermo fit hoc modo.

Gregorio, quartus jacet hic Bonifacius almus.
Hujus qui sedis fuit æquus rector, & ædis.
Tempore qui Phocæ cernens templum fore Romæ,
Delubra cunctorum fuerant quæ Demoniorum,
Hoc expurgavit, Sanctis, cunctisque dicavit.
Cujus Natalis solemnia qui celebratis,
Primis Septembris, fert hæc lux quarta Kalendis.

Hæc

JESU CHR. AN. 615.

Hæc dies quarta a primis Kalendis Septembris, de qua in ultimis versibus fit mentio, neque ad diem mortis Bonifacii IV., qui fuit septima Maii, neque ad diem ordinationis ejus (natalis nomine sæpe expressæ) quæ fuit 25. Augusti, referri potest; sed potius ad aliquam posteriorem reliquiarum translationem factam fortasse sub Bonifacio VIII., ut suspicatur Pagius.

Deusdedit ordinatur Pontifex.

2. Post mortem Bonifacii quarti vacavit sedes menses quinque, dies duodecim, & die decimanona Octobris ordinatus est, *Deusdedit natione Romanus, ex Patre Stephano subdiacono*. Fuit autem Deusdedit summæ pietatis, ac prudentiæ vir qui naviculam Petri inter procellas, sapientissime gubernavit; ut ex dicendis infra constabit.

Ravennatenses Joannem Exarchum occidunt, & Joannes Consinus Neapolim occupat.

3. Cum adhuc inter Græcos, & Longobardos pax in Italia vigeret, Ravennatenses adversus Joannem Exarchum, ob graviora tributa exacerbati rebellantes, eum occiderunt. Eodemque tempore Joannes alter Campinus dictus, sive Consinus, ex Oppido Consa prope Neapolim, manu militum collecta, adversus Heraclium rebellans, Neapolitanum Ducatum, cum ipsa urbe occupavit; Heraclius vero Imperator, etsi Persico bello undique premeretur, Eleutherum tamen in Italiam misit, ut Ravennates, & Neapolitanos cum Joanne Consino castigaret, ac in officio contineret. Quod sane eidem feliciter cessit, nam sicuti, post Paulum Diaconum, in vita Deusdedit Pontificis adnotat Anastasius. *Eodem tempore veniens Eleutherus Patricius, & cubicularius Ravennam, occidit omnes, qui in nece Joannis Exarchi judicis Reipublicæ fuerant mixti. Hinc venit Romam, & susceptus est a Sanctissimo Deusdedit Papa optime. Qui egressus de Roma venit Neapolim, quæ tenebatur a Joanne Compsino Intarta. Qui Eleutherius Patricius pugnando ingressus est Neapolim, & interfecit Tyrannum, reversusque est Ravennam, & data est Roga militibus*, idest Donativum, *& facta est pax in tota Italia*. Cum enim collapsum pene videretur Romanum Imperium Persis ubique, nullo resistente, grassantibus; qui tuendi Imperii causa in Italiam missi fuerant, ut prolabentis jam jam sibi partem vindicarent, adversus Imperatorem rebellantes, Tyranni sunt effecti, sed sua frustrati spe, perduellionis pœnas dederunt.

4. Porro

Persæ Chalcedonem occupant.

Chron. Alex. pag. 386.

4. Porro Persæ hoc anno, eousque Imperii provincias populati sunt, ut Chalcedonem pervenirent; Heraclius vero cum ad resistendum iis impar esset, legatione missa, pacem precibus petiit, quam obtinere non potuit, nam ut narrat auctor chronici Alexandrini sub indict. III. hoc scilicet anno: *Persarum Regis Exarchus, Saen vocatus, ad ipsam usque Chalcedonem, & in fines Chrysopoleos, & Meconii venit, cum in opposita civitati regione a populo conspiceretur. Donis vero ac muneribus acceptis ab Imperatore Heraclio, hac de causa navigio Chalcedonensi portui appropinquante; recessit a pollicitus si aliqui ex nostris ad Chosroem legati mitterentur, pacem futuram. Missique e nostris Legati tres, Olympius scilicet Præfectus Prætorio, Leontius Præfectus urbis, & Anastasius sanctissimæ magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter.* Qui litteras ab Heraclio ad Chosroen scriptas detulerunt, quibus pacem supplex Heraclius ab eo petebat. At Chosroes tot victoriis auctus, cum ejus superbia semper ascenderet, ut Ducem suum Saen cum Romanis de pace ineunda egisse accepit, ac ut Legatos ad se Heraclius mitteret, permisisset, in furorem actus, eo quod ad se ipsum Imperatorem Heraclium catenis vinctum non perduxisset, Ducem suum excoriari jussit; Legatos vero in carcerem misit, quos paulo post etiam occidi jussit; Unde Nicephorus in chronico. *Cum his* (tribus nempe Heraclii legatis) *Saitus abductis a Chalcedone copiis recessit, & in Persidem profectus est. Ac quamdiu iter per Romanum Imperium fecit, legatos omni honore, ac cultu prosequebatur: Simul atque vero Persarum fines attigit, ferreas catenas injiciens ad Chosroen deduxit. Qui ubi comperit Heraclium a Saito Imperatoris loco habitum, & honoratum, non ad se tumquam captivum abreptum; quod jamdudum somniabat, atque animo præceperat, vehementer in eum commotus est: ac postremo detracta pelle, & utre ex illa facto, acerba ac violenta morte damnavit. Romanorum vero legatos seorsim, quam diligentissimis custodiis habitos, miserandum in modum afflixit.* Quem hæc exitum habuerint, infra dicturi sumus.

De Arnulpho Merensi Episcopo, ejusque gestis.

5. Nunc lætiora sequantur; Clotharius adepto Francico Imperio, nil tam cordi fuit, quam pietatem colere, ac sanctos viros, eorumque consiliis uti. Inter plurimos Arnulphus Merensis Episcopus eminebat; quem tanti faciebat Clo-

JESU CHR. AN. 615.

Clotharius, ut eo inconsulto vix quidquam ageret, quem sæpe diu noctuque cum uxore sua conveniebat; Unde famæ ejus detrahendi, ex aulicis quidam occasionem sumpserunt; ut vitæ auctor narrat, his verbis. *Quidam scelestus homo, nomine Notto, ausus est irrogare cum complicibus suis Episcopo sancto injuriam, asserens scilicet eum non esse cultorem Dei, sed potius hominem deditum voluptati, ad cujus lectum nocturnis horis, non solum Rex, verum etiam Regina, tamquam consilium flagitantes interdum properarent*. Quam citò divina ira calumniatorem invaserit, deinde addit. *Cum ergo vir ille die quadam, alvo referto vino, una cum detrahente socio suo strata petisset, jubente Domino, omnia vestimenta illorum vallantur undique flamma. Quibus illico cum ingenti clamore prosilientibus, & aquam circa nates, ac genitalia loca, ubi camisiæ illorum acerrime cremiabantur, injicientibus, nec omnino flammam divinitus missam extinguere valentibus, tandem ad instar porcorum luto volutabri sese pariter involvunt, & ibi diu vociferantes, vix ad ultimum pœnam, quam merito patiebantur; evaserunt*. Nec multo post hujus detractionis auctor, videlicet Notto, in hujusmodi criminibus apud Regem accusatus, una cum filio capite truncatus est. Quam magna vero Arnulphi charitas, & vigilantia in pauperibus sublevandis esset, hoc uno exemplo constabit. Cum omnes thesauros ecclesiæ pauperum erogasset, discus tantum argenteus librarum 72. supererat. *Quem Hugo primus procerum dato pretio comparavit. Sed Omnipotens Deus non passus est, ut laicus illo frueretur, qui in honorem beati Stephani Protomartyris, olim consecratus habebatur. Prædicto siquidem Hugone prepeti morte prostrato, discus ille Clothario Regi allatus est: qui cum, referentibus quibusdam, comperisset, hunc a Beato Arnulpho ob alimoniam pauperum venundatum fuisse, mox tamquam cœlitus inspiratus, jubet eum velociter, superpositis centum aureis ad Metensem Civitatem Sancto Pontifici deferri*. Hactenus vitæ auctor coevus quidem etsi ignotus, quem Jonam fuisse Baronius scribit. His addit Arnulphum, post annos aliquot, solitudinis desiderio captum, Episcopatus sarcinam abjecisse; quem Clotharii, aut Dogoberti ejus filii preces, & minæ ab eo proposito revocare nequaquam potuerunt, ut ibidem videre est: At hæc post annum 625., quo concilio Rhemensi Arnulphus subscriptus legitur, contigerunt.

Divina ultio in detractores Arnulphi Episc.

6. Ilo-

6. Eodemque tempore S. Lupus Senonensis Episcopus florebat, qui nobilibus parentibus Aureliæ ortus, Bettone, scilicet, & Austregilda, Arthemio Senonensi Episcopo, anno 609. successerat. Is mortuo Theodorico, Sigeberti ejus filii partes secutus fuerat, ac solo campanæ sonitu Clotharii milites in fugam verterat, ut auctor vitæ ejus his verbis narrat. *Mortuo Theodorico Principe, Rex Clotharius Burgundiam veniens, hostili manu armatum Dlidebonem Ducem misit in Senones. Illo ergo tela atrociter in oppidum vibrante, Sanctus Episcopus in Domino fidens, ad protomartyris Stephani ædem se contulit; cumque ad convocandum populum signum ecclesiæ tangeret, viribus hostes destituit, tantoque sunt terrore correpti, ut nullam sibi salutis spem superesse putarent, nisi fuga sibi consulerent. Ita vir Sanctissimus, dum instar Moysi ad Cælum tollit manus, hostes profligat.* Hæc ibi. Quid autem esset signum illud ad convocandum populum, non multo post indicat, ac Campanam seu magnum tintinnabulum fuisse scimus. Nam subdit: *Clotharius Rex ubi comperit signum, vel campanam S. Stephani sonum edere gratissimum, jussit eam Parisios transferri, ut ejus tinnitu sæpius oblectaretur. Displicuit ea res Beato Episcopo. Itaque mox ut ablata est a Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens, ocius jubet suo illam loco restitui.*

Jesu Chr. an. 615. S. Lupus Senonensis Episcopus.

7. Postquam vero Clotharius Burgundiam obtinuit, Darulphi Ducis opera, & Medegesilii, qui S. Remigii monasterium in suburbio tenebat, quique Sancti viri locum occupare conabatur, in exilium a Clothario S. Lupus ejectus est, in eum fortasse infensus, quod Sigeberti partes secutus fuerat. *Clotharius Rex commotus Beatum Antistitem jubet exulare Vinemagi, qui est Neustriæ pagus. Traditus est autem Duci pagano Bonoso Landegysilo, qui eum relegavit in villam Andesaginam ad flumen Auciam, ubi erant templa prophana, quæ a Decurionibus colebantur. Ad eum locum ubi pervenit vir Dei . . . . in Domino gaudebat, sentiens se a Deo missum ad populum incredulum recte instituendum. Cum enim cæcum quemdam illic illuminasset, superbum illum quem diximus Ducem, Sanctæ Crucis signo subdidit, undisque salutaribus expiavit: permultos quoque e Francorum exercitu, qui etiamnum gentilismi erroribus tenebantur sacro baptismo illuminavit.* At Senonenses cives, pastoris sui absentiam ægre fer-

S. Lupus in exilio ethnicos ad Christi fidem convertit.

S. Lupus ab exilio revocatur.

JESU CHR. AN. 615.

ferentes, ac in Medegesilum, qui malis artibus eumdem exulare coegerat, ira accensi, interfecerunt, legatosque Ragnegisilum Senonensis ecclesiæ Archidiaconum, una cum Veinibauda Abbate, qui in Tricassina civitate florebat ad Regem miserunt, rogantes suum sibi reddi Pastorem, quorum precibus annuens Rex, ab exilio Lupus revocatur, ac Regi ipso sistitur. *Lætatur Rex, & Proceres omnes gratulantur tanti Antistitis præsentia, contemplatusque eum Rex, pietate flexus, ad pedes ejus humi prosternitur, veniamque ab illo deprecatur, &c.* ac munera ecclesiis suis obtulit, ac ut in ecclesiam suam rediret permisit. Lupus vero suæ restitutus sedi, eam ecclesiam moribus, ac miraculis illustravit usque ad annum sexcentesimum vigesimum sextum, quo in Cœlum abiit. Hæc, & alia quamplurima narrantur, ab ejus vitæ auctore, quam exhibet Surius etsi elegantiori stylo redditam.

Faro Meldensis Episcopus floret. *Surius 28. Octob. Mabil. Acta Ord. Bened. secul. 2. part. 2. pag. 610.*

8. Eodem tempore alii plurimi in Galliis, doctrina & pietate viri florebant, apud Clotharium in maxima veneratione habiti, ex his Faro Meldensis Episcopus recensetur, cujus vitam post Surium ampliorem exhibet Mabillonius. Is porro nobilibus parentibus ortus, grandior factus, aula relicta, contemptisque Mundi vanitatibus, totus se Deo dicavit, ac Meldensis postea Episcopus ordinatus, annis plurimis eam ecclesiam administravit, ut ibidem videre est, longius quippe, latiusque stylus noster excurreret, si Sanctorum gesta, in compendium etiam redacta, exponenda essent.

De Campanarum antiquitate & usu.

9. Hoc unum adnotare non injucundum fortasse lectoribus erit, quod cum in Lupi Senonensis Episcopi vita, Campanarum mentio occurrat, si de earumdem antiquitate, & usu nonnulla adnotaverimus. Harum in ecclesiis christianis usum ad convocandum in ecclesias populum, a Sancto Paulino Nolano in Campania Episcopo introductum fuisse quamplurimi tradiderunt; hinc eas ex Campania Campanas dictas fuisse, latinæ etiam Nolas, ex Nolæ oppido addunt. Incerta tamen hæc sunt, cum nullum apud eos, qui de vita, gestisque S. Paulini Nolani scripserunt, de Nolæ aut Campanæ usu, aut inventione vestigium occurrat; Non defuerunt, qui Nolæ seu Campanæ in ecclesiis usum, a Sabiniano Pontifice, qui Sancto Gregorio Magno anno 604. suc-

fuccefferat, invectum fuisse scripserint; Polidorus Virgilius de rerum inventione libro quarto, Panvinius in Epitome Rom. Pontificum, Giaconius in vitis Rom. Pontificum, cujus hæc sunt verba. *Quod tintinnabulorum sono populus invitatur, vocaturque ad sacra audienda statis diei horis, Sabiniani, qui Gregorio successit, hoc decretum est.* Antiquiorem tamen Sabiniano Pontifice, in ecclesiis Nolæ, seu Campanæ usum fuisse, eruditorum turba jam convenit. Et sane earumdem non semel memoria occurrit, apud Gregorium Turonensem, qui ante Sabinianum Pontificem, labente seculo sexto, circa annum 595. obiit: Ex multis locis in vita S. Martini libro tertio capite 23. hæc leguntur. *Interea signum movetur horis matutinis, aggregatur & populus &c.* Eodem incunte seculo sexto circa medium, ac ante S. Gregorii, & Sabiniani Papæ tempora, Nolarum, seu Campanarum mentio fit in vita Sancti Columbæ Ibernensis, a Colombano Ibernensi, postea Bobiensi Abbate distincti, quam in Annalibus Benedictinis vulgavit Mabillonius; ubi capite 22. hæc narrantur. *Media nocte pulsante campana, festinus surgens, ad ecclesiam pergit*, & iterum capite 25. *Quadam die Sanctus Dei ministro suo, campanam subito pulsare præcepit, cujus sonitu fratres incitati, ecclesiam protinus sunt ingressi.* In incerto itaque sit tempus, cum primum fideles ad ecclesiam Campanæ, aut Nolæ sonitu vocati sunt. Constat tamen nono vertente seculo apud Occidentales, ubique Campanarum sonitu invitatos fuisse, nam tardius fortasse Orientalis ecclesia earum usum adoptavit. Hinc in chronico Danduli, apud Muratorium tomo 12. scriptorum rerum Italicarum, legitur, quod Ursus, seu Urso Partecipatius Venetiarum Dux ad Basilium Imperatorem duodecim Campanas mira arte elaboratas, & sonitu præclaras miserit; quod sane demonstrat CPoli tunc temporis, earum usum nondum, aut vix cognitum fuisse. Qua ratione autem primis ecclesiæ sæculis, tum pacis, cum persequtionis tempore, Diaconorum, Clericorumque officio ad ecclesiam convocarentur fideles, aut tabulis ligneis, ut in diebus passionis adhuc servatur, aut tubis corneis, vel fictilibus ære, vel argento, apud Edmundum Martene in eruditissimo opere de antiqua ecclesiæ disciplina capite secundo plura videri possunt: quæ instituti nostri ratio exponere non permittit. Atque in eam rem hactenus dicta sufficiant.

Murat. rerum Ital. tom. 12. pag. 187.

O o 2 10. An-

Jesu Chr. an. 615.

De synodo incerti loci post Parisiensem.

10. Antequam Gallia excedamus, dicendum restat de synodo incerti loci, & incerti anni, quam constat non longe a Parisiensi, de qua anno proximo egimus, celebratam fuisse, ut sequens canon indicat his conceptus verbis; *Ut constitutiones illæ, quæ Parisios sunt decretatæ, hoc est, tam a Domnis Sacerdotibus, quam a Domino Clothacario Rege, juxta priscas Patrum constitutiones, in omnibus conserventur, quia in nullo fidei Catholicæ, vel Ecclesiasticæ Regulæ contrariæ sint inventæ.* Cæteri deinde sequuntur. II. Ut altaria alibi consecrari non debeant, nisi in his tantum Ecclesiis, ubi corpora sepulta non sint. Canon Tertius deest. Quartus. Ut Monachi juxta regulam vivant, nec sequestrati per cellas habitent vel convivant, & peculiare nil habeant &c. V. Ut intra septa monasterii non baptizetur, nec Missæ Defunctorum sæcularium celebrentur, vel sæcularium corpora ibidem sepeliantur. Desunt Canones sextus, & septimus. VIII. Illud specialiter decernimus, ut nullus Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus, vel Clericatus honore munitus mulierem in domo sua habeat, præter matrem, sororem, & amitam. &c. IX. Eos qui ad Ecclesiam confugiunt, nullus ab Ecclesia violenter extrahat, nec confugiendi jus in Ecclesiam impediat. Deest Canon decimus. XI. Ut Abbates, & Archipresbyteri, absque culpa de Ecclesiastico ministerio removeri non debeant, nec per præmia Abbas, vel Archipresbyter eligatur. XII. Presbyteri, vel Diaconi, nulla ratione nubere præsumant. Quod si præsumpserint, ab Ecclesia sequestrentur. XIII. De excommunicatis placuit, si quis pro crimine suo ab Episcopo, vel Presbytero fuerit communione privatus, Episcopus vel Presbyter, & facinus excommunicati, & privationem communionis vicinis civitatibus, vel parœciis studeant indicare. Quod si quis ad ejus postquam notitiam venerit, usque audientiam cum ipso communicare præsumpserit, biennio communione privatus ab Ecclesia sequestretur. XIV. De ingenuis, qui se pro pecunia, aut alia re vendiderint, vel oppigneraverint, placuit, ut quandoquidem pretium, quantum pro ipsis datum est, invenire potuerint, absque dilatione ad statum suæ conditionis, reddito pretio redeant, nec amplius quam pro eis datum est requiratur; Et interim, si vir ex ipsis uxorem ingenuam habuerit, aut mulier ingenuum habuerit maritum, filii,

filii, qui ex ipsis nati fuerint, in ingenuitate permaneant. XV. Si quis Christianorum diœcesim, quæ ab anterioribus Episcopi. Cetera autem desunt.

Concilium Egarense.

11. In Hispania etiam, hoc anno Episcopi provinciæ Tarraconensis, Præside Eusebio Metropolita, una cum aliis undecim Episcopis, Egarae convenientes, constitutionem in concilio Oscensi anno 13. Regni Reccaredi vulgatam, comfirmarunt: ut scilicet quidquid de castimonia presbyterorum, & clericorum statutum fuerat, auxiliante Domino custodiretur. In festo autem Epiphaniæ hoc concilium celebratum fuit die idus Januarias, anno tertio Sisebuti Regis. Egara autem sita erat inter Barcinonem, Gerumdam, & Ausonam, ut ostendunt Baluzius, & Marca.

Baluz. dissert. de Episcopi Egariensi. Marca lib. 2. Marcæ Hisp.

Judæi inviti non sunt baptizandi.

12. Hoc quoque anno Sisebutus Rex Judæos fidem amplecti jussit; ut his verbis narrat Isidorus in chronico: *Sisebutus Gothorum Rex, quasdam ejusdem Romanæ militiæ urbes cœpit, & Judæos Regni sui subditos ad Christi fidem convertit.* Sed vi adhibita, ut legitur in canone quinquagesimo septimo concilii quarti Toletani. *Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi. Qui autem jampridem ad Christianitatem venire coacti sunt (sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti), quia jam constat eos esse sacramentis divinis associatos esse, & baptismi gratiam accepisse, & chrismate unctos esse, & Corporis Domini, & Sanguinis extitisse participes: oportet ut fidem etiam, quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur. &c.* Quamnam vim ipse Rex adhibuerit, ut Judæi ad fidem converterentur, lex ab eo de his data significat, quæ sic se habet: *Cum veritas ipsa petere, & pulsare nos doceat, præmonens quod regnum Cælorum vim patitur: in nullo est dubium, quod illæ indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non festinat. Proinde si quis Judæorum, de his scilicet qui nondum sunt baptizati, aut se baptizare distulerit, aut filios suos, vel famulos suos nullo modo ad sacerdotes baptizandos remiserit, vel se suosque de baptismo subtraxerit, & vel unius anni spatium, post legem hanc editam quispiam illorum sine gratia baptismi transierit: horum omnium transgressor, quisque ille repertus fuerit, & centum flagella decalvatus suscipiat, & debita multetur exilii pœna; res tamen*

Lex Sisebuti de Judæorum baptismate.

JESU CHR. AN. 616. *men ejus ad Principis potestatem pertineat, qualiter si incorrigibilem durior eum custodierit vita, perpetua in ejus, cui Princeps largiri voluerit, potestate permaneant.* Hactenus lex. Ado autem Viennensis addit, baptismum renuentes in Gallias transiisse. Sed ibidem quoque ab Dagoberto Rege filio Clotharii ad fidem coactos, vel Regno ejectos fuisse.

JESU CHRISTI AN. 616. DEUSDEDIT PAPÆ 2.
HERACLII IMP. 7. ADOLOALDI LONGOB. REGIS AN. 1.

Persæ Ægyptum depopulantur. *Theoph. in chronog. pag. 252.*

1. Annus adest decimus sextus supra sexcentesimum, quo Persarum exercitus vastissimas Imperii provincias populati sunt magis quam potiti, nam ingenti adepta præda ad sua redierunt; ut Theophanes 6o7. æræ Alex., qui Kal. Septemb. superioris anni exorditur, narrat. *Hoc anno Persæ Ægyptum, & Alexandriam, & Lybiam, adusque fines Æthiopiæ subegerunt: & collecta captivorum multitudine, spoliis etiam amplissimis, & pecuniarum vi asportata, suas in provincias redierunt*: De hac Persarum irruptione in Ægyptum mentio fit a Leontio in vita Joannis Eleemosynarii, ac de ejusdem fuga in Cyprum agit, ubi hoc anno mortuus est, ut infra dicemus; hanc enim cladem Alexandrinæ urbi imminere, ac sibi diem ultimum instare vir sanctus prædixerat. Inter plurima memoria digna sunt, quæ hoc tempore in pauperum necessitatibus sublevandis idem egit, hæc narrat, quod cum frumenti ac pecuniæ penuria laboraret, maximam pecuniæ, ac frumenti copiam sibi oblatam a clerico bigamo recusavit; cum eam ea conditione obtulisset, ut ei Diaconatus officium conferret. Meminisse juvat S. Gregorium questum fuisse apud Eulogium Alexandrinum Episcopum, de simoniaca labe Alexandriæ grassante, is ergo unus erat ex iis, qui per fraudem, & simoniam septa Ecclesiæ invadere tentabat, sed in Petri imitatorem incidit, qui velut alterum Simonem, una cum pœcunia sua eum repulit, ut ibidem pluribus refert Leontius. Interea vix simoniacum clericum dimiserat, cum nunciatum est ei, duas ex Sicilia naves Alexandriam pervenisse, cum maxima frumenti quantitate, quam pauperibus cito distribui jussit, ut in ejus vita idem narrat auctor.

Joannis Eleemosynarii sollicitudo in sublevandis pauperibus.

2. De

2. De ejusdem autem obitu, hæc deinde adnotat. *Quando permittente Deo pro peccatis nostris futurum erat, ut traderetur Alexandria Persis, reminiscens pastor dicentis: Cum persecuti vos fuerint in civitate ista, fugite in aliam; fugam arripuit in propriam patriam, videlicet in Cyprum, in civitatem suam.* Ei quidem Patricius Niceta, ut CPolim ad Imperatorem pergeret, persuaserat: at admonitus dum iter ageret, ultimum sibi diem instare, ut in Cyprum deferretur, obtinuit; quo cum pervenisset, gratias Deo agens, quod pauperrimus, & absque semisse moreretur; die undecima Novembris ad Deum abiit, cujus memoria die 23. Januarii, ob ejus ordinationem, Martyrologio Romano recolitur.

JESU CHR. AN. 616. Joann. Eleemos. fuga, & obitus.

3. Joannis Eleemosynarii vitam, post Joannem Moschum, Sophronius, Leontius Neapoleos in Cypro Episcopus scripserunt, quam paucis mutatis transcripsit Metaphrastes. A Leontio præter vitam Joannis, orationes duæ recensentur, in tomo 2. auctuarii Græco latini, quarum prima in Sanctum Simeonem senem, qui Christum Dominum in suas ulnas excepit, altera in festum mediæ Pentecostes, in cœcum a nativitate, & in S. Petrum ab Herode in carcerem detrusum titulum præfert. At adnotat Lambecius ex MSS. Cæsareo, in pluribus emendandum esse Combefisium. Aliæ ejusdem Leontii extant homiliæ, & orationes a Synodo Nicæna 2. citatæ actione 4. De cujus scriptis vide Odinum, Caveum, Dupinium, aliosque de scriptoribus ecclesiasticis agentes.

De scriptis Leontii scriptoris vitæ S. Joannis Eleemosynarii

Lambecius lib. 4. comment. biblioth. Cæsareæ pag. 70.

4. Joanne igitur ad superos evocato, in ejus locum Georgius quidam ordinatus est, quem consobrinum Joannis defuncti fuisse, Baronius tradit, ea præcipue innixus conjectura, quod in vita Joannis, Leontius consobrinum Georgii nomine vocatum habuisse narrat; cujus occasione mitissimum animo fuisse Joannem adnotat, his verbis. *Magni Joannis consobrinus erat, nomine Georgius. Is contumelia affectus ab aliquo caupone civitatis vehementer fuerat morsus, & id ferebat gravissime. Id enim faciebat magnum, quod erat inter eos discrimen, nempe & ejus cum magno affinitas, & nimiæ sordes, & humilitas ejus qui fecerat injuriam. Accedit ergo seorsum ad B. Joannem adolescens, lacrymis & dolore cordis, quo angebatur, deplorans injuriam.* Hunc cum pa-

Georgius succedit S. Joanni in Episcop. Alex.

JESU CHR. AN. 616.

patienter audisset Patriarcha, se injuriam vindicaturum promisit; idque facturum ut tota Alexandria admiraretur; cumque his verbis consobrinum Georgium Joannes recreasset, eum serio admonuit, ut si revera consobrinum esse cuperet, injurias non solum verbis illatas, sed etiam factis, aut flagris imposterum patienter ferret, quod etiam exemplo comprobavit, dum Cauponam qui consobrinum suum injuria affecerat, maximis cumulavit beneficiis, & tributum, quod ecclesiæ debebat, remisit; ut eodem loco narrat Leontius.

De Joanne Moscho, ejus Prato spirituali, & obitu

5. De Joanne Moscho, & Sophronio, quorum consuetudine delectabatur Joannes Eleemosynarius, nonnulla adnotamus. Joannis Moschi vitæ breviarium, his verbis exhibet Photius. *In Theodosii primum monasterio seculum valere jubens, cum iis deinde monachis convixit, qui in deserto ad Jordanem exercebantur, quique nova in Laura magni Sabæ certabant. Unde rursum ad Antiochiæ regiones, & Alexandri urbem, proximamque eremum, ad Oasim usque delatus, multorum, magnorumque virorum res præclare gestas aggregavit, quas partim oculis ipse spectavit, partim recenti nunc auditione didicit: Eadem porro de causa, cum etiam Insulas, Romam versus navigans lustrasset, hisce similibus ibi quoque conquistis, & cognitis, hoc opus conscripsit, quod dedicat Sophronio discipulo suo, eidemque hoc ipsum offert, cum jam animo præciperet instare vitæ hujus in meliorem commutationem*. Joannis Moschi liber, qui Pratum spirituale dicitur, Sophronio cui inscriptus erat, etiam adscribitur, ac centum & decem novem capitibus constat, simplici ac nitido scriptus stylo, omniumque virtutum exempla continens; Romæ opus Joannes digessit, quo cum duodecim discipulis, quorum primus erat Sophronius transierat, ibique circa annum 619. vivere desiit, cujus corpus anno 620. a Sophronio, ut Joannes vivens jusserat, Hierosolymam translatum, in Cœmeterio S. Theodori depositum fuit.

De Sophronio.

6. Sophronius vero Joannis Moschi discipulus, & in peregrinatione comes, Damasci natus, multiplici eruditione, ac divinarum litterarum scientia claruit. Sophista primum, sive causarum patronus; dum adhuc in seculo viveret Joanni Moscho familiaritate utebatur, cujus vestigiis ad obitum usque adhæsit, cum quo in monasterio vixit, & Palæstinam, Ægy-

Ægyptum, & Romam usque peregrinatus est. Ambo Joanni Eleemosynario amicissimi erant, postquam vero Hierosolymam rediit, in monasterio S. Theodosii, usque ad tempus initæ pacis Heraclium inter, & Siroen Persarum Regem vixit. Deinde anno 634. Hierosolymitanam sedem obtinuit; at de ejusdem gestis contra Monotholetitas ante Episcopatum, & dum Episcopus esset, infra dicturi sumus.

Initium hæresis Monothelitarum.

7. Ad hæc autem tempora hæresis Monothelitarum, tamquam horrendum monstrum ab Inferis erupit, quæ temporis tractu aucta, Orientalem ecclesiam fere totam fœdavit, aut conturbavit, in Occidentalem quoque pedem figere tentavit, ut ex dicendis constabit. Circa hæc tempora ejusdem hæresis semina sparsa fuisse, indicat Maximus Abbas, dum respondens Pyrro CP. Episcopo Sergii successori, qui Sophronium Hierosolymorum Patriarcham, tamquam hæresim participem accusaverat, hæc habet. *Ubi erat Sophronius, quando ad Georgium cognomento Arsam Paulianistam scripsit, rogans, ut mitteret sibi auctoritates de una operatione; inseruitque epistola facere etiam se his auctoritatibus unionem ecclesiæ cum eis? Hanc autem epistolam B. Joannes Alexandrinus manu ab Arsa abstulit. Unde cum vellet eum ob ipsam deponere, impeditus tunc fuit ab incursu a Persis in Ægyptum facto.* Hac ratione S. Maximus Sophronii innocentiam tuebatur. Cum ergo hoc, & sequenti anno Ægyptum Persæ afflixerint, & Joannes (ut dictum est) mense Novembri vitam cum morte commutaverit, Monothelitarum exordium ultra hunc annum differri vix potest.

Modestus curam gerit ecclesiæ Hierosolymit.

8. Hierosolymitana ecclesia, abducto in Persidem Zaccharia Patriarcha, viduata remanserat, sed viduitatem suam vix sentiebat, gubernante eam Modesto Presbytero, tanto fidei ardore pollente, ut non ea tantum, quæ animarum salutem spectabant, summo studio velut bonus Pastor curaret; sed etiam in restituendis igne consumptis ecclesiis, (quod difficilius erat) alterum velut Zorobabelem se exhibuit. Testatur hæc Antiochus monachus in epistola ad Eusthasium, in qua de Modesto narrat. *Hæc igitur valde promptus, & alacer anuncio vobis: Modestus sanctitatis eximiæ vir (de quo non semel dictum) non eorum modo providam gerit curam sollicitus, quæ per hanc vastam eremum sparsim disjecta sunt, monasteriorum; sed & moderandæ huic civitati, ac universæ*

JESU CHR. AN. 616.

Templa restaurat.

circum finitimæ regioni solerter prospicit, Deo eidem cooperante in omnibus. Hic enim ad vivum nobis exprimit imaginem novi cujuspiam Beseleelis, aut certe Zorobabelis. Gratia etiam plenus Spiritus Sancti, templa Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ quidem barbarico igne conflagrarunt in sublime erigit; omni prorsus digna veneratione pura ædes Sanctæ Calvariæ, ac Sanctæ Resurrectionis, domum insuper dignam omni honore venerandæ Crucis, quæ Mater Ecclesiarum est, sed & Sanctæ Assumptionis ædem a fundamentis exædificat: adeout per hæc læta initia de futuris quoque spes amplissimas concipiamus, idque vel ob eos maxime: qui huc sperantur venturi ab externis regionibus, sancta hæc loca ut adorent, ut omnes in commune glorificemus Deum. De Modesto mentio fit ab auctore anonimo & coævo, qui S. Anastasii Persæ vitam scripsit, capite etenim undecimo de Modesto Presbytero, ait. *Qui eo tempore Vicarius erat Apostolici Throni*, quando Anastasius Persa baptizatus est. Præterea in epistola, quam exul scripsit Zacharias, Modestum Vicarium, sicut & ceteros fideles, sui officii admonet.

Edelberti Anglorum Regis obitus.

9. Interea Anglorum ecclesia, tam faustis auspiciis orta, atque incrementis aucta, hoc anno ob Ethelberti Anglorum Regis, obitum afflicta remansit, cum ejusdem filii, Regni quidem, pietatis tamen paternæ nequaquam hæredes fuerint, de quibus audiendus est venerabilis Beda. Itaque: *Anno ab Incarnatione Dominica sexcentesimo decimo sexto (qui est annus vigesimus primus, ex quo Augustinus Episcopus cum sociis ad prædicandum genti Anglorum missus est) Edilbertus Rex Cantuariorum post Regnum temporale, quod quinquaginta & sex annis gloriosissime tenuerat, æterna cœlestis Regni gaudia subiit*: & iterum. *Defunctus vero est Rex Edilbertus, die vigesima quarta mensis Februarii, post viginti, & unum annos acceptæ fidei, atque in porticu Sancti Martini, intra ecclesiam Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli sepultus, ubi & Bertha Regina conjux condita est.* Hæc Beda: Edilbertus ex Angliæ Regibus primus fuit, qui Christi fidem suscepit. Cujus memoria Martyrologio Romano, aliisque inscriptum legitur, ut videre est apud Henschenium. Edilberto successit filius Eadualdus, quod non sine maximo Anglicanæ ecclesiæ luctu, & periculo contigisse narrat Beda. *Post mortem Edilberti, cum filius ejus Eadualdus Regni guber-*

bernacula suscepisset, magno tenellis adhuc ibi ecclesiæ incrementis detrimento fuit. Siquidem non solum Christi fidem recipere noluerat, sed & fornicatione pollutus est tali, qualem nec inter gentes auditam Apostolus testatur; ita ut uxorem patris haberet. Quo utroque scelere occasionem dedit ad priorem vomitum revertendi iis, qui sub imperio sui parentis, vel favore, vel timore Regio, fidei & castimoniæ jura susceperant. Nec supernæ flagella districtionis perfido Regi castigando, vel corrigendo defuere: nam crebra mentis vesania, & spiritus immundi invasione premebatur.

JESU CHR. AN. 616. Anglicana ecclesia sub Aedoaldo Rege vexata

10. Graviori adhuc vulnere, Anglicana ecclesia percussa est, cum paulo post Sebertus Orientalium Saxonum in Britannia Rex obiit. Nam eodem Beda auctore: *Auxit autem procellam hujusmodi perturbationis, etiam mors Saberethi Regis Orientalium Saxonum, qui ubi regna perennia petens, tres filios suos, qui Pagani perduraverant, regni temporalis hæredes reliquit. Cœperunt illi mox Idolatriæ, quam vivente eo aliquantulum intermisisse videbantur, palam servire, subjectisque populis idola colendi liberam dare licentiam. Cumque viderent Pontificem celebratis in Ecclesia missarum solenniis Eucharistiam populo dare, dicebant (ut vulgo fertur) ad eum, Barbara inflante stultitia: quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & Patri nostro Saba (sic namque eum appellare consueverant) dabas, & populo adhuc in ecclesia dare non desistis? Quibus ille respondebat, si vultis ablui fonti illo salutari, quo pater vester ablutus est, potestis etiam panis Sancti, cui ille participabat, esse participes: Sin autem lavacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. At illi, Nolumus, inquiunt fontem illum intrare: quia nec illo opus non habere novimus, sed tamen pane illo refici volumus. Cumque diligenter ac sæpe ab illo essent admoniti, nequaquam fieri posse, ut absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicet, ad ultimum furore commoti ajebant: Si non vis assentire nobis in tam facili causa, quam petimus, non poteris jam in nostra provincia demorari. Et expulerunt eum, ac de suo regno cum suis abire jusserunt. Qui expulsus inde, venit Cantium tractaturus cum Laurentio, & Justo Coepiscopis, quid in his esset agendum. Decretumque est communi consilio, quia satius esset, ut omnes in patriam redeuntes, libera ibi mente Domino deservirent,*

Post Sabereti Regis obitum Anglicana ecclesia pene collabitur.

 quam

JESU CHR. AN. 616.

quam inter rebelles fidei Barbaros, sine fructu residerent. Discessere itaque primo Mellitus ac Justus, usque ad partes Galliae secessere, ibi rerum finem expectare disponentes. Sed non multo tempore Reges, qui praeconem a se veritatis expulerant, daemonicis cultibus impune serviebant. Nam egressi contra gentem Genissorum in praelium, omnes pariter cum sua militia corruerunt: nec sic (licet auctoribus perditis) excitatum ad scelera vulgus potuit corrigi, atque ad simplicitatem fidei, & charitatis, quae est in Christo, revocari. Tunc in Anglia, cujus nomine septem Regna in Britannia ab Anglis, & Saxonibus instituta comprehenduntur, tres tantum Pontifices erant, scilicet, Laurentius Archiepiscopus Dorovernensis, Mellitus Episcopus Londoniensis, & Justus Episcopus Rhosensis, nam christiana fides in duobus tantum Regnis radices hactenus fixerat, in Cantio scilicet, & in Orientali Saxonia sub praenominatis Regibus Edilberto, & Saberetho, atque in duas Dioeceses Cantii Regnum distinctum erat, quas Laurentius, & Justus administrabant, in Orientali Saxonia sub Saberetho Rege Mellitus: Hi fuerunt primi in Anglicana ecclesia, post Augustinum christianae fidei satores, ex quibus postea in cetera Regna propagata est fides christiana, ut infra dicturi sumus.

Agilulphus Longob. Rex moritur

Paul. Diac. lib. 4. c. 43.

11. Hoc quoque anno Agilulphus Longobardorum Rex vivere desiit postquam regnasset annis 25. & mensibus aliquot, relicto Regno Adoaldo filio sub Theodolindae matris tutela. Unde Paulus Diaconus. *Igitur Agilulphus Rex, qui & Ago est appellatus, postquam viginti & quinque annos regnaverat, diem clausit extremum, relicto in Regno filio suo Adoaldo admodum puero cum Theodolinda Matre: sub his ecclesiae restauratae sunt, & multae dationes per loca venerabilia largitae.* Inter cetera, celeberrimum Moduetiae Templum in honorem S. Joannis Baptistae aedificatum fuit, de quo idem Paulus haec narrat. *Per idem quoque tempus Theodolenda Regina basilicam Beati Joannis Baptistae, quam in Modicia construxerat, qui locus supra Mediolanum duodecim millibus abest, dedicavit, multisque ornamentis auri, argentique decoravit, praediisque sufficienter ditavit.* Haec ibi. Agilulphi mortem alii anno superiori referunt, ut videre est apud Muratorium anno 615., alii currenti anno, ut Baronius, Pagius, aliique.

Agilulphi & Theodolindae in loca sancta liberalitas.

Paul. Diac. lib. 4. c. 22.

J E-

JESU CHRISTI AN. 617. DEUSDEDIT PAPÆ 3.
HERACLII IMP. 8. ADOLOALDI LONGOB. REGIS 2.

Luctuosus status Imp. Orientalis.

1. Annus sexcentesimus decimus septimus Orientali Imperio luctuosissimus fuit, tum ob bellum Persicum, quod adversa semper fortuna jamdiu sustinebat, cum ob victus penuriam, ac pestem inde secutam, eo quod Persæ Ægyptum unde in regiam urbem frumenta vehebantur occupassent, de quibus hæc narrat Nicephorus. *Accedebat, & famis acerbitas, quæ sub idem tempus Imperium Romanum invasit, cum nihil amplius frumenti ex Ægypto subveheretur: ex quo Imperatoriæ annonæ magna ex parte suppressæ sunt. Sed & pestilens morbus tota urbe grassatus, magnam civium multitudinem absumpsit. Quibus ex incommodis Imperator summum in mœrorem, ac desperationem redactus est. Jamque migrare in Africa cogitabat, & magnam opum vim, aurique & argenti copiam, ac gemmarum eo præmiserat. Quarum rerum haud exigua pars cum jam appelleret, ingenti coorta tempestate naufragio periit. Hæc cum cives animadvertissent, quoad in ipsis situm erat, impediebant. Ac demum Patriarcha Imperatorem ad templum vocans, jurisjurandi religione obstrinxit, non se ab urbe regia discessurum. Quibus ille cedens, tametsi præsentibus miseriis ingemisceret, eorum tamen voluntati vel invitus paruit.*

Agrestinus monachus in schisma labitur.

2. Cum hoc tempore Luxoviensis monasterii præfecturam gereret Eustasius Sancti Colombani discipulus, & successor, graves adversus eum, & adversus Colombani regulam querelas excitavit Agrestinus ejusdem monasterii monachus. Quis porro Agrestinus esset, quotve non solum in Luxoviensi monasterio, sed in Bobiensi quoque dissidia excitaverit; ac Aquilejensis etiam ecclesiæ schisma propagare tentaverit, Jonas in vita S. Eusthasii pluribus persequitur, ac primo narrat Agrestinum ex Notario Theodorici Regis inter Luxovienses monachos a Beato Colombano receptum, paulopost ab eo petiisse, ut ad prædicandum gentibus evangelium mitteretur, quod etsi, utpote in doctrina rudi, nec in bonis operibus, aut christianis virtutibus instructo negatum esset, nihilominus cum, Colombani consilio non aquiesceret, propter inportunitatem tamdem dimissus est; Quare in Bojariorum regio-

Jesu Chr. an. 617.

regionem transiens, ibidem aliquanto tempore subſtitit; At cum nullum inde fructum colligeret, Æquilejam transiit; ibique cum ſchiſmaticis non ſolum ſociatus eſt, ſed alios etiam in eamdem prævaricationem trhaere conatus eſt. Quamobrem epiſtolam: *Ad beatum Attalam Bobienſis cœnobii patrem per Aureum Adaluvaldi Regis Longobardorum Notarium dirigit. Quam epiſtolam beatus Attala perlectam, & ridiculo habitam, mihi tradidit ſervandum: quam ego etiam per multorum ſpatia annorum abditam penes me habui, & poſtea mea negligentia perdidi: nec alias utique quilibet eam, ſed ipſe proprio ſtylo ſcripſit.*

Fugatus Agreſtinus novum bellum excitat.

3. *Directa itaque ad beatum Attalam epiſtola, ipſe ad Luxovium properat: Euſtaſium ſchiſmatis aculeis tentat, ſi ſanam mentem ſua veſania corrumpere queat.* At Euſtaſius paternis eum admonitionibus increpans, ut reſcipiſceret, hortatus eſt. Cumque in ſchiſmate obſtinatum vidiſſet, ne ceteros inſania ſua inficeret, e monaſterio abire coegit. Repulſam itaque undique paſſus, & ab Euſtaſio ejectus, novum adverſus Luxovienſes monachos bellum inſtauravit, ac adverſus Regulam B. Colombani, quam ſequebantur, garrire cœpit, & annuente ſibi Abelleno Genuenſi Epiſcopo, ſeu potius Geabennenſi, qui Agreſtino conſanguinitate proximus erat multa adverſus Luxovienſes monachos objiciebat. Abellenus vero ſociatis ſibi Epiſcopis aliquot, Regem quoque Clotharium in ſuas partes trahere conatus eſt; At Clotharius Epiſcopos in Matiſconenſi ſuburbio congregari juſſit: ut in eo convitio Agreſtini querelæ adverſus Luxovienſes monachos dclatæ examinarentur; Cumque multi jam Burgundiæ Epiſcopi in ſuburbio Matiſconenſis urbis conveniſſent. *Inter quos maximus hæreticorum, Vvarnacharius quidam, dum & ipſe fieri vellet aſſentator Agreſtinianæ partis, ipſo die quando adverſus Euſtaſium altercatio futura erat, morte præventus interiit. Sed nec eo terrore turbati cæteri conſautores adverſæ partis, qui convenerunt, deductum in medium Agreſtinum depromere cogunt, quid contra regulam Columbani, vel Euſtaſii objiciendum haberet. Tum ille trementibus labiis aſſiſtens, & nihil auctoritatis, vel elucubrati eloquii habens, ait ſuperflua quædam, & canonicæ inſtitutioni contraria in eorum ſtudiis tenere, cocleum videlicet, quam lamberent; Crucis ſigno crebro ſignari; & in ingreſſu cujuslibet domus*

Concilium Matiſcon. cogitur.

intra

intra cœnobium tam introeuntem, unam egredientem benedictionem postulare: Columbanum etiam a cæterorum Ecclesiasticorum more desciscere, & sacra missarum solemnia multiplicatione orationum, vel collectarum celebrare. His Agrestini objectionibus respondere Eusthasio facile fuit; atque imprimis. *Nequaquam*, ait, *reor contrarium esse religioni, si cocleam quam Christianus lambit, vel quodcumque vas, ut poculum Crucis signo munit, cum per adventum signi Dominici pellatur pestis adversantis inimici*. Nam id in more fuisse, apud Christianos antiquitus, ut ad omnem actum & ad omnem potum, & cibum signarent se signaculo Crucis, testatur Tertullianus in libello de corona militis, his verbis: *Ad omnem*, inquit, *progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signo terimus*. Ad aliud vero accusationis caput quod objiciebatur, Eustasium ita respondisse, Jonas affirmat: *Introeuntem vero monachum cellulam, vel exeuntem, benedictione Domini armari, ratum duco: juxta Psalmistæ vocem Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus: Dominus custodit introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc & usque in sæculum. Licet enim hoc ad unumquemque Christianum referatur, ut gratia baptismi per fidem in Ecclesia servetur, in eo videlicet qui ad ingreditur, & usque ad finem perseverantiæ vigore firmetur; de quotidiano tamen motu, sive ingressu, vel egressu seu progressu unumquemque nostrum signo Crucis armari, vel benedictione sodalium fas duco roborari*. Ac tandem novum omnimo sibi videri addidit, quod crimini daretur, quod multas orationes in officiis cum suis monachis diceret, cum e contra totis viribus orationi vacare, tum Christus, cum Apostoli docerent.

4. His & horum similibus responsis confusus Agrestinus e Luxoviensibus monachis inepte comam præcidi, addidit. Cui Eustachius: *In præsentia*, ait, *omnium horum qui præsto sunt Sacerdotum, ego ejus discipulus & successor; cujus tu disciplina & instituta damnas, te ad divinum judicium cum eo intra præsentis anni circulum causaturum invito, ut justi Judicis examine sentias, cujus famulum tuis detractionibus maculare procures. His dictis, metus quosdam eorum, qui* *Agre-*

Pacem Episcopi inter Eustasium, & Agrestinum suadent

Jesu Chr. an. 617.

Agrestinianæ partis fautores erant, perculit, hortanturque omnes ut pacis nexu corda jungerent, & ut iste temeritatis audaciam tolleret, & ille paterno affectu labentem piis correctionibus solveret. Ad hæc Eustasius: Vestris, inquit, libens satisfacerem precibus, si misera mens duritiam vecordiæ molliret, & correctis cauterio morbis, vel antidoto visceribus dejectis, redux ad salutifera monita remeare nitatur. Cogentibus ergo cunctis; Agrestinus simulatam pacem postulat, quod postea actibus deprompsit. Eustasius vero mitis animi suasione flexus poscentium, pacem tribuit, & pacis osculum illi porrexit. Hæc de fine Matisconensis Synodi Jonas: cujus epocha incerta est; idest annus incertus, etsi sciamus hoc circiter anno seu circa annum 620. illam celebratam fuisse.

Agrestinus inter monachos iterum dissidia excitat.

5. Cum brevi tempore quievisset Agrestinus dissidia iterum inter Luxovienses monachos serere, eorumque plurimos adversus Eustasium præpositum rebelles reddidit. Ex his Romaricum quemdam, qui cum primæ nobilitatis esset, ac Theodeberto Regi carissimus, Colombani exemplo, & Eustasii prædicatione commotus ad Luxoxium veniens monachicæ institutioni se subderat, ac etiam paulopost sacrarum virginum monasterium sub eadem regula in fundo suo ædificaverat. Huic socius erat Amatus, quem Eusthasius, ut sacris virginibus præesset, elegerat. Hos itaque cum Agrestinus, adversus Eustasium excitasset, deserto monasterio. *Rudibus conati sunt instruere plebem doctrinis* ait Jonas; deinde ad venerabilem Matrem Burgondoforam iter dirigit (Abbatissa hæc erat monasterii Sanctarum Virginum, S. Columbani discipula), cujus res gestas idem Jonas descripsit, ut in vita S. Colombani testatur. Hanc itaque Agrestinus conveniens, ab Eustasii Abbatis societate, & communione revocare conatus est, & ut Colombani regulam desereret, at Sancta virgo paucis eum verbis obmutexere, & abire coegit; *Num tu*, inquit, *confutator veritatis, & novorum introductor argumentorum ad hoc huc accessisti, ut veneno tuo dulcia mella perfunderes, & vitalia alimenta lethali amaritudine commutares? Miser ac detestabilis, tu detrahis illis, quorum ego virtutes agnovi, quorum doctrinam salubrem recepi, ex quorum eruditione multos cœlestia regna penetrasse comperi. &c.*

In factiosos monachos ultio divina.

6. Nec multo post ultio divinitus immissa seditiosos monachos invasit, nam ut idem prosequitur Jonas, per intem-

tempestam nocte intra septa monasterii irruentes lupi, ex fratribus aliquos morsibus suis crudeliter laniarunt, atque in prædicto loco derelictos diræ morti miserabiliter tradiderunt. Quemdam etiam Plereum nomine, qui adhuc discordiæ fomitem vehementer excitabat, demonum rabies pervasit, & ignobiliter ad extrema perduxit: nam propria manu ipse laqueo se suspendit. Fulgur etiam repente e cælo lapsum, tanto fragore locum percussit, ac monasterium vastavit, ut plusquam viginti homines, incendio & ruinis oppressi obierint. Agrestinus vero, etsi irati Numinis tot hactenus signa in conspirationis socios vidisset, in obstinatione sua perseverans, tandem & ipse, sicut ei ab Eustasio prædictum fuerat, quod intra annum moriturus erat, scelerum suorum pœnas dedit. Nam: *Ante triginta dierum circulum, quam vertentis anni meta compleret, a servo suo, quem ipse redemerat, securi percussus interiit; & occasio criminis dicebatur uxoris permixtio; quod quamvis multi dixerint, & vera asserere vellent, nostrum tamen affirmare non est: cuncta enim, juxta Salomonem, adducet Deus in judicium pro omni reatu, sive bonum, sive malum.* Subdit de duobus ab eo subversis monachis ad pœnitentiam receptis, necnon de Episcopis, qui adversabantur ad saniorem mentem reversis, & erga instituta eadem propensioribus redditis, deque mira propagatione ordinis, & aliis monasteriis recens erectis post superatas ejusmodi tentationes.

Amatus & Romaricus pœnitentiam agunt.

7. Quod ad lapsos monachos ad pœnitentiam conversos, hæc subdit Jonas. *Post hæc Amatus, & Romaricus Eustasii patris indulgentiam postulantes, ab eo recipiuntur, & in pristinum gradum restituuntur. Quod vero ad Amatum spectat, vere se pœnitentem exhibuit, adeout sanctitate claruerit, moriensque se probe Catholicum esse declaravit.* Ac cum esset humilitate præditus, indignum se putavit, qui intra Ecclesiæ septa sepeliretur. Jussit igitur sibi fodi sepulchrum in ipso aditu basilicæ Matris Dei, & hoc epitaphium, quod ipse composuerat, ei imponi jussit. Omnis homo Dei qui in hunc locum sanctum ad orandum introieris, si merueris obtinere quæ postulas, pro anima Amati Pœnitentis hic sepulti Domini misericordiam deprecari digneris: ut si quid mea pravitas de meis peccatis obtinere non potuit tepide pœnitendo, obtineat vestra tantorum charitas

Jesu Chr. an. 617.

sedulo Domini misericordiam deprecando. Hactenus de Amati, ac Romarici pœnitentia Jonas; quæ etiam illustri monumento, idest ex vetusto Neucrologio Monasterii Romaricensis, circa annum 880. confectum, ac ab eruditissimo, æque ac litterarum, litteratorumque patrono in lucem edito, idest ab Illustrissimo Comite Josepho Garampio Montis Falisci, & Corneti Episcopo, nunc vero Cardinali amplissimo. In appendice itaque ad eruditissimam dissertationem de nummo argenteo Benedicti tertii Romæ anno 1759. vulgatam, fragmentum Neucrologii Romaricensis refert, ubi pagina 19. de Romarico, & Amato hæc leguntur, p. 172. *Nomina Abbatum defunctorum Sancti Romarici, atque almi patris nostri Amati ec.*

Mellitus & Justus in Angliam revocantur. Eadbaldus Cantii Rex Christianam fidem amplectitur. *Beda lib. 2. cap. 16.*

8. Anglicana interim ecclesia (quam pæne collapsam anno superiori diximus) sedata tempestate, ad pristinam tranquillitatem hoc anno rediit, dicente Domino (sicut olim Apostolis) *ego sum nolite timere*. Ac Eadbaldus Cantii Rex fidem christianam suscepit, & profugos Episcopos, Justum, & Mellitum, in Angliam revocavit; quomodo autem, Deo operante, tam subita mutatio facta sit; Beda his verbis narrat. *Cum vero Laurentius Mellitum, Justumque secuturus, ac Britanniam esset relicturus, jussit ipsa sibi nocte in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli, de qua frequenter jam diximus, stratum parari. In quo, cum post multas preces, ac lacrymas ad Deum pro statu Ecclesiæ fusas, ad quiescendum membra posuisset, atque obdormisset, apparuit ei beatissimus Apostolorum Princeps, & multo illum tempore secretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, sciscitabatur apostolica districtione, quare gregem, quem sibi ipse crediderat, relinquerat, vel cui Pastorum oves Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro parvulis Christi, quos mihi in judicium suæ dilectionis commendaverat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis ab infidelibus, & inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli? His beati Petri flagellis simul & exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto, venit ad Regem, & retecto vestimento, quantis esset verberibus laceratus, ei ostendit. Qui multum miratus, & inquirens quis tanto viro tales ausus esset plagas infligere; ut audivit quia* cau-

causa suæ salutis Episcopus ab Apostolo Christi tanta esset tormenta plagasque perpessus; extimuit multum, atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo suscepit fidem Christi, & baptizatus Ecclesiæ rebus, quantum valuit, in omnibus consulere, & favere curavit. Misit etiam in Galliam, & revocavit Mellitum, & Justum, eosque ad suas Ecclesias libere instituendas redire præcepit: qui post annum ex quo obierant. reversi sunt. Et Justus quidem ad Civitatem Rhosi, cui præfuerat, rediit; Mellitum vero Londonienses Episcopum recipere noluerunt, Idololatris Pontificibus magis servire gaudentes. Non enim tanta erat ei, quanta Patri ipsius regni potestas, ut etiam nolentibus, ac contradicentibus Paganis, Antistitem posset suæ Ecclesiæ reddere. Verumtamen ipse cum sua gente, ex quo ad Dominum conversus est, divinis se studuit mancipare præceptis. Denique & in monasterio beatissimi Apostolorum Principis, Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis fecit, quam consecravit Archiepiscopus Mellitus. Hæc Beda.

JESU CHR. AN. 618.

JESU CHRISTI AN. 618. DEUSDEDIT PAPÆ 4. HERACLII IMP. 9. ADOLOALDI LONGOBARD. REGIS 3.

Deusdedit Papæ obitus. Quanto tempore Rom. Sedes vacaverit. *Pag. not. 2. ann. 617. Anast. in Deusdedit. Pag. not. 3. an. 617. Papebroch. anal. chron. hist. Rom. Pontif.*

1. Insequenti anno Domini sexcentesimo decimo octavo, Deusdedit Pontifex postquam sedisset, annos tres dies viginti quatuor .... *defunctus, & sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum, die octava mensis novembris*; quoad annos consentiunt omnes catalogi, sed non quoad dies; hinc Pagius dies tantum 20. cum annis tribus, eum sedisse tradit. Quanto autem tempore Romana Sedes Pastore viduata remanserit, diffident eruditi, etsi Anastasius hæc adnotaverit. *Cessavit Episcopatus mensem unum dies sexdecim*. At Pagius, & Papebrochius annum unum addendum esse censent, sicuti in catalogis aliquot legitur, qui annus librariorum incuria omissus fuit. Pagii sententiæ libenter subscribimus, ea potissimum ducti ratione, quod nisi ultra annum Romanam sedem post Deusdedit obitum vacasse dicamus, eamdem vacationem post Bonifacii quinti obitum intercessisse dicendum esset, ut suo loco Honorii otdinatio alligari possit, Beda quidem de Bonifacio narrat. *Iste Bonifacius post Deusdedit ecclesiæ præfuit, anno incarnationis Dominicæ sex-*

JESU CHR. AN. 618.

centesimo decimo octavo, sicque legitur in quamplurimis Bedæ editionibus, si de hac lectione constaret, lis quidem facile componeretur, nam hoc anno Bonifacii quinti ordinatio inscribenda esset, hanc tamen Bedæ lectionem emendant accuratiores ac recentiores Bedæ æditores, Chifletiana scilicet, & Cantabrigensis omnium optima, in quibus sic legitur: *Iste Bonifacius, qui post Deusdedit ecclesiæ præfuit anno incarnationis Dominicæ sexcentesimo nono decimo*.

De gestis Deusdedit, ejusque in clerum liberalitate.

2. Quare ad annum proximum Bonifacii quinti ordinationem differimus, de Pontifice Deusdedit, hæc etiam adnotat Anastasius: *Hic clerum multum dilexit, Sacerdotes & clerum ad loca pristina revocavit*, & paulo post: *Hic constituit secundam missam in clero*; deinde: *Hic dimisit per obsequia sua ad omnem clerum rogam unam integram*; *Rogæ* nomine jam diximus fuisse largitionem, quæ militibus fiebat, sicque clericis Deo militantibus Deusdedit Pontifex donaria dedit. Ad ea autem Anastasii verba. *Hic constituit secundam missam in clero*: verissime adnotat Cardinalis Bona, jam a tempore Leonis Magni in Romana ecclesia consuetudinem viguisse, ut Missæ sacrificium pluries eadem die ab uno Sacerdote offerretur, idque probat ex Leonis Papæ epistola ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum, qua sacrificium iterari jubet, quando fidelium multitudo tanta est, ut omnes simul basilica capere non possit, quam sacrificii repetitionem, ex more, qui tum Romæ vigebat, præcipit: *Ut in omnibus*, inquit, *observantia nostra concordet*, & infra: *ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat*. Sicque quod antiquitus Romana servabat ecclesia, lege etiam seu canone confirmasse Deusdedit dicendum est, vel etiam, quod probabilius est, permisisse, ut post solemnem missam, altera privata ab eodem Sacerdote celebraretur. Et sane jamdiu hunc morem in Romana ecclesia retentum fuisse, ut sacrificium in eadem ecclesia sæpius eadem die celebraretur, indicat, tum epistola 20. Sancti Ambrosii ad Marcellinam, cum epistola Sancti Gregorii 49. lib. 6., & quibus scimus plura altaria in eadem ecclesia erecta fuisse. At de his plura apud citatum Cardinalem Bona de rebus liturgicis lib. 1. cap. 14. & sequentibus videri possunt.

Monachi unicam missam die Dominico celebrabant.

3. Unicam tamen die dominico, vel festivis diebus in Mo-

Monasteriis Missam celebratam fuisse, innumeris exemplis constat. Certe in diebus quadragesimæ, exceptis dominicis, non canebatur missa tempore S. Benedicti, ait Hindelmarus in caput 48. regulæ, Carthusianos olim diebus tantum Dominicis, & festis missas celebrasse referunt Petrus Cluniacensis lib. 2. mirac. cap. 28. Guibertus Abbas lib. 1. de vita sua cap. 11., & Petrus Blesensis epist. 86. de Beato Francisco refert Alvarus Pelagius ipsum voluisse, ut Fratres sui ordinis in singulis monasteriis, una missa contenti essent, *Præsciens Fratres se velle justificare per missas, & ad quæstum eas reducere, sicut videmus hodie fieri*; idque ex epistola ab eo ad fratres suos scripta manifesto patet; Nam ait. *Moneo præterea, & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum missa celebretur in die, secundum formam Sanctæ Romanæ ecclesiæ, si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, sit per amorem charitatis alter contentus, audita celebratione Sacerdotis alterius*. Hanc nihilominus epistolam Sancto Francisco suppositam fuisse scribit Æthius in Enchiridio; at eam auctori suo Beato Francisco invictis argumentis vindicavit, & restituit in novissima editione operum S. Francisci, & Antonii Patavini de la Haje Parisiensis, ut videre est in notis ad epistolam 12.

Fragmentum epistolæ falso attributæ Deusdedit Pontifici.

Grat. cap. pervenit caus. 30. quæst. 1.

Bar. ann. 617.

4. Deusdedit nomine extat epistolæ fragmentum ad Gordianum Hispalensis ecclesiæ Episcopum, a Gratiano in decreto relatum, & a Baronio in annalibus; eo decreto jubet separandos esse conjuges, qui proprios filios e sacro fonte susceperint, etsi ignorantes id fecerint; falso tamen eam Deusdedit Pontifici inscriptam fuisse, inter multa nos docet inscriptio. Hispali enim Isidorus sedebat, his annis non Gordianus, unde ex Isidori mercibus eam esse vix dubitari potest. Neque satis constat tunc temporis parentibus prohibitum fuisse filios suos ad baptismum offerre, quod certe Augustini ætate in usu fuisse constat, ex epistola 98. ad Bonifacium Episcopum, Sanctus etiam Cæsarius Arelatensis Episcopus homilia 12. inter æditas a Balusio, exponens professionem fidei, & renunciationem Diaboli in baptismo fieri solitas, hæc subdit. *Quod quia infantes per se minime profiteri possunt, parentes ipsorum pro eis fidejussores existunt*. At de gestis Deusdedit Pontificis hactenus, cujus nomen Baronius die octava Octobris in Martyrologio Rom. inseruit.

5. Hoc

JESU CHR. AN. 618. Concilium Hispalense 2.

5. Hoc anno Sisebuti Hispaniarum Regis primo, Hispalensis synodus secunda celebrata est, cui Isidorus Hispalensis Episcopus præfuit, eique Episcopi septem subscripti leguntur; illustres quoque viri Sisiclus rector rerum publicarum, ac Svanilane rector rerum fiscalium synodo adfuerunt, ut in præfatione legitur; Capita deinde tredecim, seu canones sequuntur, quorum primo, auditis querelis Theodulphi Malacitani, de occupata sua parochia a quodam Episcopo, hostilitatis tempore, decreverunt Patres; *Ut omnis parochia, quæ ab antiqua ditione, ante militarem hostilitatem retinuisse ecclesiam suam comprobaret, ejus privilegio restitueretur. Non enim erit præscriptio temporis objicienda, ubi necessitas interest hostilitatis*. 2. Fulgentius Astigitanus, & Honorius Cordubensis Episcopi, de quadam parochia litigabant; ad finiendam litem visitatores sunt destinati, qui inquirerent, in cujus finibus ea constituta esset. 3. Ut Clericus Italus, qui ad Cordubensem ecclesiam transierat, suo restitueretur Episcopo, Episcopus vero qui alienum clericum invito proprio Episcopo retinuisset, communione privetur: desertor clericus in monasterio, usque ad tempus detrudatur. 4. Bigamorum ordinationes irritantur, & viduarum Mariti e Levitarum ministerio arcentur. 5. Egabrensis Episcopus oculorum dolore laborans, Presbyterum, & duos Diaconos ita ordinaverat, ut ipse manus ordinandis imponeret, orationes vero, sive formam quidam presbyter recitaverat. At horum irritam fuisse ordinationem statutum est. 6. Episcopi in concilio tantum congregati Presbyteros, vel Diaconos deponant. 7. Agapius Cordubensis Episcopus, vir disciplinæ ecclesiasticæ ignarus, qui a seculari militia, in Sacerdotale ministerium transierat, frequenter presbyteros destinaverat, qui altaria erigerent, basilicas consecrarent, ne ultra id fieret synodus jussit; Presbyteris quoque prohibetur, Presbyteros, Diaconos, aut virgines consecrare, aut per manus impositionem fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi spiritum Paraclitum tradere, aut chrisma conficere, aut chrismate baptizatorum frontem signare; Sed nec publice quidem in missa quemquam pœnitentium reconciliare, vel formatas epistolas mittere, quia Pontificatus apicem non habent. 8. Servus ab Episcopo libertate donatus, in pristinam servitutem revocetur, si ingratus evadat. 9. Ut unusquisque Episcopus

Hispal. concilii decreta.

ex

ex proprio clero Œconomum sibi constituat; indecorum est enim laicum vicarium esse Episcopi, si quis Episcopus contra fecerit, concilio rationem reddet. 10. Ut cœnobia nuper condita in provincia Betica, sicut & antiqua immobili, & inconcussa stabilitate permaneant. *Si quis nostrum, aut nobis succedentium Sacerdotum, quodlibet monasterium quacumque causa, cupiditatis, vel fraudis convellendum, vel dissolvendum præsumpserit, anathema sit*. 11. Monasteria virginum, monachorum administratione, ac præsidio gubernentur .... ea tamen circa monachos cautela adhibita, ut remoti ab earum familiaritate, usque ad vestibulum habeant accedendi facultatem, quod etiam Abbates, & Præpositi observare debent, nec cum virginibus Deo dicatis soli loquantur, sed sub testimonio duarum, aut trium sororum, ita ut rara sit accessio, & brevis omnino locutio. 12. & 13. Duobus ultimis capitibus Acephalorum hæresis confutatur, ac condemnatur. Ingressus in synodo Episcopus quidam Syrus ea hæresi infectus erat, ut duas in Christo naturas negaret, invitatus Sacerdotali modestia ad veræ fidei confessionem, vix tandem gratia divina edoctus, hæresim ejuravit, duasque naturas, & unam personam in uno eodemque Domino Jesu Christo confessus est. Conversus itaque susceptæ fidei confessionem jurejurando interposito protulit, sicque ecclesiæ coadunatus est.

Jesu Chr. an. 618.

Œconomus ecclesiæ ex clero assumatur.

Monasteria virginum a monachis administrentur

6. Quoad res Orientales spectat, nihilo superioribus felicior hic annus fuit. Nam Ægypto in Persarum potestatem redacta (ut diximus) cum frumentum inde CPolim transferri non posset, non solum dira fame urbs Regia vexata est, seu hostili etiam incursione, itaut irruente Chagano cum ingenti Avarum manu, ejusdem suburbia, ferro flammaque vastata sunt; ac parum absuit, quin Regia quoque urbe potirentur, tandem vero spoliis onusti ad sua, nemine resistente, redierunt, ut pluribus narrat Chronicon Alexandrinum, & cum eo Theophanes, Cedrenus, aliique. Inter cetera narrat. *Illius copiæ ipsa Dominica ingressæ circa vesperum usque ad auream portam, quotquot extra urbem repererunt, vel in suburbanis, & quidquid hominum, vel animalium inventum fuit, in prædam rapuere. Ingressi sunt etiam sacram ædem Sanctorum Cosmæ, & Damiani in Blachernis, & Ecclesiam Sancti Archangeli, trans urbem in Promoti suburbano, in iisque non Ciboria dumtaxat, & alia cime-*

Constantinop. fame laborat.

Jesu Chr. an. 618. *cimelia abstulerunt, sed ipsam etiam sacram Mensam Ecclesiæ Archangeli confregerunt, omnesque cum præda captivos secum trans Danubium, obsistente nemine abduxerunt.*

Heraclii sanctio pragmatica de Clericis ecclesiæ Constantinop.

7. Hoc anno, vel sequenti Heraclius Imperator, ipsomet Patriarcha postulante, ut id pragmatica sanctione confirmaret, lata lege jussit, ne quisquam in clerum deinceps cooptaretur, nisi in demortui locum. In eam quippe multitudinem Constantinopoli excreverant clerici, ut ecclesiæ oneri essent. Extat hæc lex Græce, & Latine in bibliotheca juris canonici veteris tom. 1., ac data dicitur VIII. Kal. Maii: CP. Heraclii anno IX., indict. VII.. Præstat ex ea huc quædam adferre: *Cum ii, qui clero sanctæ majoris Ecclesiæ in hac urbe regia continentur, ejus rei non mediocriter gravari perspexerint, multis sanctitatem vestram molestantibus, ut diversas personas in clerum recipiat, & in Oratoria Sanctissimæ Matris Domini, ac Salvatoris nostri Jesu Christi, qui Deus est, tam id quod est in Blachernis, quam quod in iis quæ Urbicii appellantur: adeo quidem ut inde diariorum quantitas (quæ alii quotidianas vocant distributiones), quæ ipsis datur, magnopere excrescat. Deinde petentibus, ut aliqua etiam officia Ecclesiastica comitantur, aliis de quibus non exigua rebus ejusdem Sanctissimæ Ecclesiæ utilitas proveniret. Cumque quod ita geritur, correctionem consequi petiverint, gratificandum tam Sanctitati vestræ, quam iis qui dicto clero continentur, duximus, ut certarum personarum numero circumscribantur indicatarum religiosarum ædium clerici, & qui Ecclesiastici ministerii officia gerant: ita ut nemo possit inter indicatos clericos recipi, vel curas Ecclesiasticas suscipere, priusquam aliquibus ex eorum ordine deficientibus, ad eum numerum, qui vobis universis placuerit, vel clerici dictarum religiosarum ædium, vel Ecclesiasticæ curationes redigantur. Hæc ergo vobis ita placita, postquam nostras ad aures pervenerunt, precibus etiam nobis oblatis, ut per sanctionem nostram pragmaticam recte a vobis trutinata confirmarentur: non abs re, nos, qui de commodis ejusdem sanctissimæ majoris Ecclesiæ Dei sollicite semper cogitamus, reapse precibus vestris annuendum duximus, dictamque Sanctionem pragmaticam sanctissimæ apud nos Ecclesiæ largiti sumus. &c.*

Heraclius Sergii Patriarchæ arbitrio relinquit, quos vellet in clerum admittere.

8. Quia vero in ecclesiæ utilitatem hanc legem vulgavit Heraclius, ab ea servanda eos excipit, qui per dona-

nationem, vel pactionem, vel per supremam voluntatem, aliquid ecclesiæ contulissent, ea conditione, ut seipse vel alii in clerum admitterentur, quod qua ratione absque Simoniæ labe fieri posset, non videmus; at hoc vitium tunc temporis, ut verosimile est, in CPolitana ecclesia frequens erat. Cumque ejusdem legis occasione, alia exorta essent dubia, rem totam tandem Patriarchæ arbitrio reliquit. Unde ajebat. *Retulit ad nos Sanctitas vestra diversas quidem personas in cleris adscribi cupere, vel ecclesiasticum officium accipere, vel tale quid alteri cuipiam impetrare, sed vereri ne postea quidam eis negotia facessant inquirendo, quanam re ad utilitatem rerum Ecclesiasticarum peracta, voti sui compotes facti fuerint, quando post aliquod elapsi temporis intervallum eis, hujusmodi probatio difficilis accidat. Et quidem alios nolle nota esse, quæ tum in ipsos, tum erga Ecclesiam facta sint: unde fiat, ut nonnulli ab iis faciundis revocentur, quæ ad utilitatem rerum Ecclesiæ spectant. Quamobrem ne per hanc occasionem, id quod nuper ad ejus utilitatem est excogitatum, damni causam ei præbeat: nos scientes supra omnes alios sanctitatem tuam Ecclesiæ Sanctissimæ conducentia sollicite curare, atque perficere; fiduciam ei præstamus, quod haudquaquam indicatæ Sanctionis, etiam absque illa observatione, quæ per eam exponitur ad dicta duo capita pertinentia procuret, respiciens, (ut solet) ipsum Deum, qui omnium quidem religiosarum ædium inspector est, sed in primis sanctæ Dei majoris Ecclesiæ in hac ipsa regia urbe, a qua citra intermissionem tot, ac tantæ circa pias actiones expensæ proficiscuntur. Confidimus enim, quod etiam sola per se sanctitas vestra relatorum ab se capitum quodlibet examinans, in proposito negotio, ea cum consultet, tum agat, quæcumque rebus Ecclesiasticis utilitatem, sive manifestam, sive quæ ignota vulgo esse debeat, afferre possunt.* Hactenus Heraclii constitutio.

JESU CHRISTI AN. 619. BONIFACII 5. PAPÆ 1.
HERACLII IMP. 10. ADOALDI LONGOB. REGIS 4.

Eleutherus Exarchus fit rebellis, & occiditur.

1. Anno sexcentesimo undevigesimo, dum adhuc Romana Sedes vacaret. Eleutherus Patricius, quem Imperator ad coercendos rebelles in Italiam miserat, factus ipse re-bel-

JESU CHR. AN. 619.

bellis, Romam pergens, a militibus occisus est, ut Anastasius, & Paulus Diaconus narrant: *Eodem tempore*, ait Anastasius, *ante dies ordinationis ejus Eleutherius Patricius, & Eunuchus, factus Intarta assumpsit Regnum, & veniente eo ad civitatem Romanam in castrum, quod dicitur Luceolis ibidem A nites Ravennatis interfectus est, caput ejus ductum est Constantinopolim ad piissimum Principem*. Eadem ferme refert Paulus Diaconus. Eleuthero in Exarchatum successit, Isacius natione Armenus, de cujus gestis infra.

Bonifacius 5. Pontifex ordinatur.

Anast. in Bonif. 5.

2. Liberata in hunc modum Italia, & Roma a Tyranno, Bonifacius V. hoc anno Pontifex ordinatus est, de quo hæc Anastasius. *Bonifacius natione Campanus, de civitate Neapoli sedit annos quinque, dies tredecim. Hic constituit, ut testamentum valeat secundum jussionem Principis. Hic constituit, ut nullus trahatur de ecclesia: ut Acolytus non præsumat reliquias Sanctorum Martyrum levare nisi Presbyter: Ut in Lateranis Acolytus non baptizaret, cum Diacono, sed Subdiaconi sequentes. Hic perfecit Cæmeterium Sancti Nicodemi, & dedicavit illud. Erat enim Beatissimus Bonifacius, mitissimus super omnes homines, & misericors*. Hæc Anastasius in Bonifacii V. laudem.

Bonifacii 5. præclara gesta.

Laurentii Cantuariensis Episcopi obitus.

Beda lib. 2. cap. 7.

3. Eodem anno quo ordinatus est Bonifacius quintus, *Beatus Laurentius*, Dorovernensis, *Archiepiscopus Regnum cœleste conscendit*, ait Beda, *atque in ecclesia, & monasterio Sancti Apostoli Petri, juxta prædecessorem suum Augustinum sepultus est die quarto nonarum Februarium*. Ac Mellitum successorem habuit. Unde Beda. *Mellitus, qui erat Londoniæ Episcopus, sedem Dorovornensis ecclesiæ, tertius ab Augustino suscepit*. Hunc vero post quinque annos obiisse anno 624. addit Beda; ex quibus constat anno labenti Laurentium ad cœlestem gloriam transiisse; De Laurentii gestis, & miraculis agit Beda in historia Anglorum, cujus vitam sicuti, & decessoris ejus Augustini scripserat Gotzelinus monachus Bertinianus, qui in Angliam a B. Anselmo Cantuariensi Antistite vocatus, Remesiæ primom, tum Doroberniæ habitavit seculo undecimo. At Laurentii vita a Gotzelino scripta, fortasse alicubi manuscripta latet, in lucem a certe nullibi edita est. Pagius quidem eam ab Henschenio, & Mabillonio adornatam fuisse adnotat; Cum ambo eamdem hactenus sibi incognitam fuisse fateantur, ut apud Mabillonium videre est.

4. Cum

4. Cum de bello Persis inferendo sollicitus hoc tempore esset Heraclius, de ineunda cum Chagano Avarum Duce pace sollicitior fuit. Quare missis iterum legatis, hoc, vel sequenti anno hæc tandem sancita est. De qua hæc Theophanes, cui consentiunt Zonaras, Cedrenus. *Hoc anno Heraclius missis iterum ad barbarum Chaganum legatis, de iis, quæ violatis fœderibus ab eo admissa erant causabatur, & ad servandam pacem invitabat: in Persidem quippe arma convertere meditatus, cum Chagano pacem habere consiliabatur: Chaganus humanos Imperatoris affectus cum reverentiæ sensu suscipiens, pristina se reparaturum, & cultorem se pacis futurum promisit; renovatisque iterum pactis, & probe firmatis fœderibus, legati reversi sunt.*

JESU CHR. AN. 620. Heraclius de pace agit cum Chagano Avarum Rege.

JESU CHRISTI AN. 620. BONIFACII 5. PAPÆ 2. HERACLII IMP. 11. ADOALDI LONGOB. REGIS 5.

1. Anno vigesimo supra sexcentesimum, Bonifacius Papa Quintus, memor præcepti a Christo Domino Petro, ejusque successoribus dato; *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Cum Mellitus Cantuariensis Archiepiscopus, qui Laurentio successerat, ut dictum est anno superiori, & Justus Roffensis, tunc Episcopus, *cum magna ecclesiam Anglorum cura, ac labore gubernarent, susceperunt scripta exhortatoria a Pontifice Romano, & Apostolicæ sedis Bonifacio, qui post Deusdedit ecclesiæ præfuit anno incarnationis Dominicæ* 619. At exhortatoriæ epistolæ hoc anno a Bonifacio scriptæ ad nos non pervenerunt, extant quidem apud Bedam aliæ Bonifacii epistolæ scriptæ Eduyno Regi, Edibulgæ ejus conjugi, & Justo tunc temporis Cantuariensi Archiepiscopo, anno 624., cum post Melliti obitum, Justus Cantuarianensem ecclesiam admiuistraret, de quibus suo loco fiet sermo.

Bonifacius 5. scribit Mellito & Justo.

2. Interéa cum bellum inter Romanos, & Persas adhuc vigeret, sub Duce Persarum Sain militabat Anastasius, qui cum multa, & mirabilia de christiana fide, ac Crucis mysterio a christianis audiisset, christianam & ipse fidem amplexus est, ut in ejusdem vita narrat auctor non solum coevus, sed etiam rerum gestarum testis; ac primo adnotat Anastasium relicta militia, Hieropolim ad Christianum quem-

S. Anastasius Persa baptizatur de ejus vitæ gestis usque ad martyrium.

Jesu Chr. an. 620.

dam, genere Persam, opificio Argentarium divertisse, cum quo cohabitans, artem eam didicit, atque operabatur; paulopost vero cum vehementi baptismatis desiderio teneretur; hospes vero ejus Persarum metu, ne quid sibi periculi crearet, illius vota differret, etsi cum eo templa adiret, precesque funderet, at Anastasius, & sanctorum Martyrum contemplatus historias, quærebat ex eo quid sibi ista vellent, audiensque ab eo, & miracula Sanctorum, & intolerabiles cruciatus, quos pro Christo sustulerant, eorum constantiam admirabatur, ac Hierosolymam adeundi, atque illic sanctum suscipiendi baptisma decrevit. Quare in sanctam civitatem pergens ad Eliam Præsbyterum sanctæ Resurrectionis deductus est. Is vero ad Modestum Præsbyterum, qui eo tempore Vicarius erat Apostolici throni, perduxit, eum curavitque, ut cum alio iisdem plane moribus prædito, baptizaretur. Cumque dies octo illuminationis in ædibus. *Eliæ presbyteri exegisset vir beatus, quærit hic ab eo, quid deinceps agere, quem amplecti vitæ modum constituerit. Ille vero eum rogat, dicens*; *Fac me Monachum. Peracta igitur ablutione, statim eum perducit ad monasterium Sancti Abbatis Anastasii, quod quatuor milliaribus Hierosolimis distabat: & cum aliis multum obtestatus illius cænobii Præfectum, Justinum, inquam, virum tum ceteris rebus illustrem, tum cælestibus donis eximie ornatum, tradidit ei servum Dei Anastasium. Quem ille suscipiens, in suam adlegit congregationem. Hoc autem factum est per indictionem octavam, Imperante Domino Heraclio piissimo, atque Christianissimo Imperatore anno decimo*, qui annus a die 3. Octobris 619. incœptus, majori sui parte cum hoc anno 620. excurrit. In monasterium itaque receptus, Græcas litteras, & psalterium didicit, eodemque tempore Monasterii officia diligentissime obibat, Culinæ præsertim & horti; reliquo tempore in cella consistens, certamina, & victorias martyrum legebat, ac cum lacrymis Deum obtestabatur, ut martyrio dignus haberetur; Quod qua ratione obtinuerit anno 629 videbimus,

Sisebuti Regis Hisp. obitus.

3. Hoc anno Sisebutus Hispaniarum Rex, quem annis 8. mensibus sex regnasse narrat Isidorus, vivere desiit, ac successorem Regni Reccaredum habuit, qui paucorum mensium Princeps fuit, scilicet trium, vel quatuor mensium, cui æra sexcentesima quinquagesima nona, anno nempe sequenti

quenti 621. Suinthilas successit, ut idem Isidorus tradit:

Jesu Chr. an. 621.

JESU CHRISTI an. 621. Bonifacii quinti Papæ 3. Heraclii Imp. 12. Adoaldi Regis Longob. 6.

Heraclii Imp. apparatus ad Persicum bellum. *Theoph. in cronograf. pag. 253.*

1. Hoc anno, postquam cum Chagano Avarum Duce pacem Heraclius Imp. firmaverat, totus se ad bellum Persicum convertit, & ingenti ex ecclesiarum spoliis conflata pœcunia, ad bellum necessaria paravit, ut narrat Theophanes. *Tunc igitur Heraclius divino ardore incitatus, pace ex voto cum Abaribus composita, exercitus suos ab Europa in Asiam transtulit, invadendæque Persidis Deo opitulante consilium cœpit. Tum vero ubi pœcuniam mutuo, vel cum fœnore acciperet dubius, Sanctarum ædium facultates tulit, cudendisque numismatibus, & minutis milisiariis conflandis, multifida magnæ ecclesiæ candelabra, aliaque ejusmodi sacri ministerii vasa usurpavit.* De Joanne Eleemosinario Alexandrino Patriarcha narrat Leontius in ejus vita capite 4., quod cum Nicetas Patricius ei dixisset, Imperatorem thesauris ecclesiæ ad bellum gerendum opus habere, Joannem quidem nec Ecclesiæ thesauros tradidisse, nec auferenti restitisse, ablatam nihilominus pœcuniam non sine miraculo, paulopost cum fœnore Joannem recepisse adnotat.

Dignum spectaculum ab auctore proponitur.

2. Dignum plane spectaculum lector vides, ait Baronius, Chosroen scilicet florentissimo exercitu instructum, tot victoriis auctum, tantisque triumphis, ex subjugato fere toto Oriente elatum, sacris, profanisque onustum exuviis, quibus, non christianos tantum, sed etiam Christianorum Deum, & Dominum Jesum Christum se vicisse jactabat, itaut nullis conditionibus etsi Rom. Imperio injuriosis, pacem cum Heraclio inire vellet, Heraclium vero vides ab hostibus ubique exagitatum, provinciis spoliatum, exercitibus sæpe privatum, tunc tamen viribus auctus resurgit, cum didicit omnem suam in Deo collocare fiduciam, ut dicere posset. *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* Quænam unquam religiosior hac bellandi causa præcessit, qua sacrosanctum, atqne vivificum Crucis lignum Hierosolymis ablatum, & translatum in Persidem repetitur, atque tot damna, & ignominiæ illatæ, ubique sanctis Ecclesiis vindicantur, & quæ adhuc remanserant integræ defenduntur,.

JESU CHR. AN. 622. tnr, & in omnibus pro religione ipsa servanda certatur? Hæc & alia Baronius, at adnotare sat erit, hoc anno ad bellum necessaria Heraclium preparasse, & exercitum ex Europa in Asiam transtulisse; Unde ipse anno sequenti transiturus erat, ut ibidem dicturi sumus: cumque de rebus in ecclesia gestis nihil memoria dignum occurrat, ad sequentem annum 622. transimus.

JESU CHRISTI AN. 622. BONIFACII 5. PAPÆ 4. HERACLII IMP. 13. ADOALDI. LONGOB. REGIS 7.

Heraclii expeditio in Persas.

1. Sexcentesimus vigesimus secundus Christi annus felix, faustusque fuit, ob bellum Persicum ab Heraclio Imperatore feliciter cœptum, ac tanta felicitate intra sexennium cum maxima Christiani nominis, & Romani Imperii gloria tandem absolutum, ut infra dicturi sumus. Interea hoc anno peracta Paschali solemnitate, quæ die 4. Aprilis incidit, die 5. ejusdem mensis feria secunda ad bellum Persicum Heraclius profectus est, ait Theophanes, qui addit. *Proprium autem filium Sergii Patriarchæ CP. Bonosique Patricii viri præstantis ingenii, magnæque prudentiæ, & experientiæ multiplicis consilio, rem communem administaturum in urbe commisit. Ad Chaganum quoque Abarum Principem, cui procuratoris in filium nomen, & dignitatem indidit, quique secum amicitiam ex pactis firmaverat, ut afflictis rebus Romanis opem ferret litteras cum precibus misit.* Antequam vero milites ad hostes perduceret, ut fortiores, audacioresque redderet, variis exercitationibus in militari disciplina confirmavit. Nam divisum in partes duas exercitum ordines componere, incruentis irruptionibus ad invicem congredi, clamorem bellicum, militaresque strepitus edere, fortes in invicem animos excitare docuit, ut jam non ficto, sed vero marte implicati, rei novæ usu non terrerentur, sed velut ad ludum, ita in hostes, de sua virtute bene confisi irruerent. Sumpta deinde, & elevata Christi imagine tamquam vexillo, quam divinitus, non hominum arte pictam Romani venerabantur, se usque ad mortem cum iis pugnaturum Imperator juravit.

Heraclius in Persidem irruit.

2. His itaque aliisque modis, cum exercitum suum ad bellum inflammasset, repente in Persidem irruit cui obviam fa-

factus Persarum Dux, cum Romanos ne impetum in Persidem facerent cohibere non potuisset, a tergo eos subsequi tandem coactus est: hostem dolo circumvenire, eumque per noctem obscuram adoriri meditatus: sua tamen spe frustratus, montium cacumina occupavit, unde ex improviso irruentes Persæ, levia sæpius inierе prælia, in quibus semper superiores evasere Romani. Cumque crebris hisce pugnis seu velitationibus, Persarum exercitus in dies imminueretur, tandem, in certamen descendere necessitate compulsus est. Quare in tria agmina diviso exercitu, multa cum fiducia Romanos Persæ adoriuntur, quos Romani ita fortiter exceperunt, ut Persas etiam terga vertere coegerint, multisque adversariorum cœsis, Persarum castris potiti sunt, ac omnem apparatum bellicum, cum ingentibus Persarum spoliis diripuerunt, sicque Heraclius Imp. hac expeditione feliciter transacta, exercitum in Armenia hyematum dimisit, ipse vero CP. reversus est, primo tempore in Persas arma illaturus.

Monothelitarum hæresis initia, ex Paulo Monocholo, & Theodoro Faranitano.

3. Hoc tamen tempore, quo tanta felicitate adversus Persas bellum Heraclius gerebat; Orientalibus ecclesiis teterrimum ex hæresi Monethelitarum parabatur bellum, cujus hæresis infausta femina clanculum hoc tempore sparsa, tamquam scintillæ sub cinere tectæ, non multos post annos, omnes fere Orientales ecclesias invasit. Quo tempore, aut a quo hujus dissidii, & hæresis primæ scintillæ excitatæ fuerint, narrat Sergius CP. Patriarcha in Epistola ad Honorium Romanum Pontificem, quæ actione 12. Sextæ synodi recitata est his verbis. *Ante aliquod certum tempus cum adversus Persas confirmatus Dominus noster, & magnus victor Imperator promovebat exercitum, & ad partes Armeniæ pervenisset, unus ex principibus impiæ partis Severi execrabilis, nomine Paulus, in illis partibus apparens, ad ejus pietatem accessit, sermonem pro sua errabunda hæresi proferens, & hoc profecto dumtaxat satisfaciendo, in quibus piissima ejus, & regalis magnaminitas, dum redarguisset, ac depompasset pravam ejus impietatem, profanis ejus astutiis Sanctæ Ecclesiæ nostræ, ut verus propugnator ejus, recta atque immaculata e diverso protulit dogmata, inter quæ & unius operationis Christi veri Dei nostri mentionem effecit.* Hæc disputatio, inquit Lupus in Dissert. de VI. Synodo c. 1. Sy-

JESU CHR. AN. 622. Synodalis fuit præsente *Cyro* Phasidis Episcopo, Lazorum Metropolita. Antequam vero hanc cum Heraclio Imperatore disputationem de una in J. Christo voluntate haberet Paulus, pestiferæ hujuscemodi opinionis propagator fuerat Theodorus quidam Pharanitanus in Arabia Episcopus, de quo Maximus Monothelitarum acerrimus propugnator & martyr, Sophronium, ab hæreticorum calumniis vindicans, ajebat. *Ubi erat Sophronius dum Theodosiopolim ad Paulum Monoculum, & Severi sectatorem scripsit*, (Sergius CP. Episcopus) *misso etiam ad illum libello Mennæ, & Theodori Pharanitani cum sua approbatione*; Hic itaque Theodorus Pharanitanus Episcopus, primus quodammodo Monotheliticæ sectæ auctor, hæreses, & portenta in Paulo Samosateno, Apollinario, & Eutychete non semel damnata, e cineribus excitans, veterem hæresim, sub novo monothelitarum nomine parturiit; Monothelitarum dicta, quia unicam in Jesu Christo Deo, & homine operationem admittebat; ita ut quæcumque ab eo dispensationis, seu vitæ tempore, dicta, aut gesta fuerant ex una volontate Dei, & hominis, tamquam ex uno principio prodiissent; Unde sequebatur, eum mentem, aut animam humanam non assumpsisse, ut ab Apollinaristis traditum fuerat, aut saltem assumpto ex Virgine Maria corpore humano, perfectam animæ humanæ substantiam, nequaquam Christum Jesum assumpsisse, unde Euthychianam hæresim iterum Monothelitarum secta excitavit. Itaque cum hanc de Christo Deo opinionem adoptasset Theodorus, ut sectatores sibi faceret, nonnullos levioris ingenii viros, & in Eutychianismum non solum propensos, sed etiam infectos, in suam facile sententiam traxit, ex his Sergius quidam Macarona dictus Arsinois in Ægypto Episcopus recensetur.

4. Is vero ut facilius novam hæresim serere posset, eique Patrocinatores acquireret, ad Sergium Regiæ urbis Episcopum profectus, hæresis suæ venena eidem propinavit, qui libenter, utpote ex parentibus Eutychiana labe in Syria ortus, non solum Sergii Macaronitæ Arsinois Episcopi sententiam seu hæresim ebibit, sed etiam ejusdem patronus, & propagator effectus est, & ut perversum opus facilius exequeretur, ac novæ sectæ auctoritatem conciliaret, libellum quemdam sub Mennæ nomine, (qui olim CPolis Episcopus fuerat) ad Vigilium Romanum Pontificem missum, aut ipse com-

compofuit, aut Mennæ fcriptum corrupit, atque in eo de unica in Chrifto operatione fententiam inferuit; ac ad Theodorum Pharanitanum Epifcopum, ut ab eo, quem fuæ fententiæ favere noverat, fubfcriberetur, mifit; Quamobrem accepta ficuti ab Theodoro exquifierat, approbatione, ad Paulum Monoculum, fubfcribendum mifit. Unde Maximus Martyr fcribebat: *Ubi erat Sophronius, cum Theodofiopolim ad Paulum Monoculum & Severi Sectatorem fcripfit Sergius CP. Epifcopus miffo etiam ad illum libello Mennæ, & Theodori Pharanitani cum fua approbatione*. Sic itaque confpiratione facta cum liberius Sergius, Paulus, & Theodorus eam fententiam feu hærefim fpargere cœpiffent, ut auctoritatem quoque fibi, hærefique conciliarent, Imperatorem quoque Heraclium in eam perfidiam pertrahere conati funt. Cumque hoc anno Imperator ad bellum Perficum in Armenia fubfifteret, ibidem cum Paulo Monoculo, aliifque de Verbi Dei incarnatione, ejufque proprietatibus collatione habita, in Monothelitarum hærefim incautum traxerunt, ut unam tantum in Chrifto Deo, & nomine operationem admitteret. In eamque perfidiam Sergius poftea, cum CPolim rediiffet facile confirmavit, ea præcipue fpe illectus, ut eidem Sergius perfuadere conatus eft, quod ea ratione, unam fcilicet in Chrifto operationem confitendo, Severianorum, & Eutychianiftarum pars maxima ad ecclefiæ unitatem revocanda effet, & fane cum Monothelitica hærefis Eutychianæ ramufculus effet, ut in unum eamdem omnes profitentur hærefim convenirent, difficile non erat; Quot inde in omnes Orientalis Imperii ecclefias turbæ excitatæ fuerint, ac quoufque graffata fit Monothelitarum hærefis, non multopoft dicturi fumus; atque de ejufdem initiis ex occafione collationis in Armenia habitæ ab Imperatore Heraclio, cum Paulo Monoculo hæc dicta fufficiant. Nunc ad alias majoris etiam momenti tragœdias in Oriente excitatas, oratio labitur.

Heraclius Imp. in Monothelitarum hærefim incidit.

5. Harum auctor Mahumetes Pfeudo Propheta fuit, cujus hiftoria ab hoc anno 622. qui primus etiam Hegiræ dicitur, initium ducit. Eft porro Hegira celebris Mahumetanorum epocha, a fuga, feu perfecutione Mahumetis ducta, cum fcilicet ex Mecha Arabiæ oppido, ubi ortum duxerat, Medinam aufugit: Antequam de perfecutione a fuis contribulibus in eum excitata, unde inde elabi coactus eft, dicamus, de ejuf-

De Mahumet Pfeudo Prophetæ origine, & geftis ufque ad hunc annum.

Jesu Chr. an. 622.

ejusdem Impostoris origine, & initiis usque ad hunc annum nonnulla sunt adnotanda: Hujus vitam tot fabulis consperserunt Arabes historici; seu potius conspurcarunt, ut ea, quæ de priscis Eroibus, Greciæ scriptores, de Hercule scilicet, Teseo, Jasone, Argonautis, de Argo, de Perseo ceterisque fabulati sunt, verisimiliora videantur; Nam Mahumetis laudes, & dotes eousque extulerunt, ut non solum Jesu Christo exequaverint, sed etiam prætulerint, itaut etsi Jesum Christum, uti Prophetam a Deo missum, nulla tamen divinitate participem, se venerari profiteantur. Mahumetem tamen vix hominem fuisse impie tradunt, a Deo ob id ab æternitate electum, ut homines cujuscumque tandem religionis essent, per suum Evangelium, quod Alcoranum vocant, quodque de verbo ad verbum Gabrielis Archangeli opera, a Deo eum accepisse somniant, ad Deum, inquam, totum orbem revocaret: Is porro in Arabia, quæ inter Palatinam, & Syriam sita est, patre Abdalah genitus fuerat ex Corasaitarum familia, quæ ex principibus ejus regionis erat, Arabes porro tunc temporis in varias distincti tribus; etsi aliquando Romanorum potestati subditi fuerint, ut ex historiæ Romanæ scriptoribus constat, aut etiam Principibus suis subiicerentur. Unde Aretæ Arabum tiranni mentio occurrit Machabeorum libro secundo capite quinto, & in Epistola ad Corinthios, iterum Aretæ Regis Damascenorum; pristinam nihilominus libertatem Arabum pars maxima, hoc tempore aut retinebat, aut recuperaverat, ac singulæ fere tribus suos duces sequebantur; Cumque ab Abrahamo per Ismaelem se progenitos fuisse gloriarentur, Judæorum, & maxime circumcisionem retinebant, Ethnicorum tamen cultui, ac Idolorum, vel stellarum adorationi simul serviebant. In ea itaque gente, circa annum 570. ortus Mahumedes cum adhuc puer patre, & matre orbatus fuisset, a patruo Abemale educatus fuit, grandior deinde factus, viduæ cuidam Cadhige nomine traditus est, quæ eum nutriendis, ducendisque camelis destinavit, cui officio satisfaciens, heræ suæ gratiam eousque promeruit, ut ex stabulario, & mulione, ditissimæ domus, & dominæ suæ Dominus, & maritus evaserit. In Syriam vero Palestinam, vicinasque regiones, commercii causa, dum Camelos duceret, peregrinatus, Judæorum æque, ac Christianorum, qui iis in locis in varias

rias sectas divisi erant, dogmata didicit, atque novam se quoque religionis formam inter contribules suos propagare posse confidens, mercaturæ valediccns, totum se religioni fingendæ mancipavit, cumque nullas didicisset litteras, divinitus se eam accepisse primo inter domesticos parietes finxit, ac uxori persuasit. Nam Epilepsiæ morbo laborans, ex Divinitatis præsentia, & Arcangeli Gabrielis consortio, sibi mentis defectum accidere mentiebatur, eaque fraude nunc hæc, nunc alia sibi revelata fuisse addebat impurus Sychophanta, largitionibus deinde, quas in contribules suos sæpe effundebat, nonnullos infimæ primum plebis, & profundissimæ stupiditatis homines in admirationem raptos, sibi sociavit; At cum temporis lapsu fanaticorum numerus augeretur, itaut inter Mechæ cives dissidia Mauhemetis causa excitarentur, qui ibidem religioni, & publicæ tranquillitati præerant, impostoris temeritatem coercendam esse decreverant, ac capitali etiam supplicio plectendum, nisi portenta edita retractaret, aut saltem silentio obrueret; At a suis admonitus, Mecha noctu excedens, & per invia nocturno tempore ambulans, ne a persequentibus teneretur, ad locum qui Sareth ab Arabis dicebatur, aufugit, qui postea Medina, idest Prophetæ urbs dicta est, eo quod prophetam exceperit; ibique aliquandiu cum suis, qui eum comitati, aut etiam secuti fuerant, moratus, discipulorum numerum mirifice auxit; Unde non multos post annos, dum suæ sectæ discipulos congregasset, atque ad ulciscendam injuriam sibi, suisque a contribulibus Mechensibus illatam excitasset, adversus eosdem armata manu progreditur, ac primo repulsam passus, ac in fugam, non sine suorum cœde, conjectus, nihilominus eos iterum, & tertio agressus, ab incœptis non destitit, usquedum in suam redegit potestatem quos suæ se subijcere disciplinæ coegit, renuentes vero nullo discrimine ætatis, aut sexus habito, interficiendos jussit. Sicque jam Medina, & Mecha potitus, totam pene Arabiam, felicem scilicet, & desertam, suæ subjecit potestati, & Alcorano subscribere coegit; in ceteras deinde vicinas gentes, ac præcipue adversus Hæbreos, qui iis in regionibus frequentissimi habitabant, quique oppida, & munita loca possidebant, arma intulit, eosque aut interfecit, aut Alcorano subscribere,

Mahumedes Mecha fugiens Medinam transit.

Mahumedes Arabiam sibi subjicit.

Jesu Chr. an. 623.

ejusque disciplinam profiteri compulit, tandem eo superbiæ, ac potentiæ vivens adhuc Mahumetes devenit; ut Græcorum Imperio, ac cum Heraclio Imperatore bellum gesserit, uti suo loco infra, cum de ejusdem Sicophantæ obitu, deque ejusdem Alcorani libro, nonnulla addemus. Nunc satis hæc exposuisse sufficiat, pauca ex multis a Deberlotio in biliotheca Orientali ex Arabibus scriptoribus digesta, aut ab Abbate de Marigni in historia Arabum gallice scripta, ac quatuor voluminibus comprehensa, ubi multa plura tum de Maumehete, cum de successoribus ejus curiosus lector inveniet, præ ceteris vero Mauhumetis vitam ex scriptoribus Arabibus digestam exhibet Maraccius in Prodromo ad Alcorani confutationem.

Maracci Prodrom. tom. I.

JESU CHRISTI an. 623. Bonifacii quinti Papæ 5. Heraclii Imp. 14. Adoaldi Longob. Regis 8.

Secunda Heraclii expeditio in Persas.

I. Insequens annus Domini sexcentesimus vigesimus tertius, belli Persici secundus, felix faustusque fuit, cum etenim Chosroes oblatam pacem respuisset, Heraclius divino implorato præsidio victoriam persequens, in Persidis interiora penetravit, eamque ferro, ac igne vastavit, ac Chosroen in fugam conjecit, ut Theophanes, aliique scriptores narrant. *Hoc anno mensis martis die decimo quinto, indictione undecima, solvens ab urbe Regina Imperator magnis itineribus in Armeniam contendit. Persarum vero Rex Chosroes Sarbarazam ad fines Romanorum invadendos summisit. Heraclius autem litteris Chosroen monuit, ut pacem amplecteretur, aut certequam citius in Persidem irrupturum se præstolaretur. At Chosroes neque pacis sermones admisit, & Heraclii minas pro nihilo babendas duxit, qui eum in Persiam proprius accedere non ausurum speraret. Imperator itaque mensis aprilis die vigesimo in Persiam irruptionem fecit: quod ubi rescivit Chosroes, Sarbarazum revocat, & collectis ex universa Perside copiis, iisque Saï Duci commissis, quam citius Sarbarazæ adjungeret se, ut viribus unitis in Imperatorem progrederentur, edixit.* Heraclius autem oratione sua cum exercitum comfirmasset, in mediam ipsam Persidem velocissime penetravit, & obvias quasque urbes, & vicos igne devastavit. Audiens vero Heraclius, ad Gazacum civitatem cum armatorum 40. milli

millibus Chosroem adesse, recta ad eum contendit. At Chosroes, deserta urbe & exercitu, celeri fuga salutem quæsivit quem Heraclius fuit undique insecutus. Gazacum subinde Orientis civitatem, in qua ignis erectum templum erat, ubi etiam divitiæ Crœsi Lydorum Regis repositæ, aliquando fuerant, & occupavit; indeque Dastagerdem perrexit. Imperator Gazaco relicta, Thebarmaes transiit, & in Urbem ingressus, Ignis templum cum universa civitate igne consumpsit. Hæc audiens in memoriam revoca, quæ superius diximus, cum de captiva Cruce in Persidem translata egimus, eam scilicet, ad idolorum eversionem, & superbissimi Regis dejectionem perductam fuisse, quod & eventus probavit. Sicut enim magno Philistinorum damno, eorumque Deorum captiva ducta fuerat arca Domini in templo Dagon posita, ita plane, & longe etiam cum majori jactura Regni Persarum, & superstitionis, ipsorum Sanctissma Crux captiva in Persidem ducta fuerat; sed reliqua ab Heraclio gesta narremus ex eodem Theophane. *Inde vero Chosroen a tergo per angusta Medorum loca insequutus est, qui per has oberrans angustias, ex uno loco subinde ad alium transmigrabat; Heraclius autem hunc persequens multa oppida campo sque diripuit. Sed cum byeme ingruente de hybernis cum exercitu deliberaret, alii in Albania hyemandum, alii vero contra ipsum Chosroen pergendum esse censebant. Imperator autem cum expiationem ac sanctimoniam universo exercitui per dies tres continuos indixisset, apertis Dei Evangeliis, invenit sibi significari, ut in Albania hyemaret. Quamobrem continuo iter convertens in Albaniam contendit: In itinere porro cum ingentem Persarum, tam divitiarum, quam captivorum prædam secum abduceret, multas incursiones a Persicis copiis passus est: Sed Deo opitulante victor ubique evasit. Cum autem hiems rigidior, ac gelu eos in itinere vexasset: ipse ubi in Albaniam devenit.* (Edidit tunc piissimus Imperator charitatis christianæ illustre exemplum, dimissis quotquot e Perside captivos ducebat.) *Persas quos ad quinquaginta millia captivos secum ducebat, pro innata sibi misericordia a vinculis solvit, ipsosque qua potuit corporis cura, & medela refecit: itaut omnes in lacrimas effusi, votis pro eo conceptis exoptaverint, ut perniciosa illa totius orbis peste Chosroe occiso, ipse universæ demum Persiæ liberator evaderet.* Hucusque Theophanes de rebus

Heraclii misericordia in captivos.

JESU CHR. AN. 624.

bus ab Heraclio hoc anno gestis, cui consentiunt ceteri historici Græci.

Orientalium Saxonum Reges in Anglia occisi.

2. Hoc anno etiam Sexredus, & Sivvardus, qui mortuo Seberto Patri Orientalium Saxonum Regi successerant, & ad cultum idolorum redierant, cum Kinigilso Occidentalium Saxonum Rege pugnantes occisi sunt, ac impietatis suæ pœnas dederunt ut habet Malesburiensis libro de Regibus cap. *6.* Successit in Regnum Orientale Sigebertus cognomento parvus, Siwardi filius inquit Malesburiensis. Sigeberto parvo successit alter Sigebertus, qui christianam fidem in Orientale regnum reduxit, ut infra videbimus.

JESU CHRISTI AN. 624. BONIFACII 5. PAPÆ 6.
HERACLII IMP. 15. ADOALDI LONGOB. REGIS 9.

Tertia Heraclii expeditio in Persas

1. Anno Redemptoris vigesimo quarto supra sexcentesimum, belli Persici tertio, Heraclius Imperator adversus Chosroen expeditione suscepta, in interiora Persidis, victor pertransiit, ac Persarum Duces adversum se a Chosroe missos non semel aut arte fefellit, aut aperta vi repulit, ut narrat Theophanes. Sic igitur, divino consilio factum est, ut ingens altis arbor fixa radicibus domini jussu præcidenda, ad eam sternendam oportuerit annis pluribus laborare: ita Deo, cuncta disponente, ne essent fidentes sibi ipsis, neve dicerent Romani. *Manus nostra excelsa fecit hæc omnia*, quod sane hoc ipso anno clarius patuit, cum res magis deploratæ viderentur, dum derelicto Heraclio a socialibus copiis, satis bene sibi videre poterat esse consultum, si cum reliquis suis, incolumis fines Romanos attingeret.

Melliti Cantuariensis Archiepiscopi obitus, & elogium.

2. Hoc anno Mellitus Londinensis primum Episcopus, deinde Cantuariensis Archiepiscopus, postquam hanc rexisset ecclesiam annis quinque, defunctus est, cujus animi dotes, ac corporis habitum, Beda sic describit, eruntque epitaphii loco. *Erat autem Mellitus quidem corporis infirmitate, idest podagra gravatus, sed mentis gressibus sanus, alacriter terrena quæque transiliens, atque ad cœlestia regna semper amanda, petendo & quærendo pervolans. Erat carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior. Denique ut unum virtutis ejus (unde cetera intelligi possint) testimonium referam, tempore quodam civitas Dorovernensis per culpam incuria*

riæ igne correpta, crebrescentibus cœpit flammis consumi, quibus cum nullo aquarum injectu posset aliquis obsistere, jamque civitatis esset pars vastata non minima, atque ad Episcopum furens se flamma dilataret, confidens Episcopus in Divinum ubi humanum deerat auxilium, jussit se obvians sævientibus, & huc illucque volantibus ignium globis efferri. Erat autem eo loci, ubi flammarum impetus maxime incumbebat, Martyrium Beatorum quatuor Coronatorum. Ibi ergo perlatus obsequentum manibus Episcopus, cœpit orando periculum infirmus abigere, quod firma fortium manus multum laborando nequiverat. Nec mora, ventus qui a meridie flat ubi incendia sparserat, contra meridiem reflexus, primo vim furoris sui a læsione locorum, quæ contra erant, abstraxit, & mox funditus quiescendo flammis pariter sopitis atque extinctis compescuit &c.. Hic ergo postquam annis quinque rexit Ecclesiam, Eadbaldo regnante, migravit ad Cælos, sepultusque est cum patribus suis in sæpe dicto monasterio, & Ecclesia beatissimi Principis Apostolorum, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo quarto, die octavo Kalendarum Majarum, die scilicet 24. Mensis Aprilis, quo ejus memoria martyrologio Bedæ, & Romano inscriptum est.

Justus Mellito succedit.

3. Mortuo Mellito, e Roffensi Episcopatu ad Cantuariensem ecclesiam translatus est, Justus qui Romanum quemdam Roffensi præfecit ecclesiæ ac ordinavit. *Data sibi ordinandi Episcopos auctoritate a Pontifice Bonifacio*, ait Beda, cui & pallium misit. Extatque Bonifacii Papæ epistola apud Bedam. *Dilectissimo Fratri Justo Bonifacius; Quam devote, quamque etiam vigilanter pro Christi Evangelio elaboravit vestra fraternitas, non solum epistolæ a vobis directæ tenor, immo indulta desuper operi vestro perfectio indicavit; nec enim omnipotens Deus, aut sui nominis sacramentum, aut fructum vestri laboris deseruit, dum ipse prædicatoribus Evangelii fideliter repromisit. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem seculi. Quod specialiter, injuncto vobis ministerio, ejus clementia demonstravit, aperiens corda gentium ad suscipiendum prædicationis vestræ singulare mysterium &c.*. Et post aliqua in ejus laudem, subdit Bonifacius Papa. *Susceptis namque apicibus filii nostri Eadualdi Regis, reperimus quanta sacri eloquii eruditione ejus animum ad veræ conversionis, & indubitatæ fidei credulitatem fraternitas*

Beda lib. 2. hist. cap. 8.

Bonifacii Papæ epist. ad Justum.

Mat. 28.

Jesu Chr. an. 625.

tas vestra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementiæ cælestis certam assumentes fiduciam, non solum suppositarum ei gentium plenissimam salutem, immo quoque vicinarum, vestræ quoque prædicationis ministerio credimus subsequendam: quatenus (sicut scriptum est) consummati operis vobis merces a retributore omnium bonorum Domino tribuatur. Et vere per omnem terram exisse sonum eorum, & in fines orbis terræ verba ipsorum, universalis gentium confessio, suscepto Christianæ sacramento fidei, protestatur: Pallium præterea per latorem præsentium fraternitati tuæ, benignitatis studiis invitati, direximus, quod videlicet tantum in sacrosanctis mysteriis celebrandis licentiam utendi impertivimus, concedentes etiam tibi ordinationes Episcoporum, exigente opportunitate, Domini præveniente misericordia, celebrare; itaut Christi Evangelium plurimorum annunciatione in omnibus gentibus, quæ necdum conversæ sunt, dilatetur. Studeat ergo tua fraternitas hoc, quod Sedis Apostolicæ humanitate percepit, intemerata mentis sinceritate servare, intendens cujus rei similtudine tam præcipuum indumentum humeris tuis bajulandum susceperis, talemque te Domini implorata clementia exhibendum stude, ut indulti muneris præmia non cum reatitudine, sed cum commodis animarum ante tribunal summi, & venturi Judicis repræsentes. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater. Hanc epistolam anno 618. refert Baronius, quem Justo quidem datam fuisse scribit, at eo tempore cum adhuc Roffensi ecclesiæ præesset, eam tamen datam fuisse, cum post Melliti obitum, ad Cantuariensem ecclesiam transierat, ad hunc annum pertinere adnotant Usserius & Pagius.

JESU CHRISTI an. 625. Honorii Papæ 1. Heraclii Imp. 16. Adoaldi Longob. Regis 1.

Quarta Heraclii expeditio in Persas, eaque felix.

1. Hoc quoque anno sexcentesimo vigesimo quinto, adveniente vere Heraclius Imperator ex Albania, ubi hiemaverat, Romanorum exercitum educens, Tigri, & Euphrate superato victor ubique, Persiarum duces, solo cedere coegit, itaut Martyropolim, Amidamque transgressus, immensas undique prædas, captivosque exegerit, ac tandem: *Imperator collecto universo exercitu in urbem Sebasteam se recepit, trajectoque Alysfluvio in ea regione per totam hyemem subsistit.* Chos-

Chosroes exinde furore percitus, misit qui donaria, suppellectilemque omnem a cunctis per universam Persiam erectis Ecclesiis auferrent; & ut Imperatori ægre faceret, Christianos ad amplexandam Nestorii superstitionem adegit, ait Theophanes, singulas fere Imperatoris stationes, & cum Persis congressiones persequens, quæ nos in compendium vix attingimus.

Concilium Borealium Anglorum.

2. Dum hæc in Oriente agerentur, Anglicana ecclesia nova plantatione aucta est, cum Angli, qui ad Aquilonarem Humbræ fluminis ripam habitabant, cum Rege suo Eduino, qui Eboraci morabatur, fidei christianæ suscipiendæ spem dederunt; accepta enim ab Eduino Rege in conjugem Edilburga, filia Sancti Ethelberti Regis, & sororis Eadbaldi tunc in Cantia Regis, missus cum ea fuit Paulinus (qui in Angliam a S. Gregorio una cum Mellito, & Justo missus Episcopus Eboracensis ordinatus fuerat a Justo Archiepiscopo Cantuariensi, sub die duodecima Kalen. Augusti, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo quinto, ait Beda, die scilicet 21. Julii, quæ in Dominicam incidit. Quomodo autem hæc facta sint, Beda sic narrat. *Huic*, inquit, *genti occasio fuit percipiendæ fidei, quod præfatus Rex ejus Eduinus cognatione junctus est Regibus Cantuariorum, accepta in conjugem Edelburga filia Edelberti Regis, quæ alio nomine Tate vocabatur. Hujus consortium cum primo ipse, missis procis, a fratre ejus Eadbaldo, qui tunc Regno Cantuariorum præerat, peteret: responsum est, non esse licitum, Christianam virginem Pagano in conjugium dari, ne fides & Sacramenta cælestis Regis, consortio profanarentur Regis, qui veri Dei cultus esset prorsus ignarus. Quæ dum Eduino verba nuncii referrent, promisit se nihil omnibus modis contrarium Christianæ fidei, quam virgo colebat, esse facturum: quin potius permissurum, ut fidem, cultumque suæ religionis cum omnibus, qui secum venissent viris, sive feminis, sacerdotibus seu ministris, more Christiano servaret. Neque abnegavit se etiam eamdem subiturum esse religionem, si tamen examinata a prudentibus sanctior, ac Deo dignior posset inveniri. Itaque promittitur virgo, atque Eduino mittitur, & juxta quod dispositum fuerat, ordinatur Episcopus vir Deo dilectus Paulinus, qui cum illa veniret, eamque & comites ejus, ne Paganorum possent societate pollui, quotidiana exhor-*

Beda lib. 2. cap. 9.

Eduini Regis nuptiæ cum Edilburga christiana.

JESU CHR. AN. 625.

tatione, & sacramentorum cœlestium celebratione confirmavit. Ordinatus est autem Paulinus Episcopus a Justo Archiepiscopo sub die duodecima Kalendarum Augustarum, anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo quinto, & sic cum præfata virgine ad Regem Eduinum, quasi comes copulæ carnalis advenit, sed ipse potius toto animo intendens, ut gentem, quam adibat, ad cognitionem veritatis advocans, juxta vocem Apostoli, uni viro virginem castam exhiberet Christo.

2. Cor. 11.

Paulini studium in conversione Anglorum.

3. *Cumque in eam provinciam venisset, laboravit multum, ut & eos qui secum venerant, ne a fide deficerent, Domino adjuvante, contineret, & aliquos (si forte posset) de Paganis ad fidei gratiam prædicando converteret. Sed sicut Apostolus ait, quamvis multo tempore illo laborante in verbo Deus sæculi hujus excæcavit mentes Infidelium, ne eis fulgeret illuminatio Evangelii gloriæ Christi.* Hucusque Beda de rebus a Paulino gestis hoc anno, reliqua in annum sequentem rejiciens.

2. Cor. 4.

Bonifacii Papæ ad Eduinum epistola.

4. Cum autem hæc Bonifacius quintus Rom. Pontifex cognovit, literas ad Regem Eduinum dedit, quibus eum, ut relicto idolorum cultu, fidem christianam susciperet, hortatus est his verbis. *Viro glorioso Eduino Regi Anglorum Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei. Licet summæ divinitatis potentia humanæ locutionis officiis explanari non valeat; quippe suæ sui magnitudine ita invisibili, atque investigabili æternitate consistit, ut eam nulla ingenii sagacitas, quanta sit, comprehendere, differereque sufficiat: quia tamen ejus humanitas ad insinuationem sui, reseratis cordis januis, quæ de semetipsa proferantur, secreta humanis mentibus inspiratione clementer infundit, ad annunciandam vobis plenitudinem fidei Christianæ, sacerdotalem curavimus sollicitudinem prærogare: ut perinde Christi Evangelium, quod Salvator noster omnibus præcepit gentibus prædicari, vestris quoque sensibus inserentes, salutis vestræ remedia propinemus. Supernæ igitur majestatis clementia, quæ cuncta solo verbo præceptionis suæ condidit, & creavit, cœlum videlicet & terram, mare & omnia quæ in eis sunt (dispositis ordinibus, quibus subsisterent) coæterni Verbi sui consilio, & Sancti Spiritus unitate dispensans, hominem ad imaginem & similitudinem suam ex limo terræ plasmatum constituit, eique tantam præmii prærogativam indulsit, ut eum cunctis præ-*

præponeret, atque servato termino præceptionis, æternitatis subsistentia præmuniret. Hunc ergo Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quod est individua Trinitas, ab ortu solis usque ad occasum humanum genus, quippe ut creatorem omnium, atque factorem suum, salutifera confessione fide veneratur, & colit; cui etiam summitates imperii, rerumque potestates submissæ sunt: quia ejus dispositione omnium prælatio regnorum conceditur. Ejus ergo bonitatis misericordia, totius creaturæ suæ dilatandæ subsidiis etiam in extremitate terræ positarum gentium corda frigida, Sancti Spiritus fervore, in sui quoque agnitione mirabiliter est dignata succendere. Quæ enim in gloriosi filii nostri Audobaldi Regis, gentiumque ei suppositarum illustratione clementia Redemptoris fuerit operata, plenius ex vicinitate locorum vestram gloriam conjicimus cognovisse. Ejus ergo mirabile donum, & in vobis certa spei cœlestis longanimitate conferri confidimus: cum profecto gloriosam conjugem vestram, quæ vestri corporis pars esse dignoscitur, æternitatis præmio per sacri baptismatis regenerationem illuminatam agnovimus. Unde præsenti stylo gloriosius vos adhortandos cum omni affectu intimæ charitatis curavimus; quatenus abominatis idolis, eorumque cultu, spretisque Fanorum fatuitatibus, et auguriorum deceptibilibus, blandimentis, credatis in Deum Patrem omnipotentem, ejusque Filium Jesum Christum, & Spiritum Sanctum: ut credentes a diabolicæ captivitatis nexibus, sanctæ & individuæ Trinitatis cooperante potentia, absoluti, æternæ vitæ positis esse participes.

Jesu Chr. an. 625.

5. *Quanta autem reatitudinis culpa teneantur adstricti hi, qui idolatriarum perniciosissimam superstitionem colentes amplectuntur, eorum quos colunt exempla perditionis insinuant. Unde de eis per Psalmistam dicitur: Omnes dii gentium Dæmonia, Dominus autem Cælos fecit. Et iterum: Oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt: nares habent, & non adorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt. Similes ergo efficiuntur his, qui spem suæ confidentiæ ponunt in eis. Quomodo enim juvandi quamlibet possunt habere virtutem ii, qui ex corruptibili materia, inferiorum etiam, suppositorumque tibi manibus construuntur, quibus videlicet artificium humanum accomodans, eis inanimatam membrorum similitudinem*

Quam inanis & falsus esset Idolorum cultus.
Psal. 95.
Psal. 113.

contulisti, qui nisi a te moti fuerint, ambulare non poterunt, sed tamquam lapis in uno loco positus, ita constructi, nihilque intelligentiæ habentes, ipsaque insensibilitate obruti, nullam neque lædendi, neque juvandi facultatem adepti sunt? Qua ergo mentis deceptione eos Deos, quibus vos ipsi imaginem corporis tradidistis colentes sequimini, judicio discreto reperire non possumus &c. Pluribus ergo Regem hortatur, ut abdicato Idolorum cultu, Cristianæ religioni nomen, suscepto baptismate, daret, ut ibidem videre est. Ac tandem munera se ad eum hæc misisse narrat. *Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri Apostolorum Principis vobis direximus, id est, camisiam cum ornatura in auro una, & lana Ancyr ana una: quod petimus ut ea benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum.* Hucusque Bonifacius ad Eduinum Anglorum Regem, nondum Christianum.

Bonifacii Papæ epist. ad Edilburgam.

6. Ad Conjugem quoque ejus Edelburgam (subdit Beda) hujusmodi litteras idem Pontifex misit quarum hæc erat inscriptio. Exemplar epistolæ beatissimi & Apostolici Bonifacii Papæ urbis Romæ directæ Edelburgæ Reginæ Eduini Regis. *Dominæ gloriosæ filiæ Edelburgæ Reginæ, Bonifacius Episcopus servus servorum Dei. Redemptoris nostri benignitas humano generi, quod prætiosi Sanguinis sui effusione a vinculis diabolicæ captivitatis eripuit, multa providentia, quibus sanaretur, propinavit remedia: quatenus sui nominis agnitionem diverso modo gentibus innotescens, Creatorem suum suscepto Christianæ fidei agnoscerent sacramento: quod quidem in vestræ gloriæ sensibus cœlesti collatum munere, mystica regeneratio vestræ purgationis patenter innuit. Magno ergo largitatis Dominicæ beneficio mens nostra gaudio exultavit, quod scintillam Ortodoxæ religionis in vestri dignatus est conversione succendere; ex qua re non solum gloriosi conjugis vestri, immo totius gentis suppositæ vobis intelligentiam, in amorem sui facilius inflammaret. Didicimus namque, referentibus his, qui ad nos gloriosi filii nostri Audobaldi Regis laudabilem conversionem nunciantes pervenerunt, quod etiam vestra gloria, Christianæ fidei suscepto mirabili sacramento, piis & Deo placitis jugiter operibus enitescat, ab idolorum etiam cultu, seu Fanorum, Auguriorumque illecebris se diligenter abstineat, & ita in amore Redemptoris sui immutata devotione persistens invi-*

invigilet, ut ad dilatandum Christianam fidem incessabiliter non desistat operam commodare. Cumque de glorioso Conjuge vestro paterna charitas sollicite perquisisset, cognovimus quod eatenus abominandis idolis serviens, ad suscipiendam vocem prædicatorum, suam distulerit obedientiam exhibere. Qua ex re non modica nobis amaritudo congesta est, ab eo quod pars corporis vestri ab agnitione summæ, & individuæ Trinitatis remansit extranea. Unde paternis officiis vestræ gloriosæ Christianitati nostram commonitionem non distulimus conferre, adhortantes, quatenus divinæ inspirationis imbuta subsidiis importune, & opportune agendum non differas ut & ipse Salvatoris nostri Domini Jesu Christi cooperante potentia, Christianorum numero copuletur, ut perinde intemerato societatis fœdere jura teneas maritalis consortii &c. Post plurima in eamdem rem, munera quoque fœmineo sexui propria se misisse, his verbis admonet. *Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri Apostolorum Principis vobis direximus, idest, speculum argenteum, & pectinem eburneum inauratum: quod petimus ut eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum. Hactenus ad Reginam Bonifacius Papa.* Quomodo autem vir ejus Eduinus Rex Christianam fidem suscipere differens, urgentibus malis tandem reliquit idola, atque demum effectus sit Christianus, suo loco dicturi sumus.

Bonifacii Papæ 5. obitus.

7. Post hæc pastolaris sollicitudinis edita monumenta, hoc ipso anno die vigesima secunda octobris supremum diem obiit Bonifacius, ac *sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum die vigesimo quinto mensis Octobris*. De duratione sedis Bonifacii quinti una est eruditorum opinio; ipsum scillicet sedisse annos quinque menses decem, licet in vulgato Anastasio, aliisque Codicibus legatur ipsum sedisse *annos quinque, & dies tredecim*. At hæc ex ejusdem Epitaphio emendantur, ex quo constat eum annos quinque menses decem Romanam ecclesiam gubernasse; nam post multa in ejus laudem dicta, ultimis versibus hæc ibidem leguntur.

Culmen Apostolicum quinque & bis mensibus annis
Rexit & ad magni culmen honoris abit.

Aliud extat epitaphium, eidem ab Honorio in Pontificatu successore dicatum, his versibus.

Cur

JESU CHR. AN. 625.

Cur Protelata diu torpuerunt jura ſepulchri
Et populi nullius perſtrepuit gemitus?
Segnities, non culpa fuit, ſi forte requiris:
Nam dolor incluſus plus lacerare ſolet.
Pande dolor gemitum, meritiſque quieſce beatis,
Ut libeat ſummi geſta referre Patris.
Hic Vir ab exorto Petri eſt nutritus olivo,
Sic meruit ſancti paſtor adeſſe gregis.
Simplicitas, ſapiens, vivax: ſolertia, ſimplex,
Serpentina, fuit ſimplicitate vigens.
Cumque quater denos compleret Presbyter annos,
Sera ſenectutis mens tamen alma fuit.
Culmen Apoſtolicum coluit ſex ferme per annos
Perfectum numerum terque quaterque gerens.
Hoc ſibi pro meritis ſucceſſor Honorius amplis
Marmore conſtruxit munus Epitaphii.

Honorius creatur R. Pontifex.

8. Poſt Bonifacii mortem Romana vacavit ſedes per menſes ſex dies XVIII., ait Anaſtaſius; Hinc Honorii creationem ad annum ſequentem differt Baronius, die 13. martii, Papebrocius die 28. Septembris ejuſdem anni: At interpontificium in vulgatis, & mſſ. Anaſtaſii exemplaribus mendoſe deſcriptum fuiſſe, ex duratione ſedis Honorii ſatis conſtat, ut in ejus morte dicemus, qui conſecratus fuit hoc anno die 27. menſis octobris, quæ in Dominicam incidebat. Quare Pontificatus per dies tantum quinque ceſſavit, ut habet Pagius, vel dies 16. ut in pervetuſto Anaſtaſii Codice, in pluteis bibliotecæ cathedralis eccleſiæ S. Martini Lucenſis aſſervato, quem exaratum aſſerit ſæculo VIII., etſi alias Pontificum ſequentium vitas contineat; In eo Codice ubi in vulgatis Anaſtaſii legitur. *Ceſſavit Epiſcopatus menſes ſex, dies* 14. legitur *ceſſavit &c. dies* 13. juxta quam lectionem Honorii ordinatio collocanda eſſet die 3. non. Novemb. hujus anni, de die ordinationis parum intereſt, verum hoc anno Honorium ordinatum in Pontificem, non ſequenti, ſatis clare demonſtrat ejuſdem Pontificis epiſtola, quam infra recitabimus ad Epiſcopos Epiri, quæ data dicitur idibus Decembris indict. 14., ideoque hoc anno, quo Kal. Septembris indictio

ctio 14. usurpari cœpit, hanc epistolam in lucem edidit Holstenius in collectione Romana post Baronii mortem vulgata. Hanc tamen Papebrochius, qui Bonifacii V. mortem in sequentem annum differt, mendosam esse contendit. Qua autem ratione tam cito, non expectato Heraclii Imperatoris consensu Honorius ordinatus fuerit, necessitas suadere id potuit, cum præsertim hoc tempore Constantinopoli abesset Heraclius bello Persico intentus, ac Imperatoris vices Exarchus supplere potuit, uti labente hoc seculo non semel accidit. Cum Romani Pontificis Exarchi tantum expetito consensu ordinati sunt. Sicuti in Bonifaciio ipso Honorii decessore contigit, qui post mensem unum dies 16. a morte Deusdedit, non petito, neque expectato Imperatoris consensu ordinatus fuerat.

Honorii epistola ad Episc. Epiri.

9. Ordinato in summum Pontificem Honorio Idibus Decembris indict. 14., epistolam dedit Episcopis Epiri, a quibus rogatus fuerat, ut Hipatio ad Nicopolitanam ecclesiam evecto, pallium mitteret, quorum votis se pollicetur satisfacturum, si Hypatius Romam veniens, super corpus Beati Petri jurejurando diluisset impactum crimen, quo diffamatus fuerat, scilicet se in Soterici decessoris sui nece fuisse immixtum Epistola autem Honorii hæc continet. *Hanoticus, Joanni, Andreæ, Stephano, & Donato Episcopis per Epirum constitutis. Præsentium latores juxta ecclesiasticam disciplinam pallium nos Hypatio Nicopolitanæ Ecclesiæ diacono, quem in sacris ordinibus Episcopum ordinastis, petierunt votis supplicibus dirigendum: Et quia ejus persona pendula nos dubietate sollicitat, ne fortassis in nece Soterici præfatæ civitatis antistitis videatur esse commixta, præsentium portitoribus quantum opinari visi sumus reddidisse responsum; ut assumpto fastigio, eum præsertim tempora pacis patiantur, in has Romanas partes venire deproperet: ut jusjurandum in confessione Beati Petri Apostoli præbeat, quod nullo dolo, vel machinatione a se constructa, aut aliis hæc machinantibus præbuit in his quoquo modo consensum: ut ab omni vitio dubietatis exempto possimus secundum ecclesiasticum ordinem tribuere quod rogamur. Nam dum prædictus Sotericus de quibusdam capitulis fuisset suspectus, in hanc Urbem deveniens ad Beatum Petrum Apostolorum Principem de conscientiæ suæ puritate præbuit nihilominus jusjurandum. Data Idus Decembres, Indictione XIV.*

10. Hoc

Jesu Chr. an. 625. Isidorus absolvit chronicon Gothorum.

10. Hoc anno qui quintus est Suinthilæ Regis Hispaniarum, Isidorus Hispalensis Episcopus chronicon Gothorum absolvit, atque his verbis claudit. *Comportatis Gothorum Regum temporibus, ab exordio Athanarici Regis usque ad quintum gloriosissimi Synthilani principis annum, regnum Gothorum per annos CCLVI. Deo favente reperitur esse porrectum*. Quare cum Athanaricus anno Christi CCCLXIX. regnum inierit, manifestum est, non solum Isidorum hoc anno finem Chronico suo imposuisse; sed etiam hunc esse quintum Sinthilani Regis. Ideo autem Isidorus ab Athanarico potius, quam ab aliquo alio Gothorum Rege hoc intervallum metitur, quia is primus Rex e gente sua fuit, qui Christianam religionem amplexus est contaminatam tamen Ariana hœresi, quia Valens Imperator, a quo Doctores Christianos petierat, misit ad eum Episcopum Arianum. Suinthilam autem laudibus cumulat Isidorus, ita ut non solum populorum Regem, sed etiam pauperum patrem dixerit; quem etiam Gothorum Regnum, ejectis inde Romanis, dilatasse idem Isidorus adnotat.

De synodo Rhemensi.

11. Ex Hispania in Gallias oratio transeat, ubi Rhemis celebrata est synodus, præside Sonnatio ejusdem civitatis Episcopo, cum aliis quadraginta, vel amplius Galliarum Episcopis, quorum nomina, sicut, & canones in ea editi recitat Flodoardus lib. 2. cap. 5. ex Episcopis, qui huic concilio interfuere multi doctrina, & sanctitate conspicui, in tabulis ecclesiasticis inscripti leguntur, inter eos Sulpicius Bituricensis Episcopus, Modoaldus Trevirensis, Arnulphus Metensis, de quo anno 615. plura diximus. Conebertus Coloniensis, & Donatus Vesontiensis: Hic monasterium virorum in ea urbe construxit, aliudque puellarum mater ejus Flavia; Alterum etiam virorum, in saltu Jurensi ejus Frater Ramelenus, ut legitur in vita S. Columbani a Jona scripta. S. Donatus post aliquot annos a præfati monasterii monialibus rogatus, regulam, quam custodirent, ex sanctorum Cæsarii, Benedicti, Columbani regulis collegit, ut in præfatione ejus ipsemet testatur. Extat ea in tertia parte regularum ab Holstenio editarum, & explicatur a Cointio anno 626. annalium Francorum, constatque capitibus 77., quam in fine prologi monialibus sic commendavit: *Vos Sanctas animas, mentesque Deo deditas coram Omnipotenti Deo spirituali affectu obsecrare compellor, ut hæc eadem*

Viri sanctitate illustres. *Concil. Rhemensi subscripti.* S. Donati regula pro monialibus.

dem vestræ petitioni statuta, absque ulla dumtaxat refragatione, indesinenti studio, mente sagaci conservare studeatis, & juniores, vel etiam negligentes juxta tenorem ipsius regulæ exerceatis; & eam sæpius coram omni congregatione legatis, ut nulla se de ignorantia excusari possit. Juniores corrigite. Anus obsecrate, Præpositæ vestræ in omnibus obedite, negligentias vestras indesinenter ei aperite, altera alterius onera portate invicem vos omnes puro & casto amore diligite, ut veniente Sponso vestro, Domino Jesu Christo, plenis oleo, ac relucentibus lampadibus occurratis, tripudiantesque dicatis singulæ (invenit quem quæsivit anima mea.) Hoc ergo ego omnium ultimus specialius almitati vestræ humili, & subnixa prece deposco, ut pro me, qui petitioni vestræ obtemperans, hæc per cola, vel commata temperavi, tam in diversis, quam in nocturnis officiis dum in hoc luteo corpusculo dego, creberrimas fundatis preces, & postquam Domino jubente migravero, sacras pro me hostias offerri Domino faciatis, quatenus cum vobis in choro sacrarum ac sapientium virginum, virginitatis palma beatitudoque tribuetur, saltem mihi cunctis onerato peccatis delictorum venia tribuatur. Hæc pro regulæ observantia, at pro se ipso, ad prologi finem apposuit auctor.

Summa canonum Concili Rhem.

12. Vigintiquinque canones in Rhemensi concilio sunt editi, quorum summa hæc est. Primus statuit, ne bona Ecclesiæ jure precario impetrata, diuturnitate temporis ab aliquibus usurpentur. Secundus, Clericos in Episcopum conjurantes e gradibus suis dejicit. Tertius, Synodi quintæ Parisiensis Decreta confirmat. Quartus, Episcopos hortatur ad Hæreticorum conversionem, si qui sint adhuc in Galliis. Quintus, temere quemquam excommunicari vetat. Injuste excommunicatis querimonias ad Synodum deferre permittit. Sextus, Judices qui clericos publicis actionibus implicare, aut pro quibuslibet causis, ad se vocare, absque consensu Episcopi, ausi fuerint, arcet a communione. Eos, quos publicus census spectat, sive qui in publicis rationibus inscripti sunt, Clericos aut Monachos fieri prohibet absque licentia Principis, vel Judicis. Septimus, eos qui reum ad asylum Ecclesiarum confugientem inde abstraxerint, sacramento de illius securitate non dato, a communio-

JESU CHR. AN. 625.

Inceftarum conjunctionum pœnæ.

munione removet. Octavus, inceftarum conjunctionum reos, non folum a communione, fed a militia, & a caufarum advocatione repellit; ideoque eos ad regem, vel ad Judices deferri jubet. Ipforum vero bona propriis parentibus addicit; ea lege, ut neque ea redimere, nec parentum ceffione, nec Regis auctoritate, nec quibufvis artibus ea recipere poffint, nifi feparati Pœnitentiam egerint. Nonus, Homicidas, ad obitum ufque, communione interdicit. Eos excipit, qui vim non facientes, fed repellentes, aliquem occiderint. Decimus, ab Ecclefiis tamquam *Necatores pauperum* excludi jubet eos, qui oblationes parentum Ecclefiis relictas retinuerint, aut proprias abftulerint. Hic Canon exfcriptus eft ex Synodo Agathenfi, quem his verbis laudat: *Sicut ante Synodus Sancta conftituit*. Canon XI. Chriftiana mancipia Judæis venumdari prohibet: aut Judæos ipfos ad actiones publicas admitti. XII. Clericos, abfque fui Epifcopi epiftolis, in alias urbes, & Provincias profectos, recipi vetat. XIII. prohibet ne Epifcopus, mancipia, vel res Ecclefiæ vendat, aut quovis modo alienet: XIV. publicæ pœnitentiæ addicit, eos, qui auguria obfervant, vel quofvis ethnicæ fuperftitionis ritus imitantur, nifi admoniti errorem emendaverint. XV. Servis jus accufandi negat, & accufatores, qui in unius criminis probatione defecerint, ad aliorum accufationem recipiendos non effe ftatuit. XVI. a communione Chriftianorum penitus abdicat eos, qui morientis Epifcopi, vel Ecclefiæ res, & fuppellectilem contingerint ante referationem teftamenti. XVII. In eos qui ingenuum quempiam fervituti addicere voluerint, excommunicationem decernit. XVIII. Clericos pro caufis Ecclefiafticis, aut propriis agendis forum adire vetat abfque licentia Epifcopi. XIX. Archipresbyteros ex laicis repente fieri prohibet. XX. Quod Epifcopo donatione, aut teftamento relinquitur, five cum Ecclefia, five feorfim, nulla facta Ecclefiæ mentione, in cenfum Ecclefiæ referri jubet: *Quia juftum eft, ut ficut Sacerdos habet quod Ecclefiæ dimiffum eft, ita & Ecclefia habeat, quod relinquitur Sacerdoti*. XXI. Epifcopum, qui res alienas ufurpat, ut pauperum necatorem depouit. XXII. Epifcopum facra vafa frangentem ab officio dejicit, nifi arcta neceffitas pro redemptione captivorum ea frangere compulerit.

rit. XXIII. Raptores viduarum, aut puellarum Deo consecratarum perstringit, & raptores communione privat. XXIV. Judices qui Clotarii II. Edictum Parisiis datum violaverint, aut contempserint, excomunicatione ferit. XXV. In locum defuncti Episcopi, totius populi votis, & comprovincialium Episcoporum suffragiis, loci indigenam eligi jubet. Hactenus Concilii Rhemensis Canones; quod etsi cum anno 630. alligaverit Sirmondus, ultra tamen hunc annum, non esse differendum demostrant, Pagius, Labbeus, Natalis Alexander, aliique.

Italiæ pax turbatur.

13. Pacem in Italia hoc tempore sub Adoaldo Longobardorum Rege fuisse, vel ipsa Honorii Papæ verba in epistola ad Episcopos Epiri indicat. Nam Hipatium Nicopolis Episcopum mox ordinatum, ut Romam se sisteret, admonens; addit: *Cum præsertim tempora pacis patiantur in has Romanas partes venire*. Theodolindæ quippe consiliis, & prudentia, pacis fœdera cum Græcis inita illibata servabantur; itaut etsi Longobardi sub Adoaldo Rege, in tota fere Italia dominarentur, Roma ejusque Ducatus, cum Ravenna, & Pentapoli seu Exarchatu, exceptis, ubi Græcorum Imperium vigebat; Undique nihilominus pax alta vigebat, etsi Romanum Ducatum a Longobardis undique obsideretur, utpote inter Beneventanum, & Spoletanum Ducatum Longobardorum potestati subditum. Quare, ut non semel eruditi viri Muratorius in annalibus Italicis, & Zannetti in historia Longobardorum; quos nefandos, & omni execratione dignos, Longobardos olim dixerat S. Gregorius Papa; temporis lapsu, barbaris mutatis moribus; pacem non solum fovere, sed fidem hostibus datam servare didicerant; Cum vero hoc anno Theodolinda e vivis erepta fuisset, ac Adoaldus filius ejus Longobardorum Rex, piæ ac prudentisimæ matris consiliis orbatus, sese in vitiorum gurgitem dedisset, Longobardorum opera Regno primum dejectus, paulopost vivere etiam hoc anno desiit.

Theodolindæ Longob. Reginæ obitus.

14. De Theodolindæ autem obitu nonnulla nunc præmittimus, quam uno aut altero ab hinc anno obiisse scimus, etsi annus obitus in obscuro sit, filium tamen præcessisse non est dubitandum, eamque Modnetiæ in ecclesia Sancti Joannis Baptistæ, quam ipsa magnificentissime ædificaverat, sepultam fuisse scimus, cujus corpus seculi decimiquarti initio ibidem repertum,

Jesu Chr. an. 625.

in marmoreo loculo reconditum fuisse refert Galvanus Flamma apud Muratorium, atque usque ad hanc diem in eadem ecclesia, die undecima Januarii, pro ejusdem anima solemnes celebrantur exequiæ, qua die fortasse obiit, aut sepulta est, Sanctissimam fœminam a Sancto Gregorio multis laudibus celebratam, cujus etiam opera, & studio Longobardorum pars maxima ad catholicam fidem conversa est. Fabulis quidem suis, quæ Novellæ dici solent, Joannes Boccacius hujus fœminæ castitatem, morumque integritatem, nugis suis obscurare conatus est; at piæ fœminæ innocentiam quamplurimi tutati sunt.

Adoloaldus Rex Longobardorum Regno dejicitur, ejus obitus.

15. Tristior Adoaldi Theodolindæ filii, ac Longobardorum Regis exitus fuit; nam cum post matris obitum insanæ crudelitatis non obscura indicia dedisset; ita ut Longobardorum Principes usque ad ultimum interficere meditaretur, tamquam insanus Regno dejectus est, ac paulo post, sive veneno, aut mœrore, vel morbo, mortuus est, ac communi Longobardorum Principum voto Arioaldus Taurinorum Dux, ut Longobardis præesset, electus est; ut Paulus Diaconus narrat. *Cum Adaloaldus mente eversa insaniret, postquam cum matre decem regnaverat annos, de regno ejectus est, & a Longobardis in ejus loco Arioaldus substitutus est.* Hæc de quo Fredegarius qui seculo octavo floruit, narrantur. *Anno quadragesimo Clotarii Adoloaldus Rex Longobardorum filius Agonis,* (sive Agilulphi) *cum Patri suo successit in Regnum, legatum Mauritii Imperatoris* (dicere debuit Heraclii) *nomine Eusebium ingeniosi ad se venientem benigne suscepit: Inunctus in balneo nescio quibus unguentis, ab ipso Eusebio persuadetur: & post inunctionem nequidam aliud, nisi quod ab Eusebio hortabatur, facere non poterat. Persuasus ab ipso ut nobiliores Primates in Regno Longobardorum interficere ordinaret: Quod cum jam duodecim ex eis nullis culpis extantibus, gladio trucidasset, reliqui cernentes eorum vitæ esse periculum, Charoaldum Ducem Taurinensem, qui germanam Adoloaldi Regis habebat uxorem, nomine Gundebergam omnes seniores, & nobilissimi Longobardorum gentis conspirante consilio in Regem erigunt sublimandum. Adoaldus Rex veneno hausto interiit. Charoaldus statim Regnum arripuit.* Hæc Fredegarius, qui etsi in aliquo erraverit, ut dum Mauritii legatos ad Adoaldum missos narrat, aut in eam crudelitatem

tem

item veneficiis, & unctionibus tractum, Longobardorum nobiliores, hortante Eusebio interfecisse, quasi id sine incantationibus fieri non potuisset, quem potius ob propinatum venenum in insaniam incidisse, vero proprius est. Quæcumque tamen fuerit Adoloaldi Regis aut mentis insania, vel infirmitas, aut in Longobardorum Principes sœva crudelitas, unde Regno dejici, ac etiam veneno e vivis eripi meruerit, negari tamen non potest, Longobardorum magis factione, quam justitia, aut ratione id exigente, factum id fuisse, quod etiam indicat Honorii Papæ epistola ad Isacium Exarchum data, qua eum excitat, ut Adoloaldi causam totis viribus tueretur, eumque injuria, ac vi Regno dejectum, in pristinam dignitatem restituere conaretur. Cum enim Sanctus Pontifex accepisset ejectum Regem, qui catholica fide præstabat, ac in ejus locum subrogatum Ariovaldum hæresi Arianæ addictum; nil studii, ac sollicitudinis prætermisit, ut Adoaldus restitueretur, & ut Episcopi Cisalpini, quorum favore Ariovaldus Arianus evectus fuerat, merita afficerentur pœna.

Honorii epistola ad Isacium Exarchum pro restitutione Adoaldi Regis

16. Hinc ajebat. *Delatum est ad nos Episcopos Transpadanos Petro Pauli filio suadere conatos esse, ut Adalvaldum Regem desereret, Ariovaldoque Tyranno se applicaret. Quamobrem, quia Petrus pravis eorum consiliis suis respuit obedire, & sacramenta Regi Agoni (Agilulpho videlicet) Adalvaldi patri præstita sancte cupit servare: & quia hoc Deo, & hominibus est ingratum, ut qui tale facinus vindicare deberent, eorum ipsi suasores existant, rogamus vos ut postquam Adalvaldum divino in Regnum (ut speramus) auxilio reduxeritis, prædictos Episcopos Romam mittere velitis, ne scelus hujusmodi impunitum relinquamus*: Hæc Honorius ad Exarchum, sed ejus sollicitudinem irritam reddidit ejusdem Adalvaldi mors, nulla enim amplius de eo mentio occurrit, ac Isacius cum novo Rege pacem firmavit. Singularis Pagi opinio fuit, quam nemo (ut sciam) ex viris doctis sequitur, Adoloaldum Regno non fuisse toto submotum, sed tantum ex parte, ita ut per aliquot annos, ut minus quadriennio, Longobardici Regni partem tenuerit, & Ticinum, ejecto Ariovaldo iterum recuperaverit, idque probare nititur tum ex Honorii sollicitudine pro ejusdem in Regnum restitutione, cum ex diplomatibus duobus ejusdem Regis Attalæ, & Bertulpho in Bobiensi monasterio successori datis indict. XV. & indict. I. an-

JESU CHR. AN. 625. *Murat. an. 625. Zannetti hist. Longob. l. 3. pag. 242. & 43.*

annis scilicet 627. & 627.. Sed ut notatum a Muratorio; de eorum ingenuitate dubitari merito potest, uti apud Muratorium, vel Zannetti in historia Longobardorum videre est. Hic itaque, vel insequens annus Ariovaldi Regis primus fuit, cujus Regnum, ut auctor est Paulus Diaconus, decennale fuit, de cujus gestis idem auctor adnotat: *De cujus Regis gestis, ad nostram notitiam minime aliquid pervenit.* Nonnulla tamen ex aliis auctoribus narrantur, inter quæ memoria digna sunt, quæ Jonas hujus ætatis scriptor refert in vita Sancti Bertulphi Bobiensis monachi & Abbatis post Attalam: Cum etenim Bertulphus Abbas, litem nescio quam cum Prouso Dertonensi Episcopo haberet, Arianum Regem imprudens interpellavit, at Rex etsi Arianus, scite admodum respondet. *Non est meum Sacerdotum causas discernere, quas synodalis examinatio ad purum debet judicare*, ac ad Romanum Pontificem ire permisit, ut ab eo lis finiretur. Ita plane, ut habet Card. Baronius, adeo perspicuum est, semper sacra per homines sacros, & ecclesiastica per ecclesiasticos viros tractari debere, ut etiam Principes hæretici, non semel id testati sint. Rem gestam pluribus narrat Jonas in vita Bertulphi Abbatis Bobiensis, ac addit quod cum Dertonensis Episcopus nomine Prowm Bobiense monasterium suæ potestati subjicere vellet, Regem Ariovaldum interpellavit. At cum ille eorum judex esse noluerit, causa ad Honorium Papam delata est, ac Romam usque supradictus Abbas. *In cujus obsequio ego fui*, ait Jonas, *cumque cuncta alacri animo in aures Præsulis digessisset, placuit Honorio regularis series, religionis cultus, ac humilitatis indicia. Tenuit ergo eum tantisper, & quotidiano affamine Bertulphum roborare nisus, ut cœpti itineris laborem non relinqueret, & Arianæ pestis perfidiam Evangelii mucrone ferire non abnueret: Erat enim venerabilis Præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarens, dulcedine, & humilitate pollens; lætabatur a Gentibus socium reperisse, cum quo dulcia promeret affamina: nec prorsus delectabatur ut cito ab ejus consortio segregaretur.* Abeunti privilegium Honorius Papa dedit, ut nullus Episcoporum in præfato Cœnobio dominaretur. Roma autem abeunte Bertulpho comite Jona, cum in castrum cui *Bismantum* nomen erat, advenissent, Bertulphus adeo gravi morbo affectus est, ut vix vitæ spes aliqua superesset; cum

Sapiens responsum Adovaldi Regis.

Bertulphus Bobiensis Abbas ab Episcopo Dertonensi exagitatur.

Honorium Papam adit.

cum ecce in vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli repente sanatus est, cum ei S. Petrus apparuisset, ut idem auctor narrat. Hæc, & alia de Bertulpho Bobiensi monacho Jonas, qui etiam addit, eum catholicæ fidei zelo abreptum, ne salutem quidem Ariovaldo Regi Ariano dixisse, cum eum Ticinensi in urbe obviam habuisset; Ob quam causam Regis jussu, fustibus gravissime cæsus, Dei ope repente sanatus est; Is vero, qui monachum fustibus percusserat a Dæmone correptus, & diversis pœnarum modis vexatus est. Quare facinus videns Ariowaldus divinitus manifestatum, confusus & metuens, ne sibi aliquid simile eveniret, ipsum quem vis Dæmonis torquebat, cum sociis ad beatum Attalam dirigit, adprecans, ut commissum malum ignosceret, cui etiam munera misit. Beatus vero Attala, munera quidem Ariani Regis respuit, sed facta cum monachis suis oratione, obsessum a Dæmone liberavit, ut longa oratione Jonas monachus refert. Cum autem hæc sub Ariovaldo Rege gesta esse adnotat, nec quo anno Regni ejus contingerint dicat, eadem hic recensuimus sub initio Regni ejus; quæ etiam ad annum 626. a Mabillonio recitantur.

Dona Ariani Regis rejicit Attala.

Mabill. Annal. Ord. Bened. tom. 1. p. 163.

JESU CHRISTI AN. 626. HONORII PAPÆ 2.
HERACLII IMP. 17. ARIOALDI LONGOB. REGIS 2.

1. Hoc Christi anno 626. belli Persici quinto, cum Chosroes undique terga vertere, non sine ignominia coactus fuisset, ut Heraclium e Perside revocaret, Constantinopolim ipsam ingentibus copiis aggredi jussit, excitatis etiam adversus Romanos barbaris, & præcipue Chagano Avarum Principe, cui etiam Bulgarii, Sclavi, & Gepidæ sociati sunt. Quare ad Regiæ urbis defensionem maximam sui exercitus partem, Heraclius misit, divinoque auxilio protectus, cum dejectæ pene, aut desperatæ Romanorum res esse viderentur, illustrem undique de Persis victoriam retulit. Rem gestam narrant historici Græci, ex quibus Alexandrinum chronicon adnotat, B. Virginis Mariæ intercessione urbem ab imminenti excidio ereptam fuisse; cum etenim Salbaras, Persici exercitus Dux expectaret Chagani adventum: *Complures ante dies castris ad Chalcedonem positis, suburbana omnia, & sacras ædes incendio sacrilege absumpsit: ibique mon-*

Quinta Heraclii expeditio in Persas.

Jesu Chr. an. 626.

mansit, illius adventum præstolatus. Itaque XXIX. Junii mensis, præsentis XIV. Indictionis, die scilicet festo Sanctorum & illustrium Coryphæorum Apostolorum Petri & Pauli, accessit prima acies Deo odiosi Chagani, triginta circiter hominum millium, per nuntios promulgantis se quamprimum Longum Murum occupaturum, & quidquid intra illum est: itaut quotquot ex equitibus ac fortissimis militibus, qui hactenus extra Urbem erant, hoc ipso die, qui in Dominicam incidit, intra novum Theodosiacum murum hujus Urbium reginæ se confestim reciperent. Mansitque prima ista acies circa Melantiadem, paucis ex iis usque ad muros per intervalla excurrentibus, & quemquam exire, vel ad equorum pabulationem quidquam colligere prohibentibus. Post aliqua, addit, quod cum frustra cum Avarum Rege de ineunda concordia actum esset; longa tandem obsidione fatigatus, ac præliis attritus, inde abire coactus est idem Avarum Dux, postquam incendiis, & rapinis sacra, & prophana urbis suburbana violasset, ut pluribus narrat Alexandrinum chronicon, quin addit Nicephorus. *Tanta cædes hostium facta est, ut mare ipsum purpureo colore tingeretur.* Urbem tamen Regiam Beatæ Mariæ Virginis protectione, ab Avarum clade ereptam fuisse, apertis verbis non solum Theophanes, ceterique scriptores Græci testantur, sed etiam confirmat Georgius Pisida dictus, utpote in Pisidia ortus, CPolitanæ ecclesiæ Diaconus, & scriptor coevus, qui non solum bellum ad mœnia CPolis gestum describit; sed etiam in gratiarum actionem hymnum Agatistum in Beatæ Virginis laudem addidit. Is porro cum Heraclio Imperatori comes fuerit in Persica expeditione, libris tribus, seu Acroasibus, Heraclii in ea expeditione gesta, & victorias, versibus suis celebravit; quibus etiam vitam & Martyrium Sancti Anastasii Persæ & monachi addidit; cetera ejusdem opuscula versibus digesta, ut libros in Hexameron, aliosque de bello ad urbem CPolim gesto, & de expeditione Heraclii Imp. adversus Persas, & de martyrio S. Anastasii Persæ monachi commemorasse hoc loco juvabit, ne sua laude frustretur eruditissimus vir, mihique longa familiaritate & amicitia charissimus Franciscus Foggi-nus Vaticanæ bibliothecæ alter Præfectus, qui hos Pisidæ libros, ad ecclesiasticæ historiæ illustrationem paucis ab hinc annis ele-

gan-

gantissimis typis vulgavit; Præfationibus, notisque eruditissimis locupletavit; ac Byzantinam historiam novo hoc volumine auxit. Eodemque tempore, quo Avares ab urbe Regia, cum maxima eorum strage, Heraclius repulit, cum exercitus parte altera in interiora Persidis pertransiit; ac, *consertis ad invicem manibus, Deo laudatissimæ Dei Genitricis precibus manifeste opitulante, grando vehemens ex inopinato in Barbaros delata, plures eorum vulneravit. Interim Romana acies tranquilla aeris serenitate fruebatur. Persas igitur in fugam Romani vertunt, & ex eis copiosum numerum prosternunt*. Quibus, aliisque feliciter gestis, ad hyberna exercitum duxit, ut pluribus narrat Theophanes.

De conversione Eduini Regis Anglorum.

2. Ad Anglicanam ecclesiam, novis aucta fidelibus stylum convertimus, idest ad Eduini Anglorum Regis gesta. Hunc quidem, ut fidem christianam susciperet, epistolis suis Bonifacius Papa excitaverat, surdo tamen cecinerat. Nam in Idololatria enutritus, evangelicam lucem spernebat, usque dum flagello percussus, ac divina protectione munitus, Dei potentiam confiteri coactus est, ut narrat Beda his verbis. *Anno proximo*, postquam cum Edilberga conjugium iniisset, *venit in provinciam quidam sicarius vocabulo Fumerus missus a Rege Occidentalium Saxonum nomine Cuichelmo, sperans se Regem Eduinum regno simul, & vita privaturum: qui habebat sicam bicipitem toxicatam, ut si ferri vulnus minus ad mortem Regis sufficeret, peste juvaretur veneni. Pervenit autem ad Regem primo die Paschæ juxta amnem Doroventionem, ubi tunc erat villa regalis, intravitque quasi nuncium domini sui referens, & cum simulatam legationem ore astuto volveret, exurrexit repente, & evaginata sub veste sica, impetum fecit in Regem. Quod cum videret Lilla minister Regis amicissimus, non habens scutum ad manum, quo Regem a nece defenderet, mox interposuit corpus suum ante ictus pungentis; sed tanta vi hostis ferrum infixit, ut per corpus militis occisi, etiam Regem vulneraret. Qui cum mox undique gladiis impeteretur, in ipso tumultu etiam alium de militibus, cui nomen erat Fordherio, sica nefanda peremit*. Accidit autem, ut eadem nocte sacrosanctæ Dominicæ Paschæ filiam Regi, cui nomen Eanfled, Edilburga pepererit, cumque Rex præsente Paulino Episcopo gratias ageret Diis suis pro nata sibi filia, contra Episcopus

JESU CHR. AN. 626.

gratias cœpit agere Domino Christo, Regique astruere, quod ipse precibus suis apud illum obtinuerit, ut Regina sospes, & absque dolore gravi sobolem procrearet. His verbis delectatus Rex, promisit se, abrenunciatis Idolis, Christo serviturum, si vitam sibi & victoriam donaret pugnanti adversus Regem, a quo homicida ille, qui eum vulneraverat, missus est: & in pignus promissionis implendæ, eamdem filiam Christo consecrandam Paulino Episcopo adsignavit: *Quæ baptizata est die Sancto Pentecostes, prima de gente Nordanhumbrorum, cum duodecim aliis de familia ejus.* Curatus interea a vulnere sibi pridem inflicto Rex, collecto exercitu, adversus Gentem Occidentalium Saxonum perrexit, ac bello inito, universos quos in necem suam conspirasse didicerat, aut occidit, aut in deditionem recepit. Sicque victor in patriam reversus, etsi de implenda promissione, Idolisque abjiciendis cogitaret, anxius nihilominus, ac incertus hærebat. At cum Paulinus Episcopus, ne promissam fidem implere differret, admoneret; Rex quidem se fidem quam docebat, suscipere velle, respondebat: verum adhuc cum amicis, & consiliariis suis sese de hoc collaturum esse dicebat, ut si & illi eadem cum eo sentire vellent, omnes pariter in fonte vitæ Christo consecrarentur. Vocantur itaque Regni Primates, ac cum iis totius collegii Gentilicii Sacerdotum Pontifex maximus, cujus cor Deus ita movit, ut ipse dicendo sententiam primus de idolatria abjicienda dixerit, firmiterque decreverit: nam addit Beda, quod habito cum sapientibus Consilio; sciscitabatur singillatim ab omnibus, qualis sibi doctrina hæc hactenus inaudita, & novus Divinitatis, qui prædicabatur cultus videretur? *Cui primus Pontificum ipsius, Corsi nomine continuo respondit: Tu vide Rex, quale sit hoc quod nobis modo prædicatur: ego tibi verissime, quod certum didici, profiteor, quia nihil omnino virtutis habet religio illa, quam hucusque tenuimus. Unde restat, ut si ea quæ nunc nobis nova prædicantur, meliora esse & fortiora, habita examinatione, perspexeris, absque ullo cunctamine suscipere illa festinemus. Cui cum Rex assensum præbuisset,* idem ipse Idolorum Pontifex de christiana religione cum Paulino Episcopo collationem habuit, qua christianæ religionis suscipiendæ tanto ardore succensus est, ut non solum eam ipse susciperet, sed ejusdem etiam propaga-

Eduini filia a Paulino Episcopo baptizatur.

ga-

gator, & prædicator effectus est; quin ut Deorum destruerentur Templa Regi persuasit, ac provinciam suam ipse circumcursans Aras, Delubra, & Idola cujuscumque generis manibus suis destruxit. Ex his locis, ait Beda, *ostenditur locus ille quondam idolorum non longe ab Eboraco ad orientem amnem Doruventionem, & vocatur hodie Gotmundin Gabana, ubi Pontifex ille, inspirante Deo vero, polluit ac destruxit eas quas ipse sacraverat aras*. Hæc ibidem hoc anno facta esse, discriminans singula tempora, Beda declarat, qui anno sequenti Redemptoris nostri sexcentesimo vigesimoseptimo baptizatum primo fuisse ipsum Eduinum Regem, ac deinde alios proceres docet; nosque suo loco ea describenda servamus.

Arnulphus Metensis Episcop. in Eremum secedit

3. Hoc anno Arnulphus Metensis Episcopus, qui anno superiori Rhemensi concilio subscriptus legitur, cum annos quindecim Rhemensem ecclesiam sanctissime administrasset; Episcopatui renuncians, Vosagum secessit, ut solitariam ibidem vitam ageret, de ejus secessione in Eremum, & conversatione hæc habet auctor vitæ. Interea adest & Regina, & reminiscentes culpæ suæ (scilicet quod minis eum deterrere studuerant, ne secederet). *Uterque (Rex, & Regina) ad pedes S. Arnulphi corruunt, & ut illis misereatur, exorant dicentes: Perge, Domne, ad eremum quo vis: tantummodo te placatum habeamus, quem molestum usurpantes exageravimus: Tunc Sanctus vir data illis venia a palatio egreditur, & ecce reperit præ foribus claudorum, cæcorum, atque universorum pauperum, viduarum & orphanorum pene innumeram multitudinem adstantem, cumque eum vidissent, omnes vociferare cæperunt dicentes: O Sancte Pastor, cur nos miseros derelinquis; aut quis miserebitur nostri? aut quis tribuet nobis victum & vestitum? Nam te amoto moriemur omnes nuditate atque fame consumpti. Obsecramus pro Christo ne nos derelinquas. Tum ille lacrymans, blanda voce eos alloquens dixit: Dabit Deus vobis pastorem, qui vos pascat in miseratione, & misericordia: nam faciem meam non longo tempore amodo videbitis &c.*. Ante discessum, incendium Crucis signo extinxit: Post hæc autem, sequitur auctor. *Beatus Arnulphus relictis cunctis seculi rebus, atque bene perfecteque pauperibus erogatis, jamque fidus & securus de thesauro recondito in cœlo, non multis delapsis diebus, pauper quidem propter Christum effectus in seculo, sed jam dives virtute Domini,*

JESU CHR. AN. 626.

mini, veluti novus Elias ad eremum properans, & inter bestias ac feras silvæ, parvulis mansiunculis paratis, quotidiana meditatione laudes Deo personabat, adscitis quoque aliquantulis secum Monachalis, nec non & leprosis, manibus propriis fidelissimam servitutem jugiter impendebat, calciamenta a pedibus detrahens atque detergens, capita, & pedes illorum crebro abluens, nec non & lectos ipsorum reciprocis diebus studiosissime compositos parabat. Nam & coquinæ officium non abhorrens idem Episcopus Sanctus & cocus, sæpe esuriens ipse, suos contubernales pascebat. Sed & lectum stratus ejus vile quidem in oculis hominum, sed pulcherrimum in obtutibus Angelorum, spretis dumtaxat mollibus & pretiosis vestibus Morti proximus peccatorum metu anxiatur. *cilicio exornabat. In his igitur atque innumerabilibus bonis, dum Angelicam ageret vitam, jam Omnipotens Deus suum Athletam ad destinatum volens vocare bravium, ad ultimum urgetur diem. Quo comperto adest vir religiosissimus Romaricus cum ceteris Monachis, gloriosum ejus præstolans egressum. Tunc electus Dei, & sacratissimus Pontifex, eum alloquens ait: Bone vir & amabilis Deo, obsecra Christum pro me, jam adest dies in quo Judici meo præsentandus apparebo: Quid faciam? Nil boni gessi in hoc seculo; & omnibus sceleribus, & peccatis vallatus coarctor, pro quibus Dominum, ut merear veniam, obsecro supplicato. Hæc vir sanctus ait,* Prov. 18. *quia scriptum est:* Justus in primordio sermonis accusator sui est. *Interea venit hora, ut sancta illa anima manibus sanctorum Angelorum ad Christum gestaretur.* Mortuum Romaricus cum honore debito, comitantibus, & lugentibus monachis sepelivit; successorem vero in Metensi cathedra Goericum habuit Goericus creatur Episcop. Metensis. *Post hæc autem paucis temporibus actis, vivo justo jugi intentione pulsanti Sanctus Goericus, cognomento Abbo, huius successor eligitur. Digne quippe a Domino actum est, ut Sancto Sanctus succederet.* Hic vero post annos octo e castello habendo, ubi Arnulphi reliquiæ reconditæ fuerant, in Metensem urbem transtulit, ut idem narrat auctor, ac miracula in ejus translatione edita recenset, quæ ibidem videri possunt.

De synodo Constantinop. Monothelitarum.

4. Hoc anno Sergius Regiæ urbis Episcopus synodum CPoli celebravit, qua Monothelitarum hæresim confirmare conatus est, de qua sicuti, & de ceteris conciliis in eam caussam habitis, usque ad synodum Romanam sub Agathone Papa celebratam, hæc refert antiquus synodici auctor, qui con-

concilia in eam rem habita catholicorum, & hæreticorum, his verbis recenset.

Constantinopolitana Sergii hæreticorum.
Alia Constantinopolitana ejusdem: hæreticorum
Alexandrina Cyri Alex. Episcopi hæreticorum
Hierosolymitana Sophronii orthodoxorum.
Altera Constantinop. Pyrri hæreticorum.
Bizacena Colybi orthodoxorum.
Numidica Stephani orthodoxorum:
Mauritanica Reparati orthodoxorum,
Carthaginensis Victoris orthodoxorum.
Romanu Joannis orthodoxorum.
Romana Theodori orthodoxorum.
Romana Martini orthodoxorum.

Has secuta est altera Romana sub Agathone, hancque excepit Oecumenicum concilium, quo tandem infausta hæresis damnata est. De synodo, quæ hoc anno sub Sergio CPoli habita est, in eo libello hæc narrantur. *Heraclius bello contra Persas divinitus suscepto* (anno nempe 622.) *Phasidem fluvium in potestatem redegit* (anno currenti) *ubi quidam Acephalorum* (Paulus nempe Monoculus, de quo anno 622. egimus, qui ideo Heraclium Augustum iterum convenit) *quæstionem de voluntatibus, & operationibus ei suggessit. Quam quidem quæstionem magis cum Cyro Phasidis Episcopo communicasset, & uterque dubitaret, Sergio Constantinopolitano isthæc renunciarunt. Ille vero hæretico instituto synedrio, & acta Mennæ particulatim considerans, unam voluntatem in Christo Deo, & Servatore nostro esse, Imperatori Heraclio rescripsit*, Atque hæc inter Cyrum, & Sergium transacta fuisse ipsemet Sergius in Epistola ad Honorium Papam testatur actione 15. sextæ synodi recitata, in qua postquam Sergius narravit Paulum Severianum, sive Monoculum congressum cum Heraclio Augusto habuisse, dum is in Armenia esset, subdit. *Post aliquod vero tempus, idem a Deo confirmatus Imperator in Provinciam Lazorum adveniens* (hoc anno) *recordatus est disputationis, quam sicut diximus, fecerat ad Paulum illum hæreticum, in præsentia Cyri Sanctissimi tunc quidem ejusdem Christo amabilis Lazorum Provinciæ*

JESU CHR. AN. 626.

ciæ Metropolitanam sedem tenentis, (Phasiden nempe urbem) *nunc autem magnam Alexandriam regentis*; *prædictus igitur sanctissimus vir, bis auditis, ejus serenitati respondit, nescire subtiliter, utrum unam, an duas operationes Christi veri Dei nostri adstruere necesse sit. Ergo per jussionem ejus pietatis per litteras proprias interrogavit nos prædictus Sanctissimus vir, utrum unam operationem, an duas in Salvatore nostro necesse sit dicere: & si quosdam noscamus Sanctorum, & Beatissimorum Patrum unam dicentes operationem: Unde nos, quæ nostræ erant scientiæ, per nostra rescripta ei significavimus; dirigentes etiam sermonem acclamatorium Mennæ sanctissimi quondam Patriarchæ hujus regiæ urbis, porrectum ab eo hic presenti Vigilio Sanctæ memoriæ Prædecessori sanctitatis vestræ, habentem, & diversa testimonia de una operatione, & una voluntate Salvatoris nostri Christi veri Dei*. Libellum tamen Mennæ, quem Vigilio oblatum fuisse Sergius ait, fictitium fuisse ait merito Baronius; Atque hoc anno hæc contigisse inde scimus, quod ut auctor est Theophanes, anno quinto belli Persici, in Gazica Heraclium fuisse constat, atque hoc anno de una in Christo operatione ad Sergium CP. Episcopum scripsisse Cyrum Phasidis Episcopum, ex Oecumenica synodo anno 671. celebrata scimus, qua legitur. *Ante quinquaginta sex annos per quartam decimam Indictionem præteriti circuli, interrogantis per eamdem Epistolam prædictum Sergium de quæstione operationum*. Habita illa actio est anno DCLXXXI. a quo si per annos LVI. retrocedas ad præsentem Indictione XIV. notatum pervenies. Quare Pseudosynodus Constantinopolitana hoc anno celebrata est. Epistola autem Cyri ad Sergium hoc anno data hæc continet, quæ etiam actione 13. sextæ synodi lecta fuit. *Deo honorabili meo Domino benigno, principi pastorum, patri patrum, universali patriarchæ Sergio, a Cyro humili vestro &c.*. Deinde post plurima, quæ ad rem non faciunt, aut vix sensum habent; ut & seculi barbaries ferebat, aut hæreticorum mos est, ad quæstionem tandem descendens, subdit. *Opportune ergo tunc silentium gerere, & nequaquam contradicere perstruebar: ad vero a Deo eruditam vestram doctrinam confugere didici, venerabiles ejus syllabas postulans promereri, liquidius declarantes qualiter duas operationes post unitionem dicere recusantes in una, idest, singulari operatione, in omnibus divinis eloquiis*

quiis possumus concludere, tam quod passibile, quam quod impassibile est ipsius ineffabilis dispensationis Salvatoris nostri Jesu Christi, quatenus a Deo illustrata eruditione Deo instructorum vestrorum illuminata imperitia nostra, forsitan vel in hoc imitetur pinguissimam, atque fertilem terrare, seminatumque verbi granum libenter suscipiens, ad fecunditatem salvum perducat. Deo acceptas denique sui orationes solite ministrare tam meæ parvitati, quamque his qui mecum sunt, benignus meus Dominus dignetur; subscriptio. Cyrus humilis exorans pro honoratissima vita Deo honorabilis mei Domini suggessi. Hactenus Cyri epistola ad Sergium, quæ Constantinopolitano concilio, *sive synedrio*, ut loquitur libellus occasionem dedit, ex qua epistola iterum scimus Heraclium Augustum jussionem quamdam edidisse adversus Paulum Severianum, ubi una prædicabatur in Christo post unionem operatio, eamque ad Arcadium Cypri Archiepiscopum transmisisse, quam Sergius Episcopus Constantinopolitanus probavit, una cum Monothelitico errore. At Arcadium eam rejecisse liquet ex litteris Sergii Archiepiscopi Cypri ejus successoris, relatis in secundo secretario concilii Lateranensis, & ex epistola quam idem Sergius Arcadii successor ad Theodorum Papam scripsit; Unde patet Constantinopolitanam synodum, & omnes Sergii Patriarchæ artes infelicem in Cypro exitum habuisse, sed de his hactenus.

JESU CHRISTI AN. 627. HONORII PAPÆ 3. HERACLII IMP. 18. ARIOALDI LONGOB. REGIS 3.

Res gestæ anno sexto belli Persici.

1. Annus adest vigesimus septimus supra sexcentesimum, belli Persici sextus, quo Heraclio Imperatori res adeo feliciter cesserunt; ut inita primum cum Chagano Turcarum Dinasta seu Rege societate, Persas ubique vicerit, ita ut anno sequenti, ut videbimus Persico bello, gloriosissime finem imposuerit. Res gestas narrant, Theophanes, & Nicephorus Constantinopolitanus, eademque confirmantur ab Elmacino Saracenicæ historiæ scriptore: *Hinc* (Imperator) *Euxino mari navigans per Lazorum provinciam in Persidem irrumpere conatus est: ubi ex* Martina conjuge filius nascitur (hanc enim secum adduxerat) quem Heraclium nominavit. *Indididem porro legatos cum donis ad Turcarum principem*

JESU CHR. AN. 627.

cipem destinat, quibus eum ad belli contra Persas societatem alliceret. His ille acceptis auxilio futurum se pollicitus est, quæ superiori anno contigere, deinde de rebus hujus anni subdit: *Ea re gavisus Heraclius ad illum perrexit, qui adesse Imperatorem audiens, cum magna Turcarum manu obviam processit, & ex equo desiliens humi se coram illo prostravit. Idem & universi ejus comites fecerunt. Imperator tantum sibi ab illis honorem exhiberi videns, Duci eorum significat, si firmam ac sinceram amicitiam inire vellet; equo etiam vectus accederet, filium insuper eumdem appellans. Ita demum ad Imperatoris complexum admissus est, qui detractam sibi coronam Turcæ capiti imposuit. Cumque hunc ad convivium invitasset, omnia convivii vasa, atque utensilia cum regia veste, & inauribus ex margaritis ei donavit. Dedit & inaures alias principibus, qui eum comitabantur, quas manu sua dilargitus est. &c.* Cui etiam filiam suam Eudoxiam uxorem ei daturum spopondit, si integram sibi fidem servasset, atque adversus Persas arma sua cum Romanis conjunxisset, ut pluribus narrat Nicephorus.

Turcæ cum Heraclio contra Persas sociantur

Turcæ Imperatorem deserunt.

2. At Theophanes addit Turcas belli incommoda ægre ferentes paulopost relicto Heraclio ad sua rediisse, nihilominus in incœpto Heraclius persistit, & victricibus armis in Persidis inreriora penetravit. *Turci vero incumbentem hyemem prospicientes, crebrarum a Persis excursionum impatientes, nec Imperatori collaborare gnari, paulatim elabi vel se surripere cœperunt: ac tandem omnes societate belli deserta redierunt. Imperator autem exercitui suo ad colloquium vocato: Videte, Fratres, ut nullus belli societatem init nobiscum, quam Deus solus, & quæ illum sine semine concepit mater, ut potentiam nimirum suam exerat, & auxilium nobis suum manifesto mittat. Porro Chosroes compositis, & eductis suis copiis, Ducem eis præfecit Rhazatem virum bellicosissimum, & strenuum, & in Heraclium misit. Imperator vero Persidis urbes, & vicos ferro & igne devastabat, Persasque in potestatem venientes cunctos romphæa delebat. Nono vero mensis Octobris die, indictione decima quinta, in Provinciam Chamaetam pervenit, & dierum septem, quiete exercitum refecit.* Ad ulteriora deinde Persidis progrediens, plures Chosrois Duces, variis præliis affectos dimisit; ita ut Heraclius Ninive occupata, utraque progressus, Chosroen ipsum cum exercitu, fuga sibi salutem

lutem quærere coegerit, uti pluribus ibidem persequitur Theophanes, ex quo scimus hyeme tota in armis Romanorum exercitum fuisse, ac die 12. Decembris, qui sabbato fuit, insignem de Ratzate Persarum Duce, Heraclium victoriam tulisse, ac tandem die prima Januarii aliquantulum Romanos quievisse; ac ad hiberna divertisse.

Jesu Chr. an. 627.

3. Narratis Heraclii Imperatoris præliis, & victoriis, adeamus nunc alium militem, aliud prælium, victoriam aliam longe nobiliorem, quam non hostium sanguine, nec gladio, sed spirituali fidei mucrone, & proprio effuso sanguine, de hominibus, & de Diabolo, Christi miles reportavit, fuit hic Anastasius Persa, quem anno 620. fidem, & monasticam disciplinam suscepisse diximus. *Hic ergo postquam perseveravit in eadem mansione annos septem* Cæsaream Palæstinæ profectus est, quo cum esset, dum ad S. Eufemiam orationis gratia transiret in domo quadam Magos Persarum, magicas præstigias exercentes videns, redarguit. Illi vero hominis libertatem admirati. *Quis tu*, inquiunt, *aut unde*, *qui hæc nobis dicis?* Ille vero: *Ego quoque vobiscum aliquando fui*, *novique imposturas vestras*. Paulo post quidam Persarum equites, Delatorem eum fuisse suspicantes, in vincula conjectum Marzabani Duci Persarum obtulerunt, qui defixis in eum oculis. Quis es, inquit, aut unde? Respondit Sanctus: Christianus sum. Si autem nosse cupis, unde oriundus sim; Persa sum gente, e Provincia Rhasech, loco Rhasmemyi dicto. Caballarius fui & magus; sed reliqui tenebras, & veni ad lucem. Dicit ei Marzabanas: Dimitte errorem istum, & ad priorem revertere religionem. Et præbemus tibi plurima milliarisia, præstantemque ornatum. Ille vere respondit: Non permittat id Deus, ut Christum negem. Dicit ei Marzabanas: Arridet adeo hæc vestis, qua indutus es? At ille: Hæc vestis gloriatio mea est. Dicit ei Marzabanas: Dœmonio agitaris. Respondit Sanctus: Cum pristino detinerer errore, tum me Dœmonium agebat: nunc in me Christus est, qui dæmones persequitur. Dicit Marzabanas: Regem non metuis? neu si de te audierit, jubeat in Crucem agi? Dixit Sanctus: Cur eum metuam. Homo est corruptioni obnoxius, tui similis. Tum demum ira percitus, jubet eum ferro vinctum in castrum abripi, & lapides absque cessatione portare. Dum vero in eo versatur labore, multas & intolera-

S. Anastasii Persæ iteratæ confessiones.

Sistitur Marzabanæ.

Fidem Christi libere profitetur, ob eamque vexatur.

Jesu Chr. an. 627.

lerabiles molestias sustinuit Anastasius. Inter cetera, cum eum tot in angustiis cernerent contribules ejus propriam rati ignominiam, quæ ei acciderat, ad eum, dicebant. Quid hoc est quod fecisti? Nemo umquam nostræ provinciæ Christianus fuit. Ecce omnium irrisioni, & opprobriis nos objicis. Et variis ad fallaciam compositis sermonibus, ut fidem Christi abjiceret hortabantur. Ille vero contemnebat eos; Quamobrem in furore incensi quotidianis eum irrisionibus vexabant, aut etiam crudeliter verberabant; aliaque acerba irrogabant: quæ invictus athleta læto vultu perferebat. Interea eum rursus sibi sisti Marzabanas jussit, dixitque ei: Si vere Magi filius es, ut dixisti, & disciplinis magicis institutus, profare de his aliquid, ut cognoscam. Respondit Sanctus: Non permittat Deus prodire ex ore meo aliquid istiusmodi. Dicit ei Marzabanas: Quid? ergo permanes in his? Redi ad pristinam religionem. Tum scribam de te Regi. Scripsisti, inquit Sanctus, & responsum accepisti. Fac igitur quod vis. Cui Marzabanas: *Non scripsi, sed scribo, & quæ jusserit exequar. Dicit Sanctus: Unde & quanta volueris de me mala scribe; ego enim Christianus sum. Dicit Marzabanas: Sternatur & verberetur, donec facturum se imperata spondeat. Cum eum vellent ligare, dixit Dei servus: Sinite, opus mihi vinculis non est. Et confidens collocavit se eo ritu modoque quo erat ab iis vinciendus: cœperuntque eum fustibus cedere. Dicebat vero iis Sanctus: Exuite me hac veste, ne lædatur; itaque carnem meam converberate: quæ enim facitis, lusus sunt. Nam etsi membratim me dissecetis, Christum meum non negabo. Dixit igitur rursum Marzabanas: Acquiesce mihi, & scribam de te Regi. Respondens ait: Facesse, & scribe quæ vis Regi. Dicit ei Marzabanas: Quid ergo? Non times Regem? Respondit ei Sanctus: Cur Regem tuum timeam? Nonne homo est, ut tu? & quemadmodum morieris, nonne & ipse morietur? nonne ut tu ipse quoque computresces? Utrum igitur magis timebo, illum obnoxium corruptioni, tui similem, lutum? an Christum, qui Cœlum & terram creavit. Attonitus superbus ille Martyris libertate, reduci in castrum jubet. Post paucos dies producto rursus e custodia, Sume, inquit, magica, & sacrifica; ne male pereas, ista privatus luce. Respondit Dei ser-*

Sistitur iterum Marzabanæ.

servus: *Quibus diis me jubes sacrificare? Soli, Lunæ, Igni? equo? Igitur & montibus & collibus, & ceteris omnibus? At non patiatur me Deus, aliquando vestris illis numinibus sacrificare. Illa enim omnia Christus condidit ad hominum obsequia. Vos vero fœdo errore delusi colitis res creatas, & Dæmones, homines cum sitis, ignorantes Deum, qui ista creavit. Si enim Christum nossetis, & ipsi lucem complexi, a Dæmonum, qui vos deludunt, erueremini potestate. &c.* Eumque iterum in custodiam duci jussit.

Ridet Deos Persarum.

4. Postquam ex prima, & secunda quæstione invictum servi Dei animum cognovit Marzabanas, scripsit de eo ad Chosroem Regem, accepitque intra dies non multos Regis mandatum; & cum e carcere eduxisset, per Majorem suum dicit ei: Ecce mandat Rex, ut verbo solum fatearis te Christianum non esse, & continuo te dimittam quo voles tum abi; sive monachus esse volueris, esto; sive Caballarius, ut prius, ac nobiscum esse; ut voles, facito. At Christi Martyr, dixit. Non contingat mihi, ut Christum meum, aut publice, aut privatim negem. Ut vero animadvertit Marzabanes Anastasium, nec minis cedere, neque blanditiis deliniri, bulla impressa consignans, jussit eum in publicam duci custodiam, intra quinque dies iter suscepturum, cum duobus aliis Christianis, quos bullatos quoque cum eo misit. Instante interea festivitate Exaltationis venerandæ Crucis, pervigilium in carcere celebrarunt, Anastasius scilicet, & duo ex ipsius monasterio monachi, cum aliis Christianis ejus Civitatis viris piis, post quinque vero dies, in Persidem iter ingressus est cum aliis Christi fidelibus, qui ad Chosroen eadem de causa mittebantur, eumque ex monachis quidam comitati sunt, ubique autem maximo cum honore a Christifidelibus, tamquam fidei confessor, & Christi martyr exceptus fuit, ut idem Anastasius ex Hierapoli, atque iterum ex Tigride ad Abbatem sui monasterii scripsit, obtestans eum: *ut benignissimum Deum exoraret, quo suum complere cursum posset, ad laudem & gloriam ejus sanctissimi nominis*. Hactenus vitæ auctor de ejus iterata confessione, antequam in Persidem ad Chosroen mitteretur, ubi martyrium una cum 70. sociis subiit, ut anno sequenti dicturi sumus. Ex his autem, quæ ibidem narrantur capite 4. *In-*

Recusat verbo negare Christum, etiam privatim.

Vigiliam sanctæ Crucis agit in carcere.

Jesu Chr. an. 627.

De festo exaltationis S. Crucis.

stante interea Sancta festivitate Exaltationis venerandæ Crucis pervigilium in carcere celebrarunt, Anastasius &c. Constat eam celebritatem ante Heraclii Imperium in Oriente institutam fuisse, cujus originem Baronius in notis Martyrologii Romani die 14. Septembris, ad Constantiniana tempora refert.

Eduinus Rex Angliæ baptizatur.

5. Dum in Oriente ex Anastasii Persæ confessione christiana religio illustratur, in Occidente quoque novis incrementis, magis ac magis augebatur nam Eduinus Anglorum Rex abdicata idololatria, in Paschatis festo hoc anno solemni ritu baptizatus est, ejusque exemplo infinita propemodum Anglorum multitudo christianam fidem suscepit, ut pluribus narrat Beda. *Igitur accepit Rex Eduinus cum cunctis gentis suæ nobilibus, ac plebe perplurima fidem, & lavacrum sanctæ regenerationis, anno regni sui undecimo, qui est annus Dominicæ incarnationis sexcentesimus vigesimus septimus, ab adventu vero Anglorum in Britanniam, annus circiter centesimus octogesimus. Baptizatus est autem Eboraci die Sancto Paschæ, pridie Iduum Aprilium, in Ecclesia Sancti Petri Apostoli, quam ibidem ipse de ligno, cum catechizaretur, atque ad percipiendum baptisma imbueretur, citato opere construxit.*

Beda lib. 2. hist. cap. 14.

Quam postea ex lapidibus ædificari præcepit, ac ut sedem Episcopalem ibidem Paulinus teneret, voluit. Paulinus vero ex eo tempore sex annis continuis, idest, usque ad finem imperii Regis illius, verbum Dei, annuente, ac savente ipso, in ea provincia prædicabat: credebantque & baptizabantur, quotquot erant prærodinati ad vitam æternam, in quibus erant Osfridus, & Eadfridus Filii Regis Eduini, qui ambo ei exuli nati sunt de Quenburga filia Cearli Regis Merciorum. Nec multo post baptizati sunt alii liberi ejus de Edelburga Regina progeniti, Edilhimus & Ediltridis filia, & alter filius Buscfrea: quorum primi albati adhuc rapti sunt de hac vita, & Eboraci in Ecclesia sepulti. Baptizatus est & Offi filius Osfridi, necnon & alii nobiles & egregii viri non pauci. Tantus autem in ea gente, tunc fervor fidei, ac desiderium lavacri salutaris fuit, ut aliquando Paulinus veniens cum Rege, & Regina in villam regiam, quæ vocatur Adregin, triginta sex diebus ibidem cum eis catechizandi, & baptizandi officio deditus moraretur: iisque die-

diebus a mane usque ad vesperam nihil aliud agebat, quam confluentem illuc de cunctis viculis, ac locis plebem Christi verbo salutis instruere, atque instructam in fluvio Gleni, qui proximus erat, lavacro remissionis abluere, ut ibidem narrat Beda, ubi alia plurima in eamdem rem addit, quæ ibidem videri possunt.

JESU CHR. AN. 627.

6. Capite vero sequenti. *Tantam fuisse Eduini devotionem, & fidem pro veritate, ut etiam Regi Orientalium Anglorum Carpualdo filio Redualdi persuaserit, relictis Idolorum superstitionibus, fidem & sacramenta Christi suscipere, & quidem Pater ejus Redualt, jamdudum in Cantio sacramentis Christianæ fidei imbutus est, sed frustra: nam rediens domum, ab uxore sua, & quibusdam perversis doctoribus seductus est, atque a sinceritate fidei depravatus, habuit posteriora pejora prioribus: ita ut in morem antiquorum Samaritanorum, & Christo servire videretur & Diis, quibus antea serviebat; atque in eodem fano, & altare haberet ad Sacrificium Christi, & arulam ad victimas Dæmoniorum: quod videlicet Fanum Rex, ejusdem Provinciæ Alduulf (qui nostra ætate fuit) usque ad suum tempus perdurasse, & se pueritia vidisse testabatur.* Atque his plura ibidem, tum de propagatione evangelii inter varias Anglorum gentes, cum de Pauli laboribus, & periculis in eorum conversione toleratis, addit Beda, quæ exscribere longum esset.

Redualdi Regis conversio & lapsus.

7. Hoc vel superiori anno Sanctus Eustasius Luxoviensis Abbas, *cum victoriæ pace tertio Kal. Maii ætherea penetravit Regna, Duce Christo,* inquit Jonas monachus Bobiensis auctor coævus in ejus vita a Mabillonio edita, & ad MSS. Codices emendata; de cujus felici exitu hæc leguntur. *Jamque Beatum de hac vita exitum præstolans, omni intentione ad contemplanda mysticorum præconiorum documenta desudat, solique Deo mente intenta preces fundens dirigit.* Inter ardentes morbi æstus sibi visus est aliquando interrogari, quadraginta dierum leviori, an triginta graviori dolore purgari vellet, antequam in Cœlos reciperetur; At ille: Satius est, inquit, brevi purgari per duriores brevioris temporis pœnas, quam diu sustinere mitiores. Res illi pro voto successit, & post gravissimos triginta dierum dolores, viatico sumpto, animam Deo reddidit quarto Kal. Aprilis, ut in sincero Adonis Martyrologio legitur; Bollandus tamen die vigesima nona Martii

Eustasius Abbas e vita migravit.

Mabill. secul. 2. pag. 123. Ann. Bened. ann. 625.

JESU CHR. AN. 627.

Valbertus Eustasio succedit in regimine monast. Luxoviensis.

Martii eum obiisse scribit. *In Eustasii locum*, inquit auctor vitæ S. Salebergæ, *beatæ recordationis Valbertus in regimine Fratrum subvectus fuit, vir omnium fama laudabilis, eximiæque sanctitatis, & ecclesiasticis disciplinis non mediocriter eruditus, bonitate ac pietate caritateque præcipuus, & doctrina exuberans*. Sub eo per Galliarum provincias agmina monachorum, & puellarum examina, non solum per agros, & villas, vicosque atque castella, verum etiam per Eremi vastitatem, ex regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti, & Columbani pullulabant; cum ante illud tempus monasteria vix pauca iis in locis reperirentur, ait idem auctor.

S. Attala Bobiensis Abbas moritur.

8. Alter e præcipuis Columbani discipulis Attala fuit, qui post eum Bobiense rexit monasterium, quique hoc anno mortuus est: *Cum vero jam supremos ageret anhelitus*, habet Jonas, *se extra cellam educi jussit, atque e stratu suo surgens, sustentantibus se fratribus, Crucem ad cellulæ suæ ingressum a se erectam, ut cellulam ingrediens, egrediensque tactu ejus frontem muniret, lacrimarum plenus in hæc verba salutavit: Salve alma Crux, quæ Mundi pretium portasti, & nostris vulneribus attulisti medicinam: tu, inquam, illita Salvatoris cruore, qui ad redimendum genus humanum, geminamque veteris Adæ maculam abstergendam in has miserias descendit; tu mihi sis vexillum ad patriam cœlestem*: moxque præcatur omnes, ut se solo illic relicto paulisper abscedant. Egressis omnibus præter unum Blidemundum monachum, qui post tergum viri Dei, id nescientis, tacito anhelitu stabat, ne quid forte ei adversi contingeret, Dei clementiam vir Sanctus cum multis lacrymis implorare cœpit, ut sui misertus, veteres maculas ablueret, nec se a cœlesti prœmio rejiceret; Tum inter frequentes singultus, & lacrymas in Cœlos suscipiens, eosdem sibi apertos vidit; qua de re immensas Omnipotenti Deo gratias agit. Facto deinde signo omnes denuo adesse jussit, ac cellulæ redditus est. Postero die, universis fratribus valedicens, omnesque exhortatus, ne cœptum iter desererent, animam Deo reddidit.

Bertulphus Attalæ succedit in regimine monast. Bobiensis.

9. Eadem narrant Frodoardus Rhemensis Canonicus, deinde monachus, in ejus vita metrice scripta; obiit sexto idus Martias, teste Usuardo, ut habet Mabillonius; Henschenius tamen ejus vitam die decima Martii recitat: Successorem

sorem in Bobiensis monasterii regimine habuit Bertulphum, virum peræque sanctum. Utriusque res gestas Jonas ejus monasterii monachus litteris tradidit, & de Bertulpho nonnulla diximus anno 625., dum de Ariovaldo Ariano Longobardorum Rege egimus.

S. Gallus Abbas moritur.

10. Non multo post Sanctus Gallus celeberrimi monasterii ad lacum Acronium, in finibus Helvetiorum, & Vindelicorum Abbas mortuus est. Nam Walafridus Strabo ejus vitæ auctor, postquam cap. 28. narravit legationem a monachis Luxoviensibus ad eum missam fuisse, qua rogabant, ut eorum Præpositus, sive Abbas esse vellet, quod munus suscipere recusavit, statim capite sequenti de morte ejus agit, quam ait, contigisse inter ædificationes Monasterii, apud *Arbonam*, quod oppidum est ad Brigantinum lacum. *Gallus* autem ex hibernia in Galliam Presbyter cum *Columbano* transfretaverat, ejusque comes individuus fuit, præterquam in exilio, quia morbus inopinatus, ne eum sequeretur, prohibuit. Postquam sanitatem recuperavit, cellam condidit in quadam eremo Diœcesis Constantiensis, ubi tamquam Propheta habitus est. Mortuo *Gaudentio* Constantiensi Episcopo, ac Episcopatum sibi a *Gunzone* Duce, cujus filiam a Dæmone liberaverat, oblatum recusavit, ipsoque die, quo Joannes Diaconus ejus discipulus Constantiæ Episcopus ordinatus fuit, ipse intra missarum solemnia sermonem habuit, qui in Bibliotheca veterum Patrum legitur. *Tempore subsequenti cœpit Oratorium construere mansiunculis per gyrum dispositis ad commanendum fratribus, quorum jam duodecim monastici sanctitate præpositi roboratos doctrina, & exemplis ad æternorum desideria concitavit*, inquit Walafridus, qui addit, quadam postea die beati *Columbani* mortem sibi per visionem revelatam sancto *Magnoaldo* suo discipulo significasse, relataque Sancti *Eustasii* morte ait: *Die sextodecimo mensis Octobris, expletis nonaginta quinque annis suæ ætatis, in senectute bona, hujus vitæ liberatus ergastulo, animam meritis plenam felicibus, reddidit bonis in usuram perennibus*. Annum, quo ejus mors accidit non memorat Walafridus, unde in varias de anno obitus S. Galli sententias, abierunt eruditi viri. Nobis circa hæc tempora, eum obiisse adnotare sat erit.

11. Hoc

JESU CHR. AN. 628. Sergii Episcopi Const. Pragmatica sanctio ab Heraclio confirmata.

II. Hoc quoque anno, cum Sergius Patriarcha Constantinopolitanus numerum Clericorum Majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ S. Deiparæ, quæ in Blachernis colebatur, & illorum qui in officiis tam prædictæ Majoris Ecclesiæ, quam Patriarchæ inserviebant minuisset, Heraclius Imp. Novella data *Kalendis Maii*, *Constantinopoli*, *indictione XV.* quæ ab illo statuta fuerant, confirmavit; ac jussit, ut priusquam *Præsbyteri* ad LXXX., *Diaconi* ad CL., mulieres *Diaconissæ* ad XL. *Subdiaconi* ad LXX. *Lectores* ad CLX. *Cantores* ad XXV. *Ostiarii* ad LXXV. numerum redigerentur, nullus inter hos ullo modo referatur. Postquam contigerit, ut *Sincelli* redigantur ad II. *Cancellarii* ad XII. *Notarii* ad XII. *Vasorum Custodes*, ac *Presbyteros* IV. ad *Diaconos* VI. ad *Lectores* II. in hoc numero maneant. Consimiliter, qui in templo Deiparæ, in Blachernis situm, Sacrum ministerii cultum obeunt, in præsenti numero maneant, nec ullus admittatur prius quam *Presbyteros* ad XII. *Diaconos* mares ad XVIII. *Diaconissas* mulieres ad VI, *Subdiaconos* ad VIII. *Lectores* ad XX. *Cantores* ad IV. *Ostiarios* ad VII. redigi contigerit. *Quippe*, inquit Heraclius, *si hæc ita peragantur, & observentur, nec in divino ministerio diminutio quædam accidet, omnibus ordini recte comparato restitutis: & conveniens denique sacro Sanctissimæ Ecclesiæ cultui status reddetur*. Extat hæc novella Tom. II. veteris juris canonici.

JESU CHRISTI AN. 628. HONORII PAPÆ 4.
HERACLII IMP. 19.
POSTCSS. AUG. 17. ARIOALDI LONGOBARD. REGIS 4.

Anastasii Monachi Persæ martyrium.

I. Annus Domini sexcentesimus vigesimus octavus, felicissimus toto christiano orbi illuxit; quo Persicum bellum cum christianorum omnium lætitia, ac Imperatoris gloria finem habuit. Antequam vero Heraclii Imperatoris de Chosroe Persarum Rege victorias, & ejusdem Regis infaustum exitum enarremus, victoriam alteram eamque illustriorem, quam de Chosrois perfidia Anastasius Martyr retulit, præmittimus, quem die vigesima secunda labentis anni martyrio coronatum fuisse, narrat auctor passionis ejus his verbis. *Consumavit*, inquit, *agonem confessionis Christi preclarus Martyr Anastasius* 22. *Januarii mensis, anni decimi octavi Impe-*

Imperii Heraclii piissimi Imperatoris, & decimi sexti Constantini ejus filii, quæ hunc annum denotant. In Persidem itaque ductus Anastasius, & in carcerem conjectus in loco dicto Balsaloe, sexto lapide a Discartas ubi Rex degebat. Frater vero, qui cum eo ierat, mansit in eodem loco in domo Cortac filii Jhesdin; post aliquot autem dies Chosrois jussu Præfectus in carcerem veniens cum Tribuno, qui custodibus præerat, interrogavit eum, quis esset, aut unde, & cur relicta Persarum religione Christianus factus esset; cui Christi martyr dixit: Erratis vos, Dæmones pro Deo colentes. Nam & ego eodem olim captus errore eos colebam: nunc colo & adoro Omnipotentem Deum, qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Dixit ei Præfectus: *Miser, nonne quem colunt Christiani, is in Crucem actus est a Judæis? Quomodo ergo deceptus reliquisti tuam religionem, & factus es Christianus? Respondit Martyr: In crucem actus, quia voluit, a Judæis; vere id dicis. Ipse vero est, qui fecit Cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt: & placuit illi descendere in terram, & humanam naturam suscipere, crucique affigi, ut liberaret genus humanum ab errore Satanæ, quem vos colitis. Vos vero colentes cetera quoque, quæ nominare erubesco, vanas habetis spes, & res creatas pro eo, qui illas creavit, adoratis.*

Munera oblata respuit, & minas contemnit.

2. *Dicit ei Præfectus: Quid tibi & sermonibus istis? Ecce divinitas Regis magnam tibi dignitatem præparavit, & zonas aureas, & equos, ut sis inter ejus Primates, solum revertere ad pristinam religionem. Respondit Christi martyr, & dixit. Ego Deum meum non nego, sed eum adoro & veneror. Dona vero Regis vestri velut stercus duco. Hæc omnia discedens retulit Regi Præfectus. Iratus Rex, remisit eum postridie, ut Martyrem torqueret. Adveniens igitur Præfectus furore inflammatus, jussit eum extra carcerem educi, capitque eum terribilibus minis concutere, ut rebatur, sperans se posse eum omnino dejicere & conterere. At Christi Martyr respondit: Ne adlabora Domine Præfecte; nam mihi, confirmante me Domino meo Jesu Christo, numquam persuadebis, ut a fide desciscam. Tunc jubet eum ligari more Persico, atque immaniter baculis converberari, & ait: Honoribus & donis Imperatoris acquiescere noluisti: intellige modo quid pro iis habeas, nam te isto modo quotidie plagis conficiam. Respondens san-*

JESU CHR. AN. 628.

Immaniter cruciatur.

sanctus Martyr Christi Anastasius dixit ei: Nec donis Regis tui moveor, nec tuas timeo minas, impie & inique; Fac igitur quod vis. Tunc jussit eum ligatum supinum humi reclinari, & lignum supra tibias ejus statui, ac viros duos robustos insistere in utraque ligni extremitate. Scimus omnes quam id intolerabile sit tormenti genus. Sanctus Martyr *gratias agebat Deo, perferens animose labores hos omnes: Cernens vero Præfectus se nihil proficere, sed potius doloribus his, velut ferrum aqua frigida indurari, divina virtute confirmatum, jussit eum denuo reduci in carcerem, donec ad Regem de eo retulisset*: Cum bis, & tertio sancti Martyris constantia variis etiam exquisitisque suppliciis tentata esset; Tandem misit Rex eumdem Præfectum, & alios cum eo, ut sanctum Martyrem, aliosque Christianos captivos interficerent. Qui venientes jusserunt extra oppidum Betsaloen, ubi erat custodia, Anastasium, aliosque circiter septuaginta viros ad flumen educi: ibidemque coram sancto martyre funibus omnes strangulari, inter quos duo alii egregii viri, qui Cæsaream cum Sancto Martyre perducti fuerant. Cum ad unum omnes essent interfecti, dicunt Sancto: Quid vis? an cum his male perire? Regi potius acquiesce, & vive, & cape quos offert honores, & eris magnus in Palatio, veluti nostrum unus; nec ita desere dulcem hanc vitam; At præclarus Christi martyr Anastasius suspiciens in Cœlum, gratias egit Deo, quod jam completum esset ejus desiderium, & respondens dixit iis: Speraveram membratim a vobis concidi pro amore Christi mei. Si vero illa mors est quam minamini, gratias ago Deo meo, quod per exiguum laborem, consortem me faciat gloriæ Sanctorum Martyrnm suorum. Et ita cum magno gaudio, & animi alacritate, simili morte perfunctus est. Postquam vero eum strangularunt, præciderunt ejus caput, & sumentes bullam miserunt ad Regem, reliquum vero corpus insepultum Persæ relinquentes, a fidelibus christianis pretio redemptum, in monasterio S. Sergii Martyris condiderunt; Collobium vero sive tunica, qua indutus martyrium subierat, is qui eum in Persidem usque comitatus fuerat monachus, in Palæstinam ad proprium Abbatem, post annum revertens detulit, ut longa oratione actorum Auctor persequitur. Atque multa ad ejusdem Martyris sepulchrum, aut ad reliquiarum ejus contactum miracula edita fuisse addit, quorum ali-

aliqua Concilium Nicænum secuudum commemorat, quæ in Baronii annalibus inserta sunt. Quin extat singularis liber de miraculis tum in Perside, cum alibi gestis, dum ejusdem reliquiæ varias in orbis partes translatæ sunt; Hunc libellum ab Auctore coevo digestum, tamquam deperditnm luxerat Baronius, at post ejus obitum in lucem editus est; atque ex Græco, in latinum translatum actis S. Anastasii, edidit Bollandus, de translatione etiam capitis martyris Anastasii Romam, ubi ad aquas salvias religiose colitur, idem Bollandus in commentario prævio ad ejusdem vitam pluribus agit; apud quem sicuti, & apud Bailetium, quicumque hisce argumentis delectatur, famem suam exsatiare poterit.

Heraclii Imp. victoriæ adversus Persas.

3. Heraclius interea Imperator cum anno proximo Tigride superato, Ninivem occupasset, ibique substitisset, ac festum Nativitatis Christi celebrasset, prima die Januarii in Palatio *Beclal* castrametatus est, ait Theophanes, ac deinde progrediens, nemine resistente Ctesiphontem pervenit. Persarum oppida ubique sibi aperta & obvia habens, nam Chosroes de loco in locum aufugiens, non solum Ctesiphontem, & Seleuciam, munitissima Persarum oppida, in Heraclii potestatem reliquerat, sed immensas pene opes, ditissimasque supellectiles, quas in multis Chosrois domibus Heraclius occupavit, aut dissipavit, de quibus per plura agunt Theophanes, & Chronicon Alexandrinum.

Siroes contra Patrem rebellat.

4. Interea cum Chosroes in tanta rerum jactura, vix ubi consisteret, aut quid ageret, inveniret, Merdasanem filium, spreto Siroes filiorum maximo, sibi successorem elegit, ac coronari præcepit, at Siroes injuria commotus, adversus Patrem rebellans, non solum Gundabasum Persarum Ducem in suas partes traxit, sed etiam ad Heraclium Imperatorem legatos suos misit, ut sociatis viribus Chosroen e throno dejiceret. Heraclius autem Siroes legatos remittens, jussit, ut Romanos, quos Persæ vincti tenebant liberaret, ac cum eis armis instructis adversus Chosroem pergeret. Cui cum Siroes paruisset, in Chosroem patrem arma convertit, quem cum fugientem intercepisset, catenis constrictum, in tenebricosam ædem, quam ipse construxerat, ac reponendis in ea divitiis firmiter munierat, inclusit; ibique pane & aqua parce sustentatum, fame perire jussit, dicens. *Aurum, quod frustra collegit, propter quod etiam plu-*

JESU CHR. AN. 628.

plurimos fame necavit, & orbem ipsum effecit desertum, manducet. Merdasam autem fratrem suum, quem Chosroes Regem coronari jusserat, una cum liberis ejus interfecit. His autem gestis Siroes datis ad Heraclium litteris, pace cum eo composita, detentos custodiis Christianos, & per universam Persiam captivos, cum Patriarcha Zacharia, & venerandis ac vivificis lignis restituit. Hæc aliaque de Chosrois interitu Theophanes, cui consentiunt Elmacinus, & Nicephorus; Auctor vero chronici Alexandrini epistolas duas Imperatoris Heraclii ad Constantinopolitanos datas recitat, in quibus interitus Chosrois, & filii ejus inauguratio narratur, extat etiam pars epistolæ a Cabata, seu Siroe Persarum Rege ad Heraclium scriptæ, qua detentos in vinculis Romanos dimissos fuisse ait. *Quin etiam nobis deliberatum est*, addit, *ac constitutum uti vobiscum, Romanorum Imperator, Frater noster, cumque Romana Republica, ceterisque populis, ac aliis Regulis, qui circa Imperium nostrum undique habitant, pacem & amicitiam deinceps colamus. Quod autem fraternitas vestra, Romanorum Imperator, affectum se gaudio dixit, quod nos eumdem Thronum obtinuerimus*. Cetera præ vetustate MS. Codicis desiderantur.

Captivi christiani liberantur.

Elmac. hist. Saracen. l. 1. Niceph. Cp. pag. 13. Chron. Alex. pag. 398.

Heraclius triumphans CPolim redit.

5. Ex Imperatoris epistolis scimus Heraclium, pace cum Siroe firmata, in Armeniam rediisse, inde Constantinopolim indictione secunda, ut habet Nicephorus, ideoque post mensem Augustum hujus anni, ibique cum ingenti plausu exceptum, multa cum pompa triumphasse. *Paulo post*, ait, *Heraclius Byzantium rediens cum fausta omnium acclamatione, atque ingenti magnificentia a civibus exceptus est. Quatuor illum elephanti vehebant: quos insuper ad populi voluptatem ludis Circensibus traduxit. Inde solemnes ob victoriam dies celebrans, munera ingentia largitus est. Quod autem magnæ Ecclesiæ bona usurpaverat, quotannis huic, ejusque Clero certam ex fisco pecuniam numerari jussit. Inde Constantinum filium Consulem facit: Heraclium vero ex Martina genitum Cæsarem creat*. Cetera, quæ hanc victoriam secuta sunt, peregrinationem, scilicet, Heraclii Hierosolymam, una cum vivifica Cruce, quam secum ex Perside tulerat, anno sequenti contigisse ex Theophane scimus. Tam fausti eventus, & triumphi, extant adhuc numismata rudi minerva conficta, in quibus Heracliorum imagines Crucem defe-

deferentes insculptæ sunt. Aliud numisma majoris modi exhibet Ducangius, in quo Heraclius quadriga vehitur, sed de cujus ingenuitate dubitat Pagius.

Clotharii Francorum Regis obitus. Dagobertus succedit.

6. Hoc anno Clotharius Francorum Rex, magno Reipublicæ damno, cum per annos quadraginta quinque regnasset, obiit, cui filius ejus Dagobertus successit, qui Chariberto fratri suo Aquitaniæ provincias reliquit, ut Fredegarius, ceterique historici adnotant. *Charibertus Frater suus nitebatur si potuisset Regnum adsumere, sed ejus voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum. Cumque Regnum Clotharii tam Neustrici, quam Burgundiæ a Dagoberto fuisset præoccupatum, captis thesauris, & suæ ditioni redactis, tandem misericordia motus, consilio sapientum usus, citra Ligerem & limitem Spaniæ, pagos, & civitates fratri suo Chariberto ad transagendum, quod ad instar privato habitu ei vivendum potuisset sufficere, noscitur concessisse.*

Dagoberti illicitæ nuptiæ.

7. Inter Dagoberti præclaras dotes Regia munificentia erga pia loca præcipue eminebat, ac celeberrimi monasterii sancti Dionysii in agro Parisiaco fundator fuit. Has tamen animi dotes, effreni libidine, vagisque amoribus fœdavit, itaut uxore legitima ob sterilitatem repudiata, alteram superinduxerat, ut Gallici auctores referunt, Fredegarius, & Aimonius, *Dagobertus per Augustodunum, Antisiodero pergens, per civitatem Senonas venit, ibique Gomadrudem Reginam Romiliaco Villa (ubi ipsam matrimonio acceperat) relinquens, eo quod esset sterilis; Cum consilio Francorum Nanthechildem unam ex puellis de ministerio in matrimonium accipiens, Reginam sublimavit.* In quibusdam Codicibus legitur puellam de monasterio in *matrimonio accipiens*, quasi monacham uxorem duxerit, at primam lectionem retinendam esse, Cointius, & Pagius admonent. Hoc unum, hac occasione adnotare juvabit, tunc temporis in Galliis eam viguisse corruptelam, ut dato repudio matrimonia solverentur, ac sic mutuo consensu soluti, ad secundas nuptias liberrime convolarent. Unde inter Marculphi monachi formulas, qui labente hoc seculo in Galliis floruit, extat formula libelli repudii, his verbis concepta. *Dum & inter illum, & conjugem suam illam, non charitas secundum Deum, sed discordia regnat, & ob hoc pariter conversare minime possunt. Placuit utriusque voluntate, ut se a consor-*

Ob sterilitatem dimissa uxore, aliam ducit.

Jesu Chr. an. 628.

sortio separare deberent, quod ita & fecerunt. Propterea has epistolas inter se uno tenore conscriptas fieri, & adfirmare decreverunt, ut unusquisque ex ipsis, sicut ad servitium Dei in monasterio, aut copula matrimonii sociare se voluerit, licentiam habeat, & nullam requisitionem ex hoc de parte proximi sui habere non debeat. Si quis vero, aut aliqua pari ex ipsis hoc emutare, aut contra parem suum repetere voluerit, inferat pari suo auri lib. 1., & ut decreverunt, a proprio consortio sequestrati, in ea quam elegerint parte permaneant. Facta epistola, sub die illo, anno illo, regnante illo Rege. Hactenus divortii formula.

Dagobertus consiliis S. Arnulphi & Pippini adjutus sapienter regnat.

8. De ejusdem Dagoberti Regis justitia, & æquitate usque ad hunc annum, hæc habet Fredegarius. *Eodem tempore quo regnare cœperat, consilio primitus Beatissimi Arnulphi Metensis urbis Pontificis, & Pippini Majoris Domus usus, tanta prosperitatis regula regimen in Auster regebat, ut a cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet*; & post pauca: *Post discessum Beati Arnulphi, adhuc consilium Pippini majoris Domus, & Chuniberti Pontificis urbis Coloniæ utens, & ab ipsis fortiter admonitus, tanta prosperitate, & justitiæ amore complexus, universas sibi subditas gentes, usque dum Parisios (ut supra memini) pervenit, regebat: ut nullus de Francorum Regibus præcedentibus sua laude fuisset præcellentior*. At laxato libidinis freno, nova superinducta in thalamum uxore, vivente adhuc Regina Gomadrude, (ut diximus) mox in effrenatam adeo luxuriam, & avaritiam prolapsus est, ut eodem tempore tres Reginas, pluresque concubinas haberet.

Dagobertus Luxuriæ, & Avaritiæ deditus ab Amando Episc. redarguitur.

9. *Cum omnis justitiæ, quam prius dilexerat, fuisset oblitus, cupiditatis instinctu super rebus ecclesiarum, & Leudium (idest laicorum) vellet omnibus undique spoliis novos implere thesauros. Luxuriæ super modum deditus; nam tres habebat maxime adinstar Reginas, & plurimas concubinas*. Reginæ vero hæ fuerunt. Nanthildis, Wulfgundis, & Berthildis. Nomina concubinarum, eo quod plures fuissent, huic chronico inserere piget. Non defuit Regi adultero alter Natan Propheta, sicut Davidi, vel Herodi Joannes, (scilicet S. Amandus,) qui (ut ait Baudemundus ejus discipulus, & vitæ scriptor,) e Regno Sclavorum reversus in Austriam, Regem Dagobertum adiit, pro capitalibus crimini-

minibus redarguturum. Sed ex libidinoso, & avaro, factus sacrilegus, Herodem imitari maluit, quam Davidem, nam, *Indignatione, & fastu Regio incitatus, eumdem venerabilem Antistitem non absque injuria e suo Regno ejecit.*

Scriptores vitæ S. Amandi.

10. Sancti Amandi Episcopi vitam Baudemundus ejus discipulus primum scripsit, ut indicant verba in fine testamenti Amandi: *Ego Baudemundus peccator, jubente Domino meo Amando, hanc epistolam deliberationis suæ scripsi, & subscripsi*, anno scilicet 683.. Alia quoque extat perbrevis sub nomine S. Alani, & in gestis Episcoporum Tongrensium aliud compendium ejusdem vitæ legitur. Elegantiori stylo eamdem vitam descripsit Philippus Hervengius monasterii bonæ spei apud Binchium in Hannonia Ordinis Præmonstratensis secundus Abbas, S. Bernardi æqualis, & familiaris. Succedit deinde Milo monachus, ac Sacerdos Elonensis, qui quatuor libris ejusdem gesta metrice descripsit circa annum 845.. Quas omnes exhibet Henschenius.

S. Amandi gesta ante exilium.

11. Is porro in Aquitania natus circa annum 589., haud procul ab Oceani littore, ex christianis, ac inclytis parentibus, Adolescentiam vix ingressus, amore Christi flagrans, patriam, parentesque relinquens, ad Ogiam insulam navigans, monasterium petiit, ibique a Fratribus cum magno receptus gaudio, quia sacras ab infantia didicerat litteras, in Dei amore quotidie crevit, ita ut parentibus, qui eum a tam sancto proposito avertere tentabant, respondere non dubitarit. *Nihil mihi pater tam proprium videtur, quam ut Christi assumam servitium, qui est pars & hæreditas mea; De paternis enim substantiis nihil adipisci cupio, solummodo ut Christo militem permitte.* Non multo post Turonis perrexit ad sepulchrum S. Martini ejus patrocinium imploraturus, ibique comam capitis sui abscidit, adeptusque est clericatus honorem. Post hæc vero ab Abbate ipsius loci, & Fratribus benedictione accepta, Bituricas, Sanctum Austregisilum adiit, a quo peramanter exceptus, juxta Ecclesiam in superioris civitatis muro, cellulam eidem incolendam dedit, ubi annis quindecim circiter, cilicio tectus & cinere, jejuniis attritus, atque inedia, hordeaceo tantum contentus pane atque aqua, vitam duxit; deinde Romam ad limina Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli profectus, diurno tempore Ecclesias urbis circuibat, nocte vero ad S. Pe-

Jesu Chr. an. 628.

Petri revertebatur Ecclesiam, in ea vigilias per totam noctem agere cupiens, nisi ab ecclesiæ custodibus prohibitus fuisset.

Ordinatur Episcopus atque ad prædicandum evangelium mittitur.

12. In Gallias reversus, paulopost Episcopus ordinatus fuit, atque ad prædicandum Evangelium finitimis gentibus missus est, quo in munere, longo tempore perfunctus, vitæ sanctitate, & miraculis claruit, ac innumeras gentes Idololatriæ tenebris adhuc involutas ad Christi fidem perduxit, ut pluribus narrat ejusdem vitæ auctor apud Bollandum.

Gandenses ad fidem convertit.

13. Inter populos, ad fidem Christi Amantii opera revocatos, Gandavenses recensentur, qui adhuc ea ætate arbores, & ligna colebant, aliaque idola adorabant. *Quo audito vir Sanctus magis eorum miseratus errorem, quam de vitæ suæ periculo pertimescens, Anscharium Episcopum, qui tunc Noviomensis urbis cathedram præsidebat sacerdotalem adiit, eumque humiliter postulavit, ut ad Regem Dagobertum quantocyus pergeret, epistolasque ex jussu illius acciperet, ut, si quis se non sponte per baptismi lavacrum regenerare voluisset, coactus a Rege, sacro ablueretur baptismate. Quod ita factum est. Percepta namque a Rege potestate, & benedictione a Pontifice, illuc vir Domini Amandus perrexit intrepide. Vix enim quis digne enarrare sufficiet, quantas ibidem pro Christi nomine perpessus sit injurias, & quam frequenter ab incolis loci illius cæsus sit, nec non a mulieribus, vel a rusticis non absque injuria sit repulsus, verum etiam, & in flumen sæpe præcipitatus. Quæ omnia vir sanctus pro nihilo deputans, verbum Domini non destitit monere, memorans illam Sancti Evangelii sententiam, quæ ait:* Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Comites etiam illius, qui eum fuerant germana charitate secuti, ob inediam vel sterilitatem loci ad propria remeantes, eum quidem solum reliquerunt. Ipse vero in prædicationis permanens officio, alimentum propriis acquirebat manibus. Sane captivos innumeros redimens, sacro baptismate emundabat, & ut in operibus bonis persisterent, fideliter hortabatur.* Cumque fidem Christi miraculis confirmaret, itaut etiam mortuum ad vitam revocaverit, in admirationem tantæ virtutis rapti Gandavenses, ad virum Dei turmatim baptismum postulantes confluebant, ac propriis manibus Idolorum Templa destruebant, Amandus vero Regis munificentia adjutus, ecc-

Joan. 15.25.

clesias ibidem ædificavit, ac virorum & fœminarum monasteria extruxit.

Amandus SclavisChristum prædicat.

14. Sclavos deinde adiit, martyrii palmam consequi posse illic confidens, sed cum nec fructum ex laboribus faceret, nec martyrium inveniret, in Austrasiam reversus est, tuncque factum, ut cum Dagobertum Regem pro capitalibus criminibus redargueret (quem effrenato mulierum amori deditum diximus) jubente Rege in exilium missus est. *Ille vero remotiora perquirens loca, verbum Dei gentibus prædicabat*; At biennio vix elapso, ab exilio revocatus est ab eodem Rege, anno scilicet, 630., quo Dagoberto natus est Sigebertus, quem a S. Amando baptizari voluit, ut ibidem dicemus.

Amandus in exilium mittitur.

Fortunatus Episcopus Gradensis Cromonem fugit.

15. Defuncto hisce diebus Cipriano Gradensi Patriarcha, postquam eam ecclesiam per annos quindecim sanctissime administrasset, ut ait Dandolus in chronico, Fortunatus Longobardorum factione munitus eam obtinuit sedem, at cum is schisma ob tria capitula his in provinciis conflatum, ac mox extinctum, iterum excitasset, eaque de causa, tum apud Gradenses, cum apud Istriæ Episcopos invisus esset, sibi metuens Fortunatus, ne ab Isacio Exarco cum ignominia dejiceretur, uti antea Severo Cypriani decessore contigerat, Gradensi direpta ecclesia, ac pretiosa suppellectile expoliata, Cormonam, quindecim a Grado milliaribus distantem, ubi Longobardi, sub Forojulensi Duce dominabantur, aufugit; Quæ ut Honorio Papæ nunciata sunt, illico Primogenium Rom. ecclesiæ Subdiaconum regionarium in eam provinciam misit cum litteris suis, ut in Fortunati locum, alter Episcopus Gradensis ordinaretur.

Honorii Papæ epist. ad Episcop. Venetiarum & Istriæ.

16. In quam rem, ad Episcopos Venetiæ, & Istriæ hanc dedit Epistolam; *Honorius Episcopus servus servorum Dei dilectissimis Fratribus, universis Episcopis per Venetiam, & Istriam constitutis. Et suademus & decretales apices Fraternitati vestræ dirigimus, per quas expetimus, ut in loco Judæ alius vitæ probabilis ad regendum gregem dominicum moveantur, & non immerito is, qui dejectus est, & Judæ actibus comparatur, & moribus; nam quod ille in capite, hoc iste videtur exercuisse in corpore. Primogenium itaque Subdiaconum, & Regionarium nostræ Sedis, Gradensi Ecclesiæ Episcopali ordine cum Pallii benedictione direximus consecrandum.*

JESU CHR. AN. 629.

Oportebit ergo fraternitatem vestram juxta legem Ecclesiasticam cuncta disponere, capitique vestro sinceram obedientiam exhibere. Nos enim dirigentes homines nostros ad Excellentissimum Longobardorum Regem, injunximus, ut eumdem Fortunatum, uti relicta ab eo Republica, ad Gentesque prolapsum, & abnegata concordiæ unitate, Deo rebellem, & perfidum, nec non res quascumque secum aufugiens abstulisse, monstratur, expetere & repetere non moretur, ut & hi, a quibus hæc repetuntur, a partibus Christianissimæ Reipublicæ parem justitiam consequantur. Data dicitur XII. Kal. Martii, Regnante DD. piiss. Augusto Heraclio anno XVIII. . Unde hæc hoc anno contigisse scribunt Sigonius, Derubeis, Muratorius. Cum vero in ea epistola Honorius de *Christianissima Republica* verba faciat, ejus nomine Binnius, & Baronius Venetam designari Rempublicam scripserunt; At Romanum Imperium ibidem denotari extra dubium est., quod titulo christianæ, aut christianissimæ Reipublicæ designatum fuisse innumeris constat exemplis, ac præsertim ex S. Gregorii epistolis. Adepta Gradensi sede, Primogenius, nil intentatum reliquit, ut thesauros suæ ecclesiæ repeteret, ut Honorius Papa jusserat, sed cum nihil proficeret, ad Imperatorem Heraclium Apocrisarium misit, ac apud eum de Fortunati furto, aliisque injuriis, quas a Longobardis sustinebat, questus est; nil tamen aut Honorius Papa, aut Primogenius a Fortunato, vel a Longobardorum Duce Tasone obtinere potuit; At damnum Gradensi ecclesiæ ab Fortunato latrone illatum, Heraclius Imperator abunde compensavit; Nam ut narrat in chronico Dandolus, *Piissimus Imperator ei* (idest Primogenio) *auri & argenti plus remisit, quam perdiderat*, sicque quam nefarius Episcopus spoliaverat ecclesiam, Heraclius Imperator ditavit.

JESU CHRISTI AN. 629. HONORII PAPÆ 5.
HERACLII IMP. 20. ARIOALDI LONGOB. REGIS 5.

Heraclius Hierosolym. petit ibique Crucem collocat.

1. Anno vigesimo nono supra sexcentesimum, firmata, ut diximus, Siroem inter, & Heraclium pace, recuperato a Persis S. Crucis vivifico ligno, *ineunte vere Heraclius Imperator, venerandis, & vivificis lignis secum latis, Regina civitate solvens, Hierosolymam Deo grates persolutu-*

luturus perrexit. Ubi Tiberiadem advenit, Christiani Beniamin quemdam nomine, ceu gravia ipsis damna inferre solitum, apud eum criminati sunt. Erat enim vir supra modum divitiis potens: quare Imperatoris, totiusque exercitus sumptibus pendendis solus ipse satis extitit. Imperator itaque criminis eum damnaturus: Quam ob causam, inquit, injuria Christianos prosequeris? Respondet ille. Quod fidei meæ hostes existant. Judaica quippe superstitione tenebatur. Imperator autem admonitum, & de religione Christiana instructum, in Eustathii Neapolitæ domo (christianum se hic profitebatur, & Imperatorem pariter susceperat) eum baptismo tingi providit. Imperator deinde Hierosolymam ingressus, Patriarcha Zacharia sedi suæ restituto, & venerandis vivificisque lignis loco suo redditis, debitas grates Deo persolvit, Hebræosque a Sancta civitate jussit exulare, nec nisi supra tertium ab ea lapidem ad eamdem accedendi fecit ipsis potestatem. De hac Imperatoris Heraclii peregrinatione Hierosolymam, diffident inter se auctores Græci, nam Nicephorus Ep. Hierosolymam Sanctam Crucem illico delatam fuisse ait, ac Modesto traditam; at Theophanis, ac Cedreni narrationem præferendam esse consentiunt eruditi, ita ut eam e Perside Constantinopolim primum, deinde hoc anno Hierosolymam Imperator detulerit, eamque non Modesto, sed Zachariæ, suæ sedi restituto tradiderit.

De Festo Exaltationis S. Crucis.

2. Tam fausti eventus memoria quotannis in ecclesia recolitur, die 14. Septembris in Romano Martyrologio, ac majori cum pompa festum sanctæ Crucis, quod Hierosolymis fiebat, postea celebratum fuit. De Festo Sanctæ Crucis, quod Hierosolymis antiquitus, die 14. Septembris celebrabatur, cum Crux e sacrario prolata fidelium venerationi offerebatur, memoria fit in actis S. Mariæ Ægiptiacæ, quæ occasione hujus festi ad Deum conversa est; quo autem ritu, & solemnitate id fieret, per plura exponit Codinus. Idem autem festum, quod exaltationis Sanctæ Crucis a Græcis dictum est, sub nomine inventionis Sanctæ Crucis, cum primum ab Helena Constantini matre Crux Christi inventa fuit, & iterum ab Heraclio a Persis recuperata fidelium venerationi exposita, ab ecclesia Romana die tertia Maii antiquitus celebratum fuisse, ex Sancti Gregorii sacramentario scimus, atque ex ecclesia Romana in ceteras Occidentis ec-

 cle-

JESU CHR. AN. 629.

clesias seculo octavo, & nono propagata est; ut veterum Martirologia testantur.

Heraclii gesta dum Syriam peragraret.

3. Interea Imperator *Edessam profectus, ecclesiam sub Chosrois temporibus a Nestorianis occupatam Orthodoxis restituit. Cum Hierapolim venisset, Siroem Persarum Regem obiisse, & Adeser ejus filium Persarum regnum consequutum intellexit. In eum post Imperii mensem septimum Sarbarazas rebellavit, & Principe deleto Persis imperavit menses duos. Eo sublato Boranem Chosrois filium in Regem sibi Persæ præfecere: qui regnum administravit menses septem. Huic successit Hormisdas, qui demum a Saracenis solio depulsus est: ac tandem Persicum regnum Arabibus subjectum est, & in hanc usque diem sub ipsis remansit*, ait Theophanes, multa sub diversis Persarum Regibus gesta, paucis verbis complectens; at de his infra suo tempore, & loco nonnulla adnotabimus, de gestis præsertim Hormisdæ Regis, seu Isdegerdis, qui anno 632. Persarum Regnum adeptus est.

Legationes ad Heraclium missæ.

4. Porro cum Heraclii nomen, ob tam faustum Persici belli exitum toto orbe inclaresceret, ex Occidente æque, ac ex Oriente legationes ad eum, una cum muneribus missæ sunt. De Dagoberto Francorum Rege. *Eo anno*, ait Fredegarius, *legati Dagoberti, quos ad Heraclium Imperatorem direxerat, nominibus Servatus, & Paternus, ad eumdem revertuntur, nunciantes pacem perpetuam cum Heraclio firmasse.* His addit Dagobertum ab Heraclio exoratum fuisse, ut Judæos Regni sui ad excipiendum baptismum, non solum hortaretur, sed etiam cogeret. *Quod protinus Dagobertus implevit. Heraclius per omnes Provincias imperii taliter, idemque facere decrevit*. Hactenus Fredegarius. At veris falsa permiscuit, nam etsi verum sit pacem firmatam Heraclium inter & Dagobertum fuisse, huncque Judæos finibus Regni sui expulisse, id tamen Heraclio rogante factum fuisse, dubitari potest, ait Valesius.

5. De legatione ab Indorum Rege ad Heraclium Imp. missa, hæc adnotat Theophanes. *Sub id vero tempus munera gratulantis animi testimonia, ob partam ab Heraclio de Persis victoriam, Indorum Rex misit: unionum videlicet, ac lapidis prætiosi copiam non contemnendam*. Sed de his satis.

Heraclii sanctio pro clericorum immunitate.

6. Hoc eodem anno Imperator Heraclius sanctionem edidit, eamque Sergio inscripsit, qua decrevit, ut qui inter cle-

clericos urbis regiæ, quique solitariam in ea vitam ducerent, ac qui peregre in eam adveniebant, sive Antistites Clerici, vel Monachi civitatum, quarum Diœceses sedi Constantinopolitanæ subjacebant, cum civiliter conveniuntur, apud Sergium, vel ab eo delegatos causam dicerent, prohibens eosdem ad civile, vel militare tribunal trahere: Data dicitur 12. Kal. Aprilis Imp. Heraclii piissimi an. 19., & Heraclii novi Const. an. 17., ideoque currenti, legiturque apud Justellum.

JESU CHR. AN. 630.

Justell. to. 2. vet. juris canonici pag. 1361.

JESU CHRISTI AN. 630. HONORII PAPÆ 6.
HERACLII IMP. 21. ADOALDI LONGOB. REGIS 6.

Heraclii junioris, qui Constans dictus est nativitas.

1. Inter Persicos triumphos Heraclio Imperatori filius hoc anno natus est, David dictus, qui cum impuber objerit, nulla alia apud posteros memoria transiit; Eodemque die natus est Heraclius, qui Constans passim dictus est, Heraclii senioris & Imp. nepos, ac filius Heraclii junioris. Hic porro post avum, & Patrem Imperium obtinuit, ac ob Monothelitarum hæresim, & Tipum ab eo fidei causa editum, notissimus est, ut ex dicendis infra constabit. De utriusque ortu hæc adnotat Theophanes. *Indictione quarta, mensis Novembris die septimo. Heraclio in Oriente degenti, David filius natus est. Eodem quoque die Heraclius Heraclii junioris Constantini dicti filius, magni Heraclii nepos in lucem venit, & a Patriarcha Sergio mensis novembris die tertio, quinta indictione lustrali unda initiatus fuit in Blanchernis.*

Chronicon Alex. seu Paschale hoc anno desinit.

2. Ad hunc autem annum desinit Alexandrinum chronicon, Paschale etiam dictum, aut fasti siculi, eo quod in monasterio Siciliæ seculo elapso illud inventum fuerit, ac inde Romam translatum in bibliotheca Vaticana reconditum est, quod postea magnificentissimis tipis edidit Ducangius, notisque eruditis illustravit, ac corpori Bizantinæ historiæ inseruit, desinit autem in litteris. Cabarsanis seu Cabatis, vel Siroes Persarum Regis ad Heraclium, cum post Chosrois interitum, inter utrumque Imperium pax firmata fuerat, nonnulla quæ sequebantur, aut avulsa fuerunt, aut corrupta adeo erant, ut legi non potuerint; ex eo autem chronico, post Baronii tempora in lucem edito, ac ex actis publicis ut plurimum digesto, quamplurima ad historiam ecclesiasticam illustrandam usque ad hunc annum leguntur; Unde *ad Annales*

Jesu Chr. an. 630.

les ecclesiasticos supplendos, & illustrandos, magno mihi subsidio fuere, ait Pagius.

Pag. not. 10. an. 630.

Cyrus Georgio Alex. Episc. succedit.

3. Cum Georgius Alex. Episcopus annos decem eam administrasset ecclesiam, hoc anno mortuus est; cui Cyrus successit, ex Phaside Lazorum Antistite, in Alex. sedem translatus; Hic porro catholicæ fidei zelum simulans, ac quasi Chalcedonensis concilii prædicator & vindex esset, ut eam sedem adeptus est, Acephalos, qui in ea urbe frequentes erant, cum catholicis quidem conjunxit; At nova loquendi formula utens, ac unicam in Jesu Christo volontatem prædicans, utrosque fefellit, ac catholicos in hæresim Monotheliticam incautos traxit, ut infra dicturi sumus. Hoc autem anno in Alexandrina ecclesia, Monotheliticam hæresim eum docuisse, indicat Lateranense concilium secretario secundo, quo ante annos 18. Cirum unam in Christo voluntatem, ibidem docuisse legitur. *Et Cirus quidem ante hos decim & octo annos, unam operationem in Christo, in eadem Alexandriæ urbe definiens divinitatis ejus, & humanitatis*, cumque anno 649. Lateranense concilium celebratum fuerit; si ad labentem annum 630., addas annos 18. ad 649. pervenies.

Croatæ ad fidem convertuntur.

Constant. Porphyr. cap. 31.

4. Interea cum eo Orientalis ecclesiæ res essent, ut ob hæresim Monotheliticam mox in inmensum turbandæ essent; nova prole aucta est ecclesia, nam ut narrat Constantinus Porphyrogeneta Croatæ, seu Chrobates hoc tempore Christo nomen, suscepto baptismate, dederunt; Hi porro Sarmatæ origine, post varias vices ab Avaribus suis sedibus pulsi, in Illyrico tandem substiterunt, quo cum essent, hoc tempore, nam annus in obscuro est, christianam fidem susceperunt, ut pluribus narrant ejusdem gentis historici, & præcipue Lucidus de Regno Dalmatiæ lib. 1. cap. 2. Croatas vero a Romano Pontifice Presbyteros obtinuisse, ut eos in fide christiana instruerent, & baptizarent, scribit Porphirogeneta, & latinus in iis ecclesiis retentus ritus confirmat; quorum Primas, & Metropolitanus Spalatensis Episcopus perseverat; Sed de Croatarum gente sedibus, ac ad fidem conversione plura apud Joannem Lucidum lector curiosus videre poterit.

J E-

JESU CHRISTI AN. 631. HONORII PAPÆ 7.
HERACLII IMP. 22. ADOALDI REGIS LONGOB. 7.

De tribus Pippinis, eorumque gestis.

1. Clothario Francorum Regi Dagobertus anno 628. fuccefferat, cui pater Pippinum Majorem domus fuæ tamquam tutorem ac curatorem reliquerat; De celeberrimo autem viro, ideft Pippino, adnotandum eft, tres in hiftoria Francorum, ejufdem nominis Pippinos occurrere, quorum primus Landenfis, feu Laudenfis dictus eft, eo quod Gandis in Brabantiæ oppido natus effet; Secundus primi nepos dictus eft Heriftallus; Tertius vero qui brevis cognominatus fuit, ad eum gloriæ gradum pervenit, ut ex officio Majoris domus, quo fungebatur, ficuti & majores fui perfuncti fuerant, Gallorum primoribus confenfu, ac Zacharia Romano Pontifice annuente; Galliæ Rex electus, primufque fecundæ ftirpis Gallorum Regum, Rex fuerit, ut in hiftoriæ excurfu dicturi fumus. De Laudenfi, & Heriftalli Pippinis pietate, nonnulla ad hunc annum narrat Baronius, multaque ibidem adnotat Pagius ex fanctorum Modualdi, & Vironis, Arnulphi, aliorumque vitis, at cum hæc, aut incerta fint, ac ab obfcuri nominis auctoribus tradita, qui Sanctorum vitas ediderunt, brevitatis ftudio prætcrimus.

Bar. an.631. n.6. & seqq. Pag. ibid.

De Bavone monacho recluso, ejusque obitu.

2. Hoc unum, quod ad Pippinæ familiæ decus attinet, ex vita S. Alovini cognomento Bavonis addimus, ab Anonymo fere coevo fcripta, qui de Bavone narrat. *Patrem hic habuit Agilulphum Hasbaniæ Comitem, fratrem Patruelm Carlomanni fenioris, cujus filius fuit Pippinus a Landa, quem primum vocant Brabantiæ Ducem. Deinde contemptis opibus, atque a B. Amando Tungrorum Epifcopo Chrifti gloriam plenius edoctus, foli Chrifto militare ftatuit: pecunias, & reliquas opes in pauperes diftribuit; Eodemque S. Amando promotore, Gandæ monafterium in honorem S. Petri conftruxit, egregieque dotavit, quod ab eo poftea denominatum eft. In quo monafterio tonfura clericali infignitus, ibi diu vitam fanctiffime duxit: ac deinde in cellula veluti fepulchro fe claudens, ubi exegiffet in mira vitæ aufteritate biennium, hoc anno ex hac vita receffit, a converfione fua anno quadragefimo, diebus minus tribus.* Hunc imitatæ funt Gertrudis, & Begga Pippini filiæ, multique principes viri, ac feminæ, quæ ipfius

JESU CHR. AN. 632.

ipsius exemplum secutæ, sanctimoniæ laude apud posteros claruerunt; ait idem auctor. Sed de his hactenus, quo autem anno monachalem habitum induerit, aut in cella se incluserit, quoque obierit, pluribus agit Pagius, nobis vero sat est adnotare eum sub Dagoberto Rege floruisse; in his etenim chronologicis quæstionibus, immorari, aut lectorem diu detinere nolumus.

Heraclius iunior, seu Heracleonas Cæsar dicitur.

3. Hoc anno Heraclius Imp. filium suum ex Martina conjuge susceptum, Heraclium, sive Heracleonam dictum Cæsarem creavit; Unde Nicephorus in historia, de Heraclii reditu CPolim post bellum Persicum agens, subdit. *Inde Constantinum filium suum consulem facit, Heraclium vero ex Martina genitum Cæsarem creat*; atque id hoc anno gestum fuisse, ex litteris Honorii Papæ ad Honorium Dorovernensem Episcopum missis anno 634. constat, nam in iis litteris tertius annus Cæsareæ dignitatis Heracleonæ numeratur; unde hic annus 631. primus fuit.

JESU CHRISTI AN. 632. HONORII PAPÆ 8. HERACLII IMP. 23. ARIOALDI LONGOB. REGIS 8.

De obitu Mahumetis Pseudoprophetæ, & sepultura.

1. Cum hactenus Arabum Principatum obtinuisset Mauhumetes Pseudopropheta, ut anno 626. diximus, ac impurissimam sectam, armis, ac fraudibus inter suos propagasset; vivere tandem hoc anno desiit, anno scilicet Hegiræ, (qua epocha Maumethani utuntur) undecima, die decimaseptima mensis Junii, anni labentis, non vero anni 630., ut scribit Baronius, ac Medinæ sepultus est, non vero Mechæ, ut passim scriptores etiam celeberrimi tradunt, addentes etiam Sicophantæ cadaver in sublime vi magnetica in capsa ferrea sustentari, quod etiam Natalis Alexander, Gravesonius, ut ceteros prætercam, tradiderunt. Nam eum Medinæ obiisse, eodemque loco sepultum, atque ad hanc usque ætatem sepulchrum ejus magna frequentia a Mahumetanis frequentari, testantur scriptores omni exceptione majores, qui etiam magnificentissimi sepulchri ornatum describunt; ut apud Maraccium in prodromo ad confutationem Alcorani videre est, ac impuri hominis ossa vix aliquot femoris, & tibiæ cum capite, seu cranio cum dentibus quatuor superesse testantur, qui illud videre potuerunt; non enim omnibus etiam Ma-

Nat. Alex. sec.7. cap.2. art. 2. pag. 364.

Maracci Prodromus ad Alcoranum.

Mahumetanæ sectæ professoribus id licet, sed iis tantum, qui clave aurea uti sciunt; ideſt qui data pecunia a custodibus id obtinere possunt.

Abubecher Mahumeto succedit.

2. Successorem in Imperio, & religionis summo Sacerdotio, nam utramque dignitatem in se ipsum transtulerat Mahumetes, Abubechrem socerum suum habuit, qui Kaliphæ, ideſt successoris, & Vicarii sibi nomen sumpsit, quod postea longo tempore ab Mahumetarum Principibus retentum eſt; Pseudoprophetæ Abubechrem, seu Abubacharium Mauhumetis socerum successisse diximus, cum nullum ex viginti & ultra uxoribus filium superstitem Sicophanta reliquisset, etsi aliquos eum habuisse dicatur, qui ante patrem obierant; nec uxorum grege contentus fuit vir effusissimæ libidinis, sed concubinas etiam eum retinuisse, ex singulari privilegio, & Gabrielis Archangeli jussu, impie effutiunt Arabes scriptores, (etsi id Alcorani lege ceteris ejusdem legis sectatoribus prohibitum sit,) At Mahumeti, qui Angelorum consortio familiariter utebatur, uti ipse mentiebatur, quidquid libebat, licitum erat. Sed ne ultra stylus noster, in tanti impostoris vita, gestis, vel obitu detineatur, retrahendus eſt, ac ad Debellotium in bibliotheca Orientali, ad Dorignitium in historia Arabum, vel ad erudititissimum Renadotium in historia Patriarcharum Alexandrinorum lectorem harum rerum cupidum remittimus.

De Mahumetis lege seu Alcorano.

3. Nonnulla tamen de lege suis asseclis a Mahumete tradita, seu de Alcorano, quod legem perfectam esse dicunt, adnotanda sunt, in quo quidquid apud Ethnicos impium, apud Hebræos, & Rabbinos superstitiosum, vel apud hæreticos prophanum, & portentosum, Impostor insignis, tamquam in Augiæ stabulum collegit; itaut Chaos quidam, seu farrago sit, quæ Cœlum cum terra, terram cum Inferis commisceat. Cum etenim in animum sibi induxisset impostor totum orbem suo Imperio subjicere, cunctarum gentium religionem in unum commiscuit, ac Lunam cum stellis adorare cum Ethnicis docuit, cum Judæis circumcisionem, lavacra, seu frequentes purificationes, ciborum delectum, ac suillæ præsertim abstinentiam retinuit, ex Christianis vero in suam transtulit religionem, non solum Divinitatis, seu unius Dei cultum, sed aliqualem etiam Jesu Christo tamquam Prophetæ a Deo missi venerationem; at quidquid etiam a Gno-

sticis, Manichæis, Arianis, Nestorianis, Eutychianis in christiana religione corruptum fuerat, in suum Alcorani Codicem, tamquam prætiosas margaritas transtulit, itaut nullam aut veteres Græci fabulam, aut monstrum Poetæ fingere his similem potuerint; ut vero cunctarum gentium homines falleret, ac in suam sectam alliceret, carnalibus voluptatibus frenum laxavit, ut plures simul uxores habere possent, concessit, in futura vero vita beatissimam quoque sperare docuit, non quidem in Dei fruitione ac visione, ut catholica fides docet, sed in terrenarum cupiditatum delectatione, in ciborum scilicet, & potus abundantia, & in carnalium voluptatum satietate, ut Mauhemetis Paradisus, Lupanar, vel caupona dici merito possit. Utque conceptæ opinioni, tenacius inhærerent, ac ad bellum pro Alcorani religione propaganda fortes, audacioresque redderet, eam felicitatem iis præcipue promisit, qui hostes suæ religionis occiderent, aut iis, qui pro ea pugnando occubuissent.

Quid contineat liber Alcorani.

4. Ad tria tamen capita totius Alcorani farrago revocari potest, ut ait Maraccius in prodromo ad ejusdem confutationem, ut vel ipsi auctores Arabici, & Alcorani commentatores fatentur; ad judicia scilicet, Historias, & Parænefes: ad judicia pertinent leges & sanctiones, tam quæ res sacras, vel politicas spectant, cujusmodi sunt jejunia, preces, peregrinationes, matrimonia, hæreditates, tribunalia &c. ad Historias pertinent, narrationes variæ, partim e sacris litteris, ex veteri, & novo testamento desumptæ, at ita corruptæ, ut fabulis propiora sint: plurimæ vero confictæ sunt, aut ex apocryphis libris, & præsertim ex Judæorum Thalmud excerptæ. Parænefes tandem continent exhortationes ad novam sectam amplectendam, ad bella pro ejusdem dilatatione, & defensione suscipienda, ad eleemosinas largiter erogandas, ad vitia fugienda, quod ut facilius obtineret, non solum vitam beatam, qualem supra diximus promittit, sed minis etiam extremi tremendique diei, ac Gehennæ supplicis deterret. Inter peregrinationes vero, quæ a Mauhumetanis frequentantur; celebriores sunt ad Medinam, ubi ut diximus Impostor Mauhemetes sepultus fuit, ut sepulchrum ejus venerentur altera vero ad Mecham, ubi etiam ante Mahumetem celebre Templum apud Arabes extabat quod etiam frequentia sua Mahumetes nobili-

bilitavit, ac ejusdem exemplo, ceteri Mahumetani frequentare non cessant. Hinc factum ut illud quoque celeberrimum evaserit, cujus etiam formam, & divitias, ex oculato teste, refert auctor descriptionis Ægypti superioris & inferioris, Gabriel scilicet Bremont Massiliensis lib. 1. cap. 29. & 30. idem ipse, qui Medinæ etiam Templum descripsit.

Maumetanæ sectæ mira propagatio, & longæva duratio. Bar. 630. 9.

5. Miratur cum viris doctis Baronius, eo quod cum nulla umquam secta fuerit alia, quæ plures sordes in unum collegerit, & quæ minus firmitate subsisteret, itaut omnes, qui de ea egerunt sive veteres, sive recentiores, risu sibilisque dignam potius, quam confutatione existimaverint, nihilominus ad mille & ultra annos, majoribus in dies incrementis propagata subsliterit, quod sane justo, sed occulto Dei judicio contigisse fatendum est, ac cum Apostolo exclamandum: *O Altitudo sapientiæ Dei, quam profunda sunt judicia ejus*. Quam rapido cursu, sub ipso Mahumetis immediato successore Abubacario, vel Osmaro, post triennium Abubacarii successore, Mahumetis Imperium cum ipsa religione propagatum fuerit, infra dicturi sumus, atque ad Orientalis ecclesiæ perniciem, Imperii vero interitum eamdem excitatam fuisse videbimus: Nam Syriam primo, deinde Ægyptum, postea Palæstinam, ceterasque provincias, & regiones mira rapiditate occuparunt, ac tandem caput ipsum totius Orientalis ecclesiæ, & Imperii caput, idest Urbem ipsam Constantinopolitanam seculo decimoquinto ineunte obtinuerunt, tenaciusque detinent, Italicis etiam regionibus non semel, & urbi cladem minitantes, nisi Deus potentia sua eorum rabiem compressisset, ac Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli protectio urbi, & afflictis sæpe Italorum rebus opem tulisset.

Isdegerdes seu Horsmida Persicum Imperium obtinet.

6. Interea cum Siroes Persarum Rex, qui Chosroi anno 628. successerat, cum inquam Persicum Regnum triennio obtinuisset, excitata adversus eum seditione, & rebellione, a Persis occisus est, atque Isdegerdes, Hormisdas etiam dictus, Chosrois nepos, ac filius Schahriar annorum quindecim Persicum Imperium obtinuit. Cum etenim Siroes perpetrato parricidio patri successisset, ac durioribus conditionibus, ac Persico Imperio probrosis, cum Heraclio pacem fecisset Persarum Principes, exacerbato in eum animo rebellantes Regno, & vita privarunt; de quibus hæc inter

JESU CHR. AN. 632.

alios narrat Elmacinus in historia Seracenica. *Convenerunt anno undecimo Hegiræ Imperante Abubecro* (qui Mauhumeto hoc anno successerat) *cumque ad eum accessissent, ob seditionem & necem Regum ipsorum, & qui ipsis supervenerat defectum, petierunt filium Chosrois nomine Isdegerdem, qui fugerat a Siroe, atque eum Regem super se constituerunt, cum annos haberet quindecim. Erant autem voluntates eorum diversæ, & conventus divisi, atque inter se pugnantes, omniumque provinciarum, oppidorum, & pagorum incolæ bellum inferentes vicinis, & ita singulæ quoque civitates, inter se discordes erant*. De intestinis Persarum discordiis, & civili bello, deque Isdegerdis seu Hormisdæ in Regnum Persicum evectione pluribus agit Theophanes anno æræ Alexandrinæ 633. Isdegerdes tamen cum Persicum obtinuisset Regnum, prudentia, & auctoritate, aut vi etiam adhibita Persarum dissidia composuit, ac per annos viginti circiter Regnum administravit, de quo infra sermo redibit.

Gundeberga Longobard. Regina falso crimine accusata in carcerem truditur.

7. De rebus in Occidente gestis, nisi vitas Sanctorum exscribamus, vix quidquam memoria dignum hoc tempore ab historicis traditur. De Italicis vero rebus, ubi pax quædam vigebat, cum in ea Longobardorum Duces dominarentur, de Gundeberga Theodolindæ filia, ac Arioaldi Longobardorum Regis uxore narrat Fredegarius in chronico, circa hæc tempora, nam annus incertus est, falso eam adulterii crimine accusatam, vel suspectam, in Castellum Lumelli, inter Ticinum, & Padum positum, inclusam fuisse. Cum etenim Gundeberga, non solum catholicæ fidei professione illustris esset, sed etiam insigni in Deum pietate, ac in pauperes liberalitate, quadam die ad eam adveniens Adalulphus quidam in Longobardorum aula præcipuus, ejus corporis formam & elegantiam Regina imprudenter laudavit, is vero audacior factus, ut in thori societatem admitteret, temerario ausu postulavit, at Regina & pudore suffusa, & ira accensa, eum continuo e præsentia sua ejecit, atque in ejus vultum etiam expuisse dicitur. At is injuria, & repulsa offensus, Reginam apud Regem accusavit, quasi cum Tasone Forojuliensi Duce ageret, ut eum in throni sui, & Regni societatem admitteret. Quare Ariovaldus calumniatori aurem præbens, carceri eam in Lamellensi castello concludi jussit, ubi cum triennium transegisset, ex Galliis ad Arioal-dum

dum advenerunt Dagoberti legati, ut Reginæ liberationem, utpote consanguinitate conjunctæ peterent, quam etiam falso crimine accusatam fuisse, ac innoxiam, juxta temporis, & gentis Longobardicæ barbariem, duello inito cum accusatore comprobarunt; quo cum Reginæ advocatus victor evasisset, e carcere tandem educta, in pristinum gradum, & splendorem restituta est, ut cum Paulo Diacono narrat Fredegarius, qui iterum eamdem jacturam Reginæ Gundebergæ accidisse commemorat, non multis ab hinc annis, cum jam ipsa post Adoloaldi obitum, Rotario nupsisset, quamobrem cum Muratorio, in historia Longobardorum suspicatur Bernardus Zannetti, eamdem historiam bis a Fredegario repetitam fuisse, ut ibidem videre est.

Quousque vulgares probationes in usu fuerint

8. Ad reorum autem cujuscumque criminis innocentiam comprobandam, præter privatas pugnas, quæ inter accusatorem, & reum, per se ipsos, vel per alios peragebantur, alias hoc, & sequentibus seculis probationes in usu fuisse, quæ etiam purgationes canonicæ dictæ sunt, utpote quæ nonnullarum ecclesiarum canonibus confirmatæ fuerant, innumeris exemplis constat. Hæc autem erant, juramentum tactis Sancti Evangelii Codicibus, Euchatistiæ sumptio cum imprecatione sibi facta si mentiretur, gelidæ, aut bullientis aqnæ potus, aut lavacrum, igniti ferri tractatio, aut super prunas incessus; at hæ, aliæque hujuscemodi probationes, quæ apud barbaras gentes hucusque inoleverant; nonnisi longo temporis tractu extirpari potuerunt, illicitas utplurimum ecclesia habuit, etsi non semel toleraverit, de quibus plura apud Martene de antiquis ecclesiæ ritibus lib. 3. cap. 7. Mabillonium Analect. pag. 161. apud Perez in thesauro novissimo part. 2. tom. 2. pag. 635., aut apud Muratorium Antiquitat. Italic. tomo 3. dissert. 38. & 39. videri possunt.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
QUÆ IN HOC TOMO XIII. CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, secundus paragraphum indicat.

A

B

Cam-

C

Da-

D

E

F

ma-

I

L

Ma

S

T

Theo-

ERRA-

ERRATA	CORRIGE
Pag. 2. Aliquando	Aliquanto
14. Adhoctationibus	Adhortationibus
19. Sellicite	Sollicito
46. Voluit	Vetuit
49. Celebratum	Celebratus
52. Id	In
60. Theologicæ	Teologiæ
82. Paftio	Pallio
99. Dubiæque aliæ	Dubiæque aleæ
100. Reddere	Redderent
146. Fuiffe addictas	Fuiffent addictæ
152. Vita	Vitia
199. Nifi	Nifos
212. Ac Comitioli Præfecti	ab Comitiolo Prefecto
225. ut in ea exptenda	In eo explendo
241. Primitius	Primitus
258. Confecrationem peractam	Confecratio peracta
287. Clotharius	Clothario
315. Dato	Dati
321. Nomine	Homine
322. Judæorum	fupple Ritus